
ARS MEDICA.
R. DODONAEUS
1640.









# IN D. REMBERTI DODONÆI Praxin Artis Medicæ,

*Amplissimi viri*


D. SEBASTIANI EGBERTI COS.

S C H O L I A,

Cum auctario Annotationum

NICOLAI FONTANI MED.

~~Josephi Securij Medici Doctoris~~






AMSTELODAMI,

Sumptibus Hendrici Laurentij.

ANNO CIↃ IↃ CXL.



PIETATI ET JUSTITIÆ
*Divinis magnis nominibus*
S. & P.
VRBIS MAGNÆ
AMSTELREDAMENSIUM,
PER ORBEM PROPRIIS,
*Ejusdem in præsens Prætore Magno*
D. IANO TEN GROTENHVIS.
COSS. Q.
D. ANDREA BICKERO I. V. D.
D. DIODORO VLAMING, AB OUST-HORN.
D. IACOBO BACKERO. I. C.
D. GEREBRANDO PANCRAS NIC: F.
*Dominis publicè meisq; privatim B. M.*
Hanc civilis animi & obsequii Aram æternam propriam, ex voto L. M. P.
NICOLAUS FONTANUS
KAL. IPSIS JULI cIↃ DC XL.



On absolvat se licet (quod fateor lubens equidem, nec vel sperare fas cuiquam civium, dictuq; omninò horribile & profanum est:) expedivit se aliquà tamen ingenuamque & promptam saltem officio illi divino suo ostendit Pietas mea: proprium illud indolis, ingenii, affectus & animi istius, arcanum quidem, ut sacrum, & tacitâ proindè religione potius colendum

 mihi

mihi ſecretò ſemper: ſempervivum tamen
& ſolenne perpetuũ, perpetuò incumben
& inſiſtens ſibi, occaſionibuſque intentum
omnibus ſuis viſis, ut aliquà dignum tand
eniteat meritis Magnis Veſtris, *Domi*
*Mei*: bonũ decuſq, ſemper-meũ: & adfui
ſpero, etiam *Felicitas*, quæ benigna heî
ſemper civeis nos Veſtros, in *Vrbe*, ſub au
ſpicijs tantis divinis Veſtris, reſpectan
ſemper, decipit merenteis nuſquam au
unquam defutura eſt eam ritè modo volē
tibus & cupientibus veram juſtamque e
præſcripto Legum & ad modum morum
& exempli imprimis Veſtri frugalitatis &
temperantiæ divinæ, id eſt, quà licet & ho
neſtum per Vos eſt nobis. Eam enim illam
etiam ſi non meremur omneis, omneis ta
men ſentimus & experimur cottidiè nota
biliter adgnoſcimuſque etiam adverten
teis tantùm propriam & tempore locoqu
ſuis, ſuam quiſque ſibi aptam & accommo
dam privatam, intrà privatos parietes ſeor
ſim domi ſpectati, in illâ omnium ſimul
ſemper & ubivis publicè noſtrâ, in *Vrbe* iſt
divinâ *Magna*, ſub Imperio divino felic
ſemper Veſtro, Veſtràque imò ipſâ in Im
perio illo, id eſt, *Vrbis* ipſius: undè nimir
ceu à fonte ſacro perenni, & numine clar
manifeſto ſuo colendo ſemper, omnis ill
omnium

omnium ſimul ſemper & ubivis publicè noſtra & ſua cuique privata ſibi & propria domi, divinitus orta primum, multis mox, velut rivis beatis dimanans & in nos derivata labitur fluenſque benignè ſemper it porrò, pleno tandem alveo magno ſuo perventura ad caput & ſummã ipſam Æternitatis *Famæ Magnæ* proſperioris Seculi iſtius, & quod ſperatur deinceps jam, melioris magni, hominumq; quamdiu erunt uſpiam, ubique ad finem uſque ſupremum rerum omnium conſtanter & feliciter ſimul manſura. Quâ & cujus intuitu divino magno præcipuo Veſtro, orbem terrarum ſtringentes paſſim emenſi quà patet omnẽ, quà noſcitur, quà aditur, aut noſci & adiri hactenus viſum potiſſimùm divinæ in terris Sapientiæ, id eſt, Pietati & Juſtitiæ, divinis ortu, ab Auctore *Ipſo* & in ſe magnis, in Vobis clarè ſemper apparentibus admirandis primis, præcipuis, ſemper & ubivis ſanctis & proindè perpetuis propriis Nominibus Veſtris, & pari divinâ palàm & Heroicâ planè animi Magnitudine compoſitâ omninò & exactâ ad illam Nominis Veſtri & meriti magni, confeſſione omnium, aliiſq; virtutibus clarè divinis & Reip. magnis, non adoratis tantũ ubivis gentium paſſim meritò, magnum illud ſuum *Utile agens*

 *terris*

*terris* , *animos æquavit Olympo* orbem terrarum, ut dixi, omnem piè & feliciter simul capessentes complexi, sapiēter item & fortiter simul continetis & tuemini adversus ingruentem undicunq, barbariem, & quod metuere possimus , solitudinem rerum & Imperiorum in hac fœderis & Nominis Christiani particulâ potissimâ, Pietate prætereà divinâ illâ Vestrâ indies in majus semper extollentes *Vrbem Vestram*, id ipsum magnam istam , quod ceu sidus aliquod exortum novum, beneficum semper & salutare ubivis resplendeat, ad divinum hunc quasi mundi istius omnis nitorem novum, & si non æqualiter, piè tamen & benignè ubivis perpetuò relucentem: ad speciem hanc unam toto Orbe ipso exactè pulcram, emendatissimam quacunq; & ab omni parte pariter aptam: ad exemplũ hoc diuinũ magnũ exstans ubivis unum Orbe toto, peccans aut fallens nuspiam, nec unquam dubitans etiam hæsitansve , labens, nutans aut desistens : sed semper & ubivis æqualiter rectum , Virtutum magnarum morumque & Imperij istius , orbe terrarũ universo amabiliter placidèque conspicui, ejusdemque commodis perpetuis intenti semper & in posterum tandem bono magno duraturo semper reperti : ad amorem

quod

quod ſequi neceſſe, ſanctum, juſtum piumque generis humani totius, utique quà, ut par eſt, intelligitur aut noſcitur, &, interpoſito tandem aliquandò ſtudio pio ubivis recto, ſincero & ſacroſancto perpetuò, optimo divinè intento ſemper & divino ſalam felici ſemper præcipuo Veſtro, ad ſpem tandem certam & fiduciam etiam *Pacis*, quod piè vovemus religioſi, propeiem futuræ Chriſtiani Orbis primùm & otius deinceps religioſæ, certæ & proindè ex fide duraturæ, perpetuæ & perennaturæ in ævum quod in præſens colimus jam, aut proſpicimus proxumum, aut longâ annorũ ſerie ſerò tandem poſt ſperatur venturum proſperum, compoſiturum aliquandò & deleturum iras illas, odia, invidiam, avaritiam, ſimultates, inimicitias, ſeminina bellorum, quæ Europa cultior hactenus & noſtra tamdiu vidit & paſſa eſt & tulit tamen ætas; æternæ denique ab Æterno *Ipſo*, proſpecturæ porrò tutelæ felici mutuiſque fœderibus perpetuis, commodis item & commerciis fidei & neceſſitatum Orbis totius gentium & nationum quà quà vivunt aut colunt regionum aut finium, tantâ fidei religione & ſanctitate morum Legumque & pari famâ ad omnia ubique, divinis præcipuis Veſtris, ut undi-



que,

que pro Imperio illo Veſtro, abire juſſis im-
pietate omni, & ſcelere & dominationum
impotentiâ, Miraculo Orbis magni iſtius
Magnitudini Veſtræ, ſic curetis, ſic agatis
ubivis ſemper ſapienter & Feliciter, piè &
fortiter & pacificè ſimul, ſic proſpiciatis
Vindiciis ubivis Legũ & Libertatis Veſtræ
magnæ, magnis, pulcris & præclaris ubivis
virtutibus veſtris: ſic habeamini quàvis ter-
rarum paſſim ab omnibus Pii, juſti, Sapien-
tes & Felices ſemper Adſertores, Vindices
Defenſores & Propagatores etiam, quà fas
eſt per gentiũ jura, nullâ vi, ſed Exemplo
tantũ magno Veſtro, Imperio alieno omni-
nò & dominatione violentâ non parcentes
tantũ, ſed & (quæ famâ in univerſũ jactatâ
Veſtra pro divinâ iſtâ Nominis Veſtri *Ma-
gnitudine* par quoque animi eſt & divina
prorſus continentia honoriſq; vel obvii &
meritiſſimi parſimonia Veſtra) abſtinentes
licet contingenti, oblato & ingeſto in vo-
lenteis eam etiam & ambienteis ultrò, id
unum tantùm laudis abundantis, & ægrè
tamen, admittentes, id unum meritis, offi-
ciis prœſtitis & rebus effectis, in Vobis ip-
ſis nobiſque civibus Veſtris Magnifici me-
ritò & beati tantùm, quod nihil jam terra-
rum pilâ totâ, periturum Veſtri metuimus
uſpiam: nihil, audiat licet invidia & rum-
patur,

atur, moveat ipſũ uſpiam, aut moveatur, æſitet, titubet, vacillet, crepet, nutet, la-et, repugnet aut offendat & arietet uſpi-m, in tantâ mole rerum & Imperiorum, quod vitalia aliquà tangat, multò minus lidat aut confundat Reip. & *Vrbis* iſtius Veſtræ *Magnæ*, utique ſi magnoperè ali-quà interſit: nullo periculo adito, quod non ntè quàm acceptum, auditum aut com-ertum, illicò *Felicitate* illâ magnâ divinâ veſtrâ compoſitũ protinus, non rectũ, non victum & ſuperatum, non ſubactũ & pro-fligatum, reſq; ex eo omnis conſtituta ve-ſtra loco ſuo & redempta noviter Salutiq; priſtinæ ſuæ reſtituta ſit, utique ſi ipſa ſer-vari aut à ſe magnoperè mereatur, aut è re ſit magnâ Reip. & *Vrbis* veſtræ *Magnæ*, aut deniq; ſeriò profuturum deinceps Sæculo ſperetur, aut cujus vel ſervati minus & proindè perditi aliquà, jactura etiam non utili majore alibi compenſetur, ratioque proinde exacta Vobis ad ſummam Reip. ſedentibus principibus conſtet & à Vobis deinceps vera & juſta ſæculo reddi queat. Hæc eò pluribus hêic excerpta prælibavi, ex opere alio pleniore meo, quod nunc præcipuè ſub manibus ſtrepit, & abuſus otio tantiſper veſtro, *Domini Mei*, dũ illud prodit genio *Vrbis* veſtræ *Magnæ* Feliciter,

ut præmiſſâ hac publicâ teſtatione mentis & Pietatis meæ, profeſſus ultrò beneficium debere, Eidem Felicitati divinæ magna sub Imperio pari Veſtro imputarem propriè & acceptum ferrem, quod evenit antè trienniũ aut amplius, ut aliud neſcio quid agens inciderem fortè in divini jam D. SEBASTIANI EGBERTI, magni in Arte noſtrâ primùm, mox in Republicâ etiam, ac Conſularis nuper Viri Scholia divina in D. REMBERTI DODONÆI Praxin Artis noſtræ, quod opus ab Auctoribus ipſis iſtis & in ſe magnum proindèque probatum mihi ſatis, ut alijs item aut procul longé ſitis, aut poſt venturis pariter probaretur, feci continuò, quod decebat, & auctario id novo meo illuſtravi, fore ratus quod videbatur, ut ſumptâ nimirum tali operâ meâ potiſſimâ occurrerem injuriæ temporis ævique iſtius otio, torpori & invidiæ, ut ad minima & vilia quæque protervè exſultanti, ità ad optima quoque cæcutienti otioſè aut nauſeanti ſtolidé ferociter: Quâ de re ut conſtaret, commodùm ecce D. Henricus Laurentii, vir egregius & de ſtudiis artiũ liberaliũ noſtrarũ, ſuâ illâ typographicâ benè meritus, experrectus qui id ſecundum præli officio vulgare parans, inſtitit ut mea quoq; non inviderẽ luci:

: aduuens ergò petitioni ejus non iniquæ, non opus habui monitore quò eant potissimum mea illa & tutelæ se recipiant adversus rabiem invidiæ hoc tempore imprimis regnantis aut contemptus: nam ut divina omnia ingenio suo repetunt sua initia & in se revertuntur rectà, ultrò ad Vos eunt & in penetrale *Vrbis* divinæ *Magnæ* sacrosanctum illud, spe fore se inibì tuta & vindicata, si non alia, at ab Auctore illo magno primo, Consulis collegæ, propinqui, affinis & amici, à me Vobis Reip. & *Vrbis* istius *Magnæ* imagine, quæ nusquam quam illo sacro loco benignior aut præsentior est, & ibij tantum civis meo proprio nomine, si non laudatum, quod non ambio, at gratiosum defensum & excusatum fore. Vos *Domini*, omen benignum modò quó eat in ora virûm & sæcula eruditorum, oculis salutaribus vestris, quos id supplex veneror, adnuite

*Civi piè devoto & clienti propriè*

Vestro

NIC. FONTANO, MED.

Lecto-

# Lectori benevolo.

EN tibi, *Candide Lector, Praxin Medicam* D. Remberti Dodonæi *Viri Excellentissimi, & in artis operibus per multos annos, inque variis regionibus exercitatissimi; facili quidem, sed dilucido tamen stilo, scriptam, & quæ Medico practico necessaria sunt, ὡς ἐν συνόψει continentem. In ordine Pauli Æginetæ filum secutus illius libros hoc scripto non solùm explicare, sed & ad usum, curandique modum hoc tempore usitatum, accommodare, conatus est. Maluissemus quidem editionem hanc procurasse illos, quibus autor hoc mandasse perhibetur: sed quum id hactenus non fecerint, nec deinid facturos sperari possit, Typographo id petenti exemplar nostrum libenter concessimus. Plurima quidem hujus generis scripta reperiuntur; sed non pauca sunt, de quibus vetus illud veré dici possit;* ὀλίγον κρεὰς, ὄσεα πολλὰ. *at bonam operam Provinciæ Medicæ navasse putandi sint, qui aurum de terra selectum, lectoribus proponunt, quum enim artem longam, vitamque brevem esse certissimum sit, quæ dementia fuerit, in inutilia, & quæ ad ægros curandos nihil faciunt, bonas horas malé, & inutiliter locare?*

*Sta-*

*Statuerat Dodonæus noſter iſti ſcripto tra-
ctatum peculiarem de arthritide ſubjungere; ſed
quod ab aliis in Cauſis iſtius Affectus diſſenti-
ret, ut accuratius id facere poſſet, diſtulit; nec
morte præventus, quod pollicitus fuerat, præſta-
re potuit.*

*Porrò quæ margini adſcripta vides partim
ex autoris illa quæ dictarat fuſius explicantis
ore excepta; partim à nobis interjecta ſcias.
quæ ſi non tanti ut in publicum darentur, fuiſſe
iudices, pro non adjectis habeas Vale, & opel-
lam hanc noſtram, propter circumſilientium oc-
cupationum agmina, non nimis accuratam, æqui
bonique conſule.*

S. E.

In



In laudem

*Nobiliſſ. atque eximij viri*

# D. NICOLAI FONTANI,

*Medici excellentiſſimi.*

SI pluſquam ſiculas videre gerras,
Et deliria multa inutileſque
Doctorum modo diſputationes,
Vel ſi Cimmerijs juvat tenebris
Obcæcare oculos, adito Gloſſas,
Queis praxin medicam gravant priores,
Gryphis & ſalebris ſcaturientes.
At ſi reddita vis ſuo nitori
Habere omnia, vis videre mentem
Scriptoris Medicis probe tenendi,
Pervolves opus hoc pereruditum,
In quo cuncta tibi nitent aperta,
Ut nil lucidius queas videre,
Nihil terſius, aut mage approbatum.
Hic myſteria practici laboris
Diu nubibus obvoluta denſis
Germano videas repoſta ſenſu.

Atras

Atras denique ſi fugare noctes
Si vis per mediam ambulare lucem,
Hoc habe tibi quicquid eſt libelli,
FONTANI ſtudio bene expoliti.
At gloſſaria tortuoſa, inepta,
Et vaniſſima deſeras priorum.

*In ſignum amiciſſimi affectus*
*ſubito ſcribebat Daventriæ*

IOHANNES CHRISTENIVS
I.V.D. & *Profeſſor publicus.*

*In*

*In praxin Medicam*

REMBERTI DODONÆI,
SCHOLIIS PRIMUM,

*Amplissimi Domini consulis*

SEBASTIANI EGBERTI,

Deinde

*Annotationibus Utilissimis, Nobiliss.*

D. NICOLAI FONTANI,

LOCUPLETATAM

ODE.

*IMmunem fati laudem* Dodonæa *merentur*
*Monumenta: verùm cætera*
*Inter hoc excellit multa brevitate coactum*
*Opusculum gratissimum:*
*Sed brevitas ut sæpe placet, sic sæpe molesta est*
*Obscurtatis nubilo:*
*Vidit id Archiatrus consul, scholionque paravit*
*Tyronibus percommodum:*
*Commodius tamen hic noster Scholiasta recudit*
*Labore partum plurimo*
FONTANUS *Fax Amsteliæ præfulgida gentis,*
*Batavûmque medicorum decus.*
*Hic vidit non visa alijs, neglecta notavit*
*Sagacitate maximâ,*
*Quæque observavit rarissima, protulit artis*
*Exempla scriptis plurima:*
*Exemplis nihil utilius, nil certius usu,*
*Qui quasi manu ducit rudes*
*Inque artis sinuosa trahit penetralia mentes*
*Filo velut certissimo:*
*Artem quisquis amat,* FONTANUM *laude decoret*
*Artisque fontem prædicet.*

IOH. HYLANDER M.D.

# PRAXIS MEDICINÆ REMBERTI DODONÆI.

## DE FEBRIBUS.

### Cap. I.

1 
Ebris eſt calor extraneus, ſeu præter naturam, corpus infeſtans [2], & cordi [3] communicatus.

Accenditur autẽ hic vel in [4] Spiritibus, vel in Humoribus, vel in Solidis partibus. In Spiritibus calor extraneus febrem procreat Ephemeram, ſeu Diariam; in Humoribus, Putridam; in ſolidis corporis Partibus, Hecticam.

Simpliciſſimæ, ac mitiſſimæ, minimèque periculoſæ ſunt [5] Ephemeræ. Diem iſtæ non excedunt, propter tenuitatem Spiritus in quo conſiſtunt, qui diu excedentem calorem non retinet: & quia idem blandus ac vaporoſus, mites quoque, ac minimè vehementes [ſunt.] Cauſæ ſunt; ex labore, vel alia motione corporis, [6] laſſitudines. Ebrietates, maximè ex vini potu. Exuſtio, ſive corporis ſupercalefactio; veluti ex diutina ſub ſole mora. Refrigeratio nimia. Vigilia excedens. Iracundia, & quævis animi vehemens motio, ut ſubitaneus, graviſque metus. [7]

Signa ſunt, 1. Calor mitis, non mordax, non acris, abſque rigore invadens, & citra evidentem alicujus partis dolorẽ, & cũ levi [8] ſudore, ſive madore roruleuto, deſinens. 2. Pulſus ad magnitudinem, & celeri-

tatem quidem in ipſa acceſſione accedens, ſed qui mox ceſſante hac ad naturalem ſtatum revertatur, neque ullam inæqualitatem præ ſe ferat. 3. Vrina qualis ſanorum, [9] quæ ſi talis poſtridie perſtiterit; pulſu quoque ad naturalem conſtitutionem reverſo, non aliam febrem quàm Ephemeram fuiſſe ſperandum eſt. nam, ut Galenus ait, ex ſolutionis modo ſpecies Febris certius cognoſcitur, in Diarijs enim ceſſante acceſſione omnia ſimul abolentur; dolores, ſi qui fuerint, non amplius manent.

Curatio omnium Diariarum Febrium per Balnea, autore Galeno fit, accedente idonea victus ratione. Ægineta verò ſubinde etiam frictiones adhibet, & quandoque corpus oleo perfundi jubet; modo uno, modo alio, pro ratione efficientis Cauſæ. Verum, quum nunc Balneorum, Frictionum, ac Perfuſionum uſus ceſſarit, Victus rationi maximè inſiſtendum eſt.

Ex labore igitur laſſi ac defatigati, frequentius cibandi ſunt, exhibenduſque ipſis cibus facilis concoctionis; & vini uſus mediocris permittendus. Parcius nutriendi qui ex Ebrietate in Diariam inciderunt Febrem [10]. Qui verò ab exuſtione, aut ſuper calefactione, aut diuturna ſub ſole mora febricitarunt, cibo humidiore reficiendi ſunt. Refrigerati verò, & quibus cutis adſtricta eſt, ſiquidem humorum non adſit plenitudo, mediocriter alendi ſunt, admiſſo etiam vini uſu. Vehementer autem refrigeratos, ſi humorum copia adſit, à vino abſtinere expedit. Inter Diarias Febres, præter illas quæ ex ſupradictis cauſis factæ ſunt, referuntur & à Galeno, & ab Ægineta quæ cum Bubonibus ſuperveniunt [11], Cauſæ autem harum Febrium non ſunt ipſi Bubo-

nes,

nes, sed ex alijs causis simul cum Bubonibus gignuntur. Apparentibus igitur Bubonibus vel in Inguinibus, vel sub alis, vel in collo, considerandum est, an simul cum Febribus, vel mox in initio appareant, vel post Febres diuturnas succedant. Nam qui Febribus diuturnis succedunt Abscessus sunt per quos Febres terminantur [12], & boni sunt. Qui una cum Febri, vel initio superveniunt, duplices sunt; vel enim citra manifestam ac apparentem causam gignuntur; & tales [13] maligni & pestilentes habentur; præsertim accedentibus & alijs malis signis: aut ex manifestis causis originem habent; & tales non maligni sunt; & Febres quæ ipsos comitantur inter Diarias reponuntur, Manifestæ causæ sunt, ut Vlcera crurum, vel brachiorum; dolores magni pedum, aut manuum, aut digitorum. item, & casus, ictus, vel aliqua similis manifesta causa.

Ex hujusmodi causis si supervenient Bubones & simul Febres, causis occurrendum est, quibus desinentibus Febres etiam cessant. Interea tamen æger tenuiori victu nutriendus est, & à vino arcendus, ut Galenus & Ægineta suadent.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Febris à fervendo dicta creditur. Πυρετὸς apud Græcos ab igne, quàm πῦρ, ut & ipsam quandoque Febrem præsertim ardentissimam, appellant. Hippocr. passim. Orientales itidem linguæ ab incendio deducta voce Febrem denominare solent. Deuteronom. 28. v. 22. Germani contrà, à præcedente Horrore. vel Rigore, das Kaltwee, der frœrer; Belgæ olim, die Zage, quæ vox metum denotat, vocabant (ut Latini veteres Querqueram) nunc, die coortse,

forte à cooren, quod nauſeare ſignificat. Tam frequens autem hic morbus eſt, ut quidam veterum neminem ſine illa mori contenderint: & febris vocem pro quovis morbo poſuerint, ſic Horat. pro illo Heſiodi; Νέσοι δ' ἀνθρώποισι φοιτῶσι; Nova Febrium terris incubuit cohors, reddidit. Romani itaque Febri inter cæteros cruciarios exitus erogando homini deputatæ, ut cum Tertulliano loquamur, templum & aram ſub monte Palatino, ſtatuerunt. Ælian. var, hiſtor. l. 12. c. 11. eique ſacrificabant. Clem. Alex. in protrept. 2. Actioneſque conſuetas lædens. nam ſiquidem ſeipſo calidior factus ſit aliquis, neutrum tamen horum patiatur, talem ſanè febricitare nondum dicimus. Gal. 8. meth. med. 3. Ubi fons caloris nativi. 2. de fractur. quem in præter naturalem converti oportet, ut febris ſit.

4. Vitalibus potiſſimum, & Naturalib. qui numdentur, controverti tamen ſolet. Animales, Mercurial. nihil detrimenti pati, adſerit. Contrarium Bertrut. credidiſſe videtur. cui & nos magis adſentimur, quamvis ob temperiem & paucitatẽ non magnum forte momentum ad febris generationem afferant. Eſt autem Febrium eſſentia in caliditate præter naturam, quæ pro materia varia eſt. 1. de Febrib. & 10. Meth.

5. Ἐφήμεροι, & Πολυήμεροι opponuntur. 8. Meth. c. 8.

6. Officioſaque ſedulitas, & opella forenſis adducit febres &c. Horat. 1. epiſtol.

7. Ad lactis generationem conſequuntur Ephemeræ tertio, quarto, vel quinto die in puerperis. Amat. cent. 1. curat. 34. Referunt, inquit Cardan. in flumine Arotam inſulæ beatiſſimæ Zeilan eſſe piſcium genus quod manu deprehenſum febrem accendat, 10. l. Subtilit. Amiſſo piſce ſtatim liberatur qui eum tenebat. Febrium idcirco appellavimus eũ. Cæterum piſcoſiſſimus hic eſt fluvius. verum piſces illi neutiquã eſculenti ſunt. Scalig. Exercit. 218. §. 6.

8. Quum Ephemera in Spiritibus, unde ſudor, aut

saltem mador in illarū declinatione? Spiritus calefactus dum excernitur, ſuccum in ſuperficie corporis repartum, in ſudores attenuat, & ſecum ducit. Stephan. Athan. comm. 8. in libr. ad Glaucon.

9. Urinæ in Bubonum Ephemerâ pallidæ, privatione bilis ad Inflammationem vergentis, quemadmodum in Phreniticis. Sæpè tamen in his obſervavimus Urinas biliofas; quod fit in habitu bilioſiore. Inde & tunc Eryſipelatodes inflammatio eſt. Steph. Athen. comm. 18. &c.

10. Ingenioſiſſimus ſeculi noſtri medicus Caſſius, quem nuper vidimus, febricitanti cuidam & magna siti affecto, quum poſt ebrietatem eum premi cœpiſſe cognoſceret, aquam frigidam ingeſſit. quâ ille epotâ, quum vini vim miſcendò fregiſſet, protinus febrem ſomno, & ſudore diſcuſſit, quod auxilium medicus oportune prævidit ex cauſa quæ ante præceſſerat, Celſus in præfat.

11. Ad tumorem externum in Emunctorio, præſertim parvum, non ſequitur niſi Ephemera. nam vapores putridi tum perveniunt ad cor, non cum ſua ſubſtantia, ſed cùm ſuâ virtute & alteratione ſolâ. Bertrutius.

12. Omnes Criſes cum manifeſta evacuatione fiunt, vel cum Abſceſſu. Hippocr. 3. Progn. Calidi humores ad excretionem commodi; craſſi in Abſceſſus abeunt. Ib. Craſſi autem ſunt in morbis diuturnis. Gal. 2. de criſib. c. 11.

13. Vide comment. 55. libri 4. Aphor.

## NICOL. FONTANI

### *Annotatio prima, ad Caput primum.*

De *Febris Etymologia* ſat multa exponit Eruditiſſimus *Sebaſtianus Egberti* hujus Empory olim conſul digniſſimus, & medicus expertiſſimus, magni Dodonæi interpres.

Dicitur Febris, calor ad distinctionem morborum officialium, & solutionem continui.

Hic febrilis calor non est quid in fieri, sed in facto esse.

In *Hydrope* si Febris sit, poterit dici humida: ut *Epiala*, frigida, & per consequens aliqua Febris erit humida, aliqua frigida. Genericè tamen loquendo Febris calida est, & sicca.

Febris subjectum ex *Avicennæ* sententiâ duplex est: primum, principale: secundum, adæquatum: principale cor: adæquatum totum corpus.

Intemperies totius corporis, nisi ad cor pervenerit, & in intemperiem idem deduxerit, non est Febris; nam hæc primariò cordis passio est; ex accedenti; & secundario, totius corporis. Sed interdum reperitur Febris absque totius corporis calore, ut *Epiala*.

Immediatum Febris subjectum, idem est quod calidi innati, nam calor nativus vertitur in Febri in igneum.

Calidi nativi verò immediatum subjectum triplex, humor, spiritus, & solida substantia, sic & per consequens Febris.

In Febre Hectica, omnis calor nativus mutatus est in igneum.

[*Accenditur autem hic vel in spiritibus, vel in humoribus, vel in solidis partibus.*] Ex quo textu concluditur semper Febres omnes fieri cum cordis, & corporis intemperantiâ.

Si vero *Galenus* 3. *de pres. ex puls. cap* 5. contrarium videatur statuere, *Ephemeras* videlicet, citra cordis, & corporis intemperantiam posse consistere; de nimiâ intemperie est intelligendus; nam citra eam nulla Febris generari potest.

[*Simplissimæ, ac mitissimæ, minimeque periculosæ sunt Ephemeræ.*] Respectu aliarum Febrium, teste *Avicenna*, sicque curatu facillimæ.

Inquit auctor [*calor in ea mitis est atque suavis.*] Id hauiit

hausit ex fonte *Galeni lib. 1. de diff. feb, cap. 7.* Hoc
utrum ita sit Lector videbit in *Florilegio* meo medi-
co, *Quæstione. 19. de Feb. sang.* in qua planè ab aucto-
ris mente, ratione, & judicio, decedo.

[*Verum cum nunc balneorum, frictionum, ac perfusionum
usus cessarit, victus rationi maxime insistendus est.*]

Laudo in Febris declinatione usum balnei cum
*Galeno* nostro, & præcipue, dum cutem summam
laxare, tenues, & fuliginosos vapores vacuare inten-
dimus, idque cum levi frictione; ut inde sudores
erumpant, & fumida excrementa discutiantur, &
maxime, quum nulla est in primis venis cruditas,
aut perennis viscerum obstructio, aut durities, aut
eorum imbecillitas, ne forte cruditas in omne cor-
pus rapiatur.

Pergit denuò curare auctor per contraria, rectè,
nam alias facilè migraret in *Synochum*, contra Docto-
ris *Baudæroni* mentem, qui medicandi rationem non
admittit, quia non sumitur à materia. Quod falcissi-
mum est; quia spiritus non est quippiam immateria-
le, sed corporeum. Est enim pars sanguinis tenuissi-
ma, & maximè elaborata.

Hæc Febris tam benigna, & mitis est, ut *Hippocra-
tes Aph. 55. Sect. 4.* dixerit: *Ex bubone Febres omnes ma-
las, præter Diarias.* Idem statuit *lib. 2. Epid. Sect. 3.* Illi
inveniuntur aut in Adenis post aures, vel sub axillis,
vel in inguinibus.

De Febrium circuitu, & de diebus decretorys,
hic agendum esset, sed cum *Bauderonius* eleganter
de ijs latè tractarit, habenas adhibeo calamo.

Num autem *Diaria* semper cæteras Febres præ-
cedat, & num detur putrida, ac pestilens, num *Diaria*
solvatur sudore? in praxi mea, quæ sub manibus meis
est, adamussim pertractabo.

Corpora gracilia, ac tenuia facilius in *Ephemeras*,
ac *Hecticas* incidunt, quam pinguiora & bene dispo-
sita, quia calidiora, *teste Galeno 10 Methodi. cap. 2. & 5.*

# DE FEBRIBUS PUTRIDIS.
## CAP. II.

FEbres [1] quæ ex corruptione Humorum proveniunt, Putridæ appellantur. propterea quod ex corruptis, & à natura ſua permutatis [2] Humoribus, originem habeant.

Duplices autem iſtæ ſunt. vel enim Symptomaticæ,ſive Accidentales[ſunt,]ut quæ ad Inflammationes, & Eryſipelata conſequuntur: Vel per ſe conſiſtunt. De quibus nunc agendum. Contingit tamen quandoque ex Sanguine fieri Febrem citra corruptionem, ut in Synocho. Sed hujuſmodi Febres non diu permanent tales;ſed citò in Putridas permutantur, niſi tempeſtivè remedium adhibeatur.

Putridarum autem Febrium quædam Continuæ ſunt [3]; quædam Intermittentes, ut ſunt Quotidianæ, Tertianæ,Quartanæ, & Erraticæ.

Agnoſcuntur autem Putridæ ſeptem modis. 1. Ex Cauſis. Si enim nulla præceſſerit externa & manifeſta cauſa,Putrida eſt Febris,à cauſa proveniens intrinſeca, ſive antecedente. 2. Ex Vrinis,quæ in iſtis Febribus à naturali colore, & ſubſtantia mutantur [4]; & initio [5] crudæ ſunt. 3. Ex Pulſu,qui in Acceſſionis initio parvus eſt,& exiguam faciens διαστολὴν, [6] velocem habet συστολὴν; [7] qui & hac de cauſâ, depreſſus dicitur: in Augmento verò Acceſſionis ad frequentiam & magnitudinem mutatur: & utroque tempore Inæqualis [8] eſt. 4. Ex Frigore, aut Horrore, aut Rigore in initio acceſſionis, [9] quæ Febrem eſſe Putridam,& Intermittentem oſtendunt. 5. Ex

Caloris

caloris ſpecie in Augmento, aut Statu Acceſſionis. enim acris ac mordax tangenti ſentitur calor ex utredine Febrem eſſe conſtat. 6. Ex Circuituum editu. nam Ephemera non habet Acceſſiones plures quam unam. Putredæ autem plures habent Acceſſiones. 7. Ex diuturnitate Acceſſionis. Ephemera enim non extenditur ultra viginti quatuor horas: Synochus non habet Acceſſiones, ſed in multos dies prorogatur.

* Curatio generalis Putridarum Febrium.

* Putridarum Febrium curatio primò fit per Venæ ſectionem. Optimũ enim, inquit Gal.[10] in omnibus Febribus quas putreſcens humor procreat, ſanguinẽ mox detrahere; modo vires ferant, ac imbecillitas ac cruditas Ventriculi non obſtẽt. 2. Per ea quæ Humores contemperant, concoquunt, lentes incidunt, craſſos attenuant ac ad expurgationem idoneos reddunt; quæ talia eſſe debent ut Viſcera etiam expurgent. 3. Per mollientia Enemata, quando videlicet alvus dura eſt, & opportunum non fuerit purgans medicamentum exhibere; veluti in die Acceſſionis; vel materia morbi adhuc exiſtente cruda. 4. Per Medicamenta quæ vitioſos Humores concoctos & præparatos per alvum ſubducunt. 5. Aliquando, ſed tamen rarò per[11] Vomitiones. Et tunc quidem quando natura ſuâ ſponte ad has fertur, & conatur vitioſos humores expellere per vomitum, & non poteſt: tunc aliquid exhibendum quod vomitionem adjuvet, ut Syrupus acetoſus ſimplex per ſe, vel cum aqua decoctionis ptiſanæ. Contingit tamen quandoque ut Febres Quartanæ, Erraticæ, diuturnæ, & pertinaces per Vomitorium medicamentum

curentur. 6. Curantur Febres per [12] Victus rationem, quæ & in omnium morborum curationibus plurimũ habet momenti, & abſque qua nullus morbus rectè curari poteſt. Ad victus rationem pertinent & illa potionum genera quæ ab Ægineta referuntur. Item Vinum tenue & pauciferum, quod in Febribus intermittentibus nullo præſente Capitis dolore, [13] admittitur. ſed in Febre vehementi, & quando capitis dolores adſunt vinum concedi non debet. 7. Providendum eſt Viſceribus per Fomenta, Olea, Unguenta, aut Emplaſtra [14]. Balneorum verò, & Unctionum totius corporis, quorum Ægineta mentionem facit, nunc nullus eſt uſus: ſicuti neque potionis aquæ frigidæ, aut in frigida aqua natationis.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Alterius generis Febrium quod in diviſione opponitur Diarijs, commune quidem nomen non habetur; differentiæ tamen illarum duæ ſunt, quæ non obſcuris ſpeciebus ſeu formis diſtinguntur, nam quædam ipſarum ab humorum putredine ſuccenduntur; quædam ipſas ſolidas animalis invadunt partes, quas Hecticas vocant. Gal. 1. de diff. Feb. c. 7.

2. Putredo enim eſt eſſentiæ totius corporis putreſcentis in corruptionem ab externo calore, commutatio. Gal. 11. Meth. Hujus autem initium calorem internum intendit, & igneum, hoc eſt, febrilem facit. Eſt verò, ut in Tumoribus, ſic & in vaſis, Humorum duplex Putredo; ex quarum miſtione tertia reſultat ac provenit. I. Quæ fit vincente Natura, ac manente adhuc Partium, ac Vaſorum Coctrice facultate; quæ non ſolum Putredo, ſed & Coctio quædam eſt. II. Quæ fit Natura victa, & Coctrice uſqueadeo

quea deo debili ut nullam in bonum mutationem producat. III. Quando ex his miſtis, quaſi ſemiputredo quædam exiſtit. Gal. 1. de differ. Febr. c. 6.

3. Quando focus Putredinis in Vaſis quæ intra Alas, & Inguina excurrunt.

4. Quia pars humorum putreſcentium ſunt.

5. Concoctio enim, ut omnis alia naturæ actio, non niſi in tempore fieri poteſt.

6. Quia neceſſitas refrigerationis nondum magna eſt, ut in augmento.

7. Ut fuligines circa præcipua hærentes viſcera quanto ocyus expellantur.

8. Propter putridos humores viſcerum principalium, inprimis veró Cordis vires quaſi aggravantes.

9. Quæ propter revocationem naturæ, nocumenti ſenſum percipientis; & propter vellicationem membranarum aliarumque ſentientiũ partium quæ in præcordijs exiſtunt, ab humoribus acribus, magis minuſve motis, fieri conſueverunt.

10. Meth. med. l. 11. cap. 14. Natura namque quæ corpora noſtra gubernat, ſublevata, & illo quod ipſam gravabat onere depoſito, reliquum facilius vincet, & propriarum facultatum memoria veluti revocata, quod concoqui aptum eſt, concoquet, quod verò expelli poterit, expellet, Ib. c. 15.

11. Vomitiones homini monſtraſſe canis videtur. Plinius l. 29. c. 4. Vide eundem l. 11. c. 37. Damnavit has Æſclepiades. Id. l. 26. c. 3. & Celſ. l. 1. c. 3. Si tamen natura ſua spontè ad has fertur, quo vergit ducere oportet. 1. Aphor. 21.

12. Victa, & Potua ſanctiſſimæ Deæ victui potuique præerant ut Arnob. 3. contra gentes refert. Victum appello, inquit Gal. non hunc tantum qui in cibis, & potibus eſt, ſed & qui in omnibus alijs, ut otio, exercitijs, balneis, venere, ſomno, vigilijs, alijſque omnibus quæ quomodocunque in hominum corporibus fiunt. Gal. 3. epid. ſect. 3. comm. 9. Victus autem ratio Medicinæ quæ per ſe magna eſt, non

minimi

mini momenti pars exiſtit. Methodi 11. c. 15.

13. Vix, niſi in univerſali declinatione; quod etiam tum vel decocto hordei, vel aqua aliqua ſtillatitia ut cichorij, acetoſæ &c. diluere ſatius erit. Vinum quod in Thebaide [Ægypti,] & maxime circa Copton civitatem provenit tam tenue eſt, tamque facile diſtribuitur, citoque concoquitur, ut febricitantibus datum minimè illos lædat. Athenæus 1. dipnoſoph. in fine. ]Tale noſtrum rhenanum exiſtit.

14. Præmiſſis vacuationib. de quib. jam dictum. Requiritur autem ut initio Repellentia ſint; In declinatione, laxantia, diſcutientiaque. Sic tamen ut quæ nobiliorib. admoventur partib. præcipuè hepati, Ventriculo, ſemper quid illorum admixtum habeant quod tonũ & robur indere partib. iſtis poſſit. Vide Gal. 11 Meth. c. 15. &c.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio II. ad Caput. II.*

Omiſſa *Synocho non putri*, quia curatur attemperamento, ſicut *Diaria*, & vacuatione ſicut putrida, de Febribus putridis ſolum agit, quæ hujus alter ramus eſt.

Hæc oritur ex vaporibus ſanguinis calefacti; & ideo rectè notavit auctor cito in putridas permutari, niſi tempeſtivè remedium adhibeatur.

Hœ duæ Febres inter ſe differunt, quod non putris nullas habet mutationes, ſed unicam acceſſionẽ (quæ durat quo ad omnino materia evanuerit) nulliſque exacerbationibus diſtinctam.

*Sinochus* verò, ut *Synochus non putris eſt continua*, ſed ſuas habet mutationes, & exacerbationes pro natura humoris à quo gignitur: ſi *Pituita*, ſtatutis diei horis quotidie: ſi *Bilis*, tertio die, ſi *Melancholia*, quarto quoque die.

Prima, cum *Ephemera* magnam habet Analogiam, ſed

sed in uno differunt: nam *Ephemera* suam habet essentiam in calore præter naturam inflammante spiritus vitales.

*Synochus* vero non putris in sanguine à calore præter naturam accenso in corde citra putredinem.

Differt ab *Hectica*, quod hæc fit in partibus solidis.

[*Putridarum Febrium curatio primo fit per venæ sectionem.*] Duo remedia magna habentur apud priscos, purgatio, & venæ sectio. Purgatio caret occasione, quia non est affectus eam indicans, remanebit ergo sola sanguinis missio, quæ citò & copiosé omnes humòres potest ex toto corpore vacuare.

Hæc autem exercetur à *Galeno* aliquando usque ad animi deliquium 9. Meth. cap. 4. & 6. Epid. sect. 1. com. 29. Virtute præsente; & a me non semel, sed ter, quaterve in basilica.

Utitur auctor emollientibus enematibus. Rectè: Etiamsi inijciantur ante sanguinis missionem, dummodo non timeas subitam suffocationem.

Clyster etiam Inijciatur in ipso die accessionis, cujus forma talis est.

℞ Foliorum Malvæ,<br>
Violariæ,<br>
Mercurialis, ana, m. j.<br>
Furfuris ping.<br>
Hordei mundi, ana.<br>
m. j. ß.<br>
Coquantur ex. S. q. aquæ pluv. ad ℥ ix. Colaturæ adde<br>
Elect. Diacatholici,<br>
Diacassiæ, ana. ℥ j.<br>
Olei violarum, ℥ ij.<br>
Salis, ʒ ij.<br>
Misce fiet Clyster.

Nec non purgantibus levioribus, quorum formula hæc est.

℞ Rhabarb. electi, ʒ ij ß.<br>
Sem. citri ʒ ß.

Mace-

Macerentur per noctem in S. q. aquæ Endiviæ, mane, col. ℥ij. S. fortiter expressæ adde Diapruni sol. ʒiij.

Misce fiat haustus.

Secundum qualitatem personarum.

Pilularum usum damno, quia præterquam quod omne medicamentum purgans, auctore *Galeno* 1. *Aph. com.* 24. per se calefacit vehementer, ex quibus ferè componuntur pilulæ; harum forma propter associatam siccitatem magis exsiccat, tantum abest, ut eam temperare possit; sicuti quidem potest *Cassia*, Syrupus Rosatus laxativus, & similia. De vomitu quid statuam in praxi mea patebit.

Vos ducit ad *Æginetam* cum curare pergit potionibus. Ego eas addam longo usu, experientiaque probatas.

℞ Radicum Asperagi,
Graminis,
Acetosæ, ana, ℥ß.
Herb. Cichorei,
Lactucæ,
Boraginis,
Acetosæ, ana, m. j.
Pruna acida, No. X.
Flor. Violariæ, p. j.

Coquantur in S.q. aquæ hordei ad lib ij. colaturæ adde Sirupi Endiviæ
Acetos. simpl. ana, ℥j.
Olei vitrioli, ℈ j.
M. f. potio.

Vel. ℞ Aquarum still. Cichorei,
Endiviæ,
Acetosæ, ana ℥v.
Syrup. Acetosi simpl.
Syr. granat. acid. ana. ℥j. S.
M. fiat julapium.

[*Est visceribus per fomenta, olea, &c.*] ait Auctor idque optimè, quandoquidem fervorem hepatis demul-

lenulcent ſimilia medicamenta,& phlogoſim attemperant id ſolum obſerves, ne in initio morbi corpore pleno iſta adhibeas,quia tunc nocent, ſicut proſunt declinante morbo.

Hoc tamen Ephytemate tutò uti poteris.

℞ pulv. Diamarg. frigidi.
Trochiſc. de Caphura,ana,ʒj.
Ebulliant leviter in Aquæ Roſarum,
Acetoſæ,
Boraginis,ana ℥v.

Cordi applicetur omni tempore ante,& poſt evacuationes, quia eo cor non poteſt obſtructione affici.

Ungentum fit taliter.

℞ Ungenti Roſacei,
Santalorum,ana ℥.S.
Olei Nenupharini ℥ vj.
Miſce pro litu.

Bis hepati in die,vacuo ventriculo, admoveatur. De Balneis longa fieret diſceptatio,quam alias pertractabo : modo illud laudo, ſi ſit ex aqua dulci, tepens, non calidum : nam totum corpus, refrigerat, & reliquias materiæ reſolvit ; quod late pluribus in locis docuit *Galenus*,ut in *Lib. de Rat. victus*, & *lib.* 11. *Meth. cap.* 20.

Nec obeſt, quod in noſtris regionibus uſus Balnei in deſuetudinem abijt : quin potius revocandus eſt, cum magno ægrorum commodo. De ijs conſulè Doctorem *Zacutum lib.*4. *Hiſt. Hiſt.*36.

Vinum admittendum, cum conditionibus ab auctore præſcriptis, quas tradidit prius *Galenus* 1. *ad Glauconem cap.* 14. Hæ ſunt, *Delirium*, Febris ardens, in morbo crudo, Inflammatio interna, & Cœphalalgia ingens.

Sit tenue, pauciferum, & offeratur declinante morbo: maximè flacceſcentibus viribus. Lege Amatum Luſitanum lib.1. cent.18.

DE

# DE TERTIANA FEBRE INTETMITTENTE.

## CAP. III.

TErtianæ Febres idcirco dicuntur quod tertio die recurrant.

Duplices autem hæ ſunt; vel enim puræ ſunt, ſive exquiſitæ; vel impuræ ſunt, ſive non exquiſitæ; quæ & nothæ & ſpuriæ dicuntur. Pura eſt quæ ſola Bile cum Sanguine [1] putreſcente gignitur. Incipit hujus Acceſſio cum Rigore, hoc eſt, cum Frigore, & voluntario motu depravato, ab acri & bilioſo humore musculos & nervoſas partes pungente, & irritante. Succedit mox acris, & mordax tangenti calor. ſitis deinde magna. Vomitus [2] ſubinde bilioſi ac meraci. ſudores verò etiam copioſi circa Statum & in Declinatione Paroxyſmi. Deſinit hæc Febris ad integritatem, ſeu ἀπυρεξίαν; & Acceſſionis tempus non ultra duodecim horas extenditur. Urinæ rubent & intenſioris coloris ſunt quàm in ſanitate. Vigent autem hujuſmodi Febres maximè [3] æſtate. Promptiſſimè verò his corripiunrur [4] adoleſcentes; & qui calido ac ſicco ſunt temperamento; ac in exercitijs [5] corporis verſantur.

Incipienda curatio eſt à Sanguinis miſſione è dextri brachij interna vena, aut media; niſi ſit quod [6] prohibeat, quæ facienda oportuno tempore in die Intermiſſionis ac quietis. Deinde contemperandi ſunt Humores, frigidis, ſed potiſſimum talibus quæ ſimul aperiendi [7] vim obtineant. Frigida ſunt ut Intybum, violaria, violæ ipſæ, lactuca, acetoſa. Aperiunt

verò

verò etiam cichorium, dens leonis, lactuca ſylveſtris vulgo endivia dicta: item ſemina cucumeris, cucurbitæ, citrulli, & melonum. quibus addi poſſunt radices temperatæ aperientes & urinas provocantes ut ſunt aſparagi, graminis, fœniculi. Ex his autem decocta parari queunt; quibus addi poteſt ſyr. ex intybo, vel ex cichorio, vel ex Violis. Deficientibus herbis exhibentur [8] aquæ iſtarum herbarum deſtillatæ cum aliquo Syruporum.

Humoribus præparatis & ſignis concoctionis in Vrina apparentibus, exibendum erit in die quietis medicamentum clementer biliosos humores expurgans; veluti infuſum Rhabarbari, cujus in bile expurgandâ eximia eſt facultas. cui addi poteſt vel Diacatholicum, vel medulla caſſiæ fiſtulæ, vel manna, vel ſyrupus ex frequenti infuſione roſarum. quorum ſingula etiam ſeorſim exhiberi poſſunt. Datur quandoque etiam decoctum, aut infuſum [9] fol. ſenæ, quod quidem addito Rhabarbaro præſtantius erit futurum. exempli gratia: ℞ rad. fœniculi, aut aſparagi ℥ ß. cichorij cum radicibus m. ß. violarum. p. j. ſem. frigidor. communium majorum quatuor ana ℈ j. fol. ſenæ, ℥ ß. uvarum paſſarum mundatar. ℥ ß. ſem. aniſi ℈ ij. vel ʒ ß. fiat decoctio in aquæ. q. ſ. ad ℥ iiij. aut v. in qua infundantur rhabarbari ʒ ß. aut ʒ j. colaturæ adde mannæ ℥ ß. vel ſyr. roſati ex frequenti infuſione roſarum. ℥ j. ß. Conveniunt etiam robuſtis, ac duris corporibus, el. Diaprun. & quod de pſyllio dicitur [10]. item quod à ſucco roſarum nominatur: quod tunc maximè convenit quando utile eſt adſtrictionem poſt evacuationem relinqui. Expedit verò etiam quandoque Enema, ſive

Clyſterem injicere; quando videlicet alvus dura eſt, & opportunum non eſt purgans exhibere. Componendum autem Enema ex decocto herbarum humectantium & mollientium; ut ſunt malva, biſ-malva, atriplex, violaria, mercurialis; quibus quandoque additur beta. utiliter & furfures tritici adduntur abſterſionis cauſa: hujuſcemodi decocti accipitur libra, cui adduntur aliqua refrigerantia ut ſunt ol. violarum, ol. roſarum; & aliquid quod expurgationem adjuvet ut eſt diacatholic. vel [11] diacaſſia, vel ſaccharum rubens; addita ſalis [12] exigua quantitate, videlicet ℈ j. vel ʒ ß. ne clyſter in inteſtinis hæreat: ℞ malvæ, biſmalvæ, mercurialis ana m. j. violariæ. p. j. furfurum tritici. p. j. fiat decoctio ad ℔. j. colaturæ adde ol. violarum ℥ ij. ol. roſati, aut ol. amygdal. dulcium, ℥ j. diacatholic. ʒ iiij. ſacchari rubri ℥ j. ſalis ℈ j. fiat Enema.

Quod ſi verò in Acceſſionibus [13] natura ſit ad vomitiones propenſa, neque hæ facilè ſuccedant, adjuvanda erit vomitorio exhibito ſyr. acetoſo per ſe, vel cum aquâ tepidâ, aut cùm ptiſanæ decocto.

Victus ratio in Tertianis exquiſitis humida ſit oportet ac frigida, ut eſt ptiſanæ cremor, vel cibi [14] cum ptiſanâ, vel refrigerantibus herbis decocti, ut ſunt lactuca, cichorium, rad. cichorij. Potus ſit ptiſanæ decoctum, quod etiam [15] tenuiſſimæ cereviſiæ præferendum eſt. à Vino; abſtinendum eſt: [16] & ſi forte vires hoc requirant, parcè admodum eo utendum, eoque tenui, aquoſo, ac diluto; nec prius tamen quam apparentibus concoctionis ſignis. A melle, ſale, & omnibus calidis ac acribus abſtinendum; ut ſunt ſinapi, naſturtium, eruca, piper, zinziber, & alia.

*Sebaſtiani*

## Sebaſtiani Egberti Scholia.

1. Sanguis tamen, propriè loquendo, alijs putreſcere non dicitur. quum enim putruit, in alios humores, bilem nempe, & melancoliam vertitur. quum putreſcere incipit putridus dici vix poteſt, quod cauſa putredinis remota poſſit ad ſuam naturam redire. Gal. comm. 17. aph. libr. 2. Vide Oddum de Oddis in 1. fen. Avic, c. de humorib.

2. Initio paroxyſmorum magis quam alio illius tempore; quod tum propè centrum hæreant, qui febrem producunt, humores; poſt illud vero ad paripheriam magis ferantur.

3. Quâ flava bilis augeri ſolet. Vide 3. Aphor. 21.

4. 3. Aph. 29. quia flava bilis in illis maximè redundat. quam ob cauſam fortè & leones tertiano circuitu laborant. Cardan. de variet. l. 7. c. 27.

5. Cauſæ procatarcticæ quæ corpus bilioſum faciunt ſunt labores, uſtiones ſub ſole, vigiliæ, curæ, triſtitiæ, excandeſcentia, alimentorum inopia, bilioſorum alimentorum copioſior uſus. Gal. 1. comm. in 6. Epid. 29. Aph.

6. Virium nempe debilitas, ventriculi cruditas, ætas, &c.

7. Febris enim hæc ex putredine, putreſcunt autem putredini apta h. e. cal. & hum. in ſimili loco ſi ventilari non poſſint, propter obſtructiones. Vide Gal. 11. meth. c. 2.

8. Decocta tamen præſtant.

9. Non ſtipitum, neque foliculorum, quod flatulenti ſint. Corrigunt autem ſenam tormina excitantem, aniſum, diacatholicon, ſyr. roſatus ſolut, & manna.

10. Non conveniunt hæc in ijs qui proni ad lienteriam. Lubricitatem enim poſt purgationem relinquunt. Scammonium inquit Gordon facilè inflammat. unde nec in principio morbi, nec æſtate dandum. c. proprio.

11. Præstat tamen Diæcathol. nam diacaſſ. rara bona habetur in pharmacopolijs, eo quod facile corrumpatur.

12. Quod tamen, ut & Hieræ, præſertim validiores, qualis Logadij eſt, & alia omnia acria vitandum in ijs qui Hæmorrhoidibus obnoxij ſunt.

13. In Tertiana & omni Intermittente febre utilis in principio paroxyſmi vomitus, præſertim ſpontaneus, vel non violentis provocatus; quemadmodum utile eſt in fine paroxyſmi tolerare ſudores, vacuatur enim quid de materia antecedente. unde conjunctam deinde facilius ſuperat natura. hinc paroxiſmi ſenſibiliter his evacuationib. leviores fiunt, & tempore intermiſſionis videntur ſibi ex toto curati, at nulla facta evacuatione tempore intermiſſionis toti ſunt ponderoſi & graves, cum modica alleviatione. Gord. c. proprio.

14. V. g. capo hordeo infarctus & coctus; cujus tamen juſculum quam carnes ipſas concedere ſatius erit. Vide 1. aph. 17.

15. Magis enim humectat, & ſudores etiam promovere creditur Montano & alijs. Utile etiam ſerū lactis cum violaria, dente leonis, cichor. acetoſa, vel ſimilib. refrigerantib. decoctum.

16. Quod ad febrium valetudines attinet non dandum in febre, niſi veterib. ægris vinum; nec niſi declinante morbo. in acutis verò periculis nullis, niſi quæ manifeſtàs remiſſiones habeant; & has noctu potius, dimidia enim pars periculi eſt noctu, hoc eſt, ſpe ſomni bibentibus. Plinius. 23. cap. 2.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio tertia, in caput III.*

*Quæſtione 22. mei Florilegij tertianam exquiſitam* non lethalem per ſe, contra *Altimarum* probavi. Quod denuo hic cum *Hippocrate* affirmo 4. *Aphor.* 43. dum inquit;

inquit: *Febres quocumque modo intermiserint, periculum abesse significatur.* Nam intermedijs diebus natura ad quietem pervenit, febre vacante, in quibus recreatur, & vires assumit; quare securissima omnium est Tertiana.

Hanc saluberrimam vocat *Avicenna* 1 - 4. *Tracta* 2. *cap.*4. Ratio est, quia bilis hunc morbum committens est levissima, & tenuissima: que cum ita sit, septem circuitibus terminatur.

[*Incipienda curatio est à sanguinis missione è dextri brachij interna vena.*]

Deposita alvo, prius cogitandum est de venæ sectione, idque in augmento: quia tunc adhuc est fluxio, neque multum naturam divertimus.

Sed dicet quispiam, *Galenum* numquam in hac Febri loquutum de venæ sectione, ergo non licere.

Respondeo; quæ omnibus patent repetenda non esse. Hoc enim auxilium jam dictum erat ab illo *Lib.*11.*Meth.cap.*15. dum in omnibus Febribus celebrandam esse venæ sectionem pronunciavit.

Sequitur quo tempore venæ sectio administranda? Et num ante tertiam periodum? nonnulli cum *Avicenna* 1 - 4. *tract.* 2. *cap.*29. id faciunt; qui errant ob mendosum textum, quem correxit doctissimus *Andræas Bellunensis*, demendo particulam [non.]

*Trallianus lib.*8.*cap.* 12. *Paulus lib.* 3. *cap.* 49. *Ætius Terab.*1. *Serm.*3.*cap.*12. *Avicenna* 4 - 1. *cap.*20. Docent dextri lateris sectionem interna manu, dolori hepatis conferre, & in sinistrâ factam, dolori Splenis opitulari. Recte, quia (loquar cum Vallesio) manus dextra est emunctoriũ jecoris, sinistra, lienis.

Ergo Hepati laboranti, dextram salvatellam, & malè affecto liene, sinistram tundere oportet.

Hujus sectionis vim *Galenus* non ignoravit, ut patet *lib. de cur. per sang. miss. cap.* 16. quo monet, eas secare in balneo.

Bibat Æger in vigore accessionis ex doctrina *Hippocratis aph.* 17. decoctum hordei cum syrupo Violaceo, permixtum

ut.
℞ Aquæ hordei lib.ij.
Syr. violati ex multiplici inf. ℥iiij.
Misce fiat potiuncula.

Vel.

℞. Herb. Acetosæ,
Endiviæ,
Cichorei, ana. M. j.
Coquantur ex aqua hordei ad lib.ij. colaturæ adde
Syrupi violacei ex Inf.
Syr. E. Limonibus, ana ℥j. S.
Misce pro potione.

Si bilis sit concocta, & sudor supervenerit, statim finietur accessio, & totus morbus.

Somnus maximè nocet in principio accessionum, in augmento minus, in vigore forsan nocebit, in declinatione maxime juvat; in qua si noceat est lethale signum cum *Galeno lib. 2 aph. com. 1.*

Optime loquitur auctor de vomitione, quæ fiet ex oximellitis scillitici ℥j.
Aquæ tepidæ ℥iiij.
Quod vomitivum detur hora paroxismi ob dictas rationes.

## DE TERTIANA SPURIA.

### Cap. IV.

Tertiana non exquisita tertio quoque die recurrit. Sed accessio hujus cum minore, quandoque nullo, aut exiguo invadit rigore [1]; & diuturnior est, ac duodecim horas excedit.

Causa efficiens, non Bilis sincera, sed bilis pituitoso humori permixta cum sanguine putrescens.

Calor idcirco mitior est, nec adeò acris ac mordax, ut in purâ, sive exquisitâ. sitis quoque minor.

Vomi-

Vomitione bilis pituitę permixta ſuccedit, ſudores pauciores, vel qui difficilius erumpant [2]. urinę ferè rubent,ſed diutius crudę permanent. Vigent huiuſmodi febres etiam in ęſtate,aut in vere; & maxime his corripiuntur qui calidiore ſunt temperamento, ſed cibo pleniore utuntur [3], ac in otio vivunt. Pręſertim quando conſueta exerçitia intermiſerũt. In hac febre,viſcera,& pręſertim hepar [4],facilè obſtruitur, & ventriculus non raro quoque cruditate laborat.

Sanguis in Tertiana ſpuria utiliter quoque detrahitur, obſervatis conditionibus quę dictę ſunt, & poſtea quam alvi excrementa deſcenderint. Humores verò pręparandi ac concoquendi non omnino frigidis, ſed ijs quę vim habent obſtructiones aperiendi. Conveniunt quidem cichorium & dens leonis,ſed utile ipſis addi radices fœniculi,vel apij, aut petroſelini; & ex herbis,cuſcutam,lupulum,& [5] hepatorium vulgare; præſertim poſt morbi principia, ac febre inveterata. Ex ſyrupis,initiò quidem utilis ſyr. ex cichorio, vel ſimilis.Sed poſt paucos dies illi admiſceri convenit vel ſyr. acetoſum ſimplicem,aut compoſitum, vel oxymeli, vel ſyr. de radicibus; & morbo progreſſo, ſyr. de Byzantio [6]. Gal. verò ac Ægineta etiam abſinthium, ſed non niſi poſt ſeptimum diem exhibendum ſuadent.

Purgatio inſtituenda eſt, non ex ſolis ijs quæ bilem educunt:ſed expedit quoque addi quæ pituitam purgant, ut eſt agaricus, vel turbith in robuſtis corporibus.atque idcirco etiam,neque ſolum ex prunis, aut ex pſyllio,aut ex ſucco roſarum electuarium exhibendum, ſed addendum quoque eſt vel el. diaphœ-

nicon, vel quod Indum dicitur. Clysteres verò etiam in Tertianis spurijs non admodum molles esse debere, Gal. ait. Vomitorium 7 etiam medicamentum in istis febribus, quando diu, perseverant & curationi rebelles sunt, utile est post adsumptum cibum, Gal. etiam autore: cujus tamen non est nunc usus frequens.

Victus ratio minus frigida esse debet, quam in Exquisita Tertiana. Cibus concoctu facilis; cum quo hyssopus, origanum, petroselinum commodè coqui possunt. qui exhibendus in die intermissionis, non copiosus, sed ut vires sustineat. Vinũ tenue & aquosnm concedi potest, modo caput non laboret. quod non solum apparentibus in Urina concoctionis notis, sed etiam prius admitti potest; præsertim si diu duraverit febris. Laudatur etiam pro potu Oxymeli, sed aqua dilutum; præsertim quando crudæ pituitæ multa adest copia. Potest etiam dari ptisanæ decoctum cum cinnamomo paratum, vel cum zinzibere: cruditate existente magnâ.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Quod humor spuriam hanc producens minùs acris sit propter permistam pituitam.

2. Peccans enim humor crassior & lentus magis existit. unde difficilius & per habitum expelli, & à natura concoqui potest.

3. Cruditates enim Repletio & Otium faciunt.

4. Propter crassitiem, & lentorem pituitæ viscerum vasa, & pori, præsertim hepatis, facilè solent obstrui.

5. Cannabinum, vel Avicennæ dictum.

6. Cum aceto factus, ubi majore incisione opus fuerit. 7. Ætius

7. Ætius dicit multos se novisse qui hujus usu curati sint. cap. proprio. Dandum autem in initijs paraxysmorum. tunc enim facilius Vomitus provocari poterit. Lene verò Emeticum ex radicula, rad. asari, fol. atriplicis, cum oleo parari poterit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio IV. ad Caput IV.*

*Spuria*, seu *Notha*, vocatur ab *Arabibus* minoris famæ febris, & majoris.

Hæc quandoque bilis vetellina commiscetur cum pituita, illa quando eadem cum Melancholia.

[*In hac Febre viscera, & hepar facile obstruuntur*] inde aliquando *Hydrops* subsequitur, & pedum *œdema*; sicuti persæpe vidi in mea praxi, & notavit proprio exemplo *Galenus lib.* I. *ad Glauconem cap. de Tertiana Notha*, nec non *Aphthis*, de quibus ita *Hippocrates* : *In Febre non intermittente sudores supervenientes, si non solvitur morbus, ijs prorogatur, & multam significant humiditatem. Et multoties in ijs; quia multus humor vasa hepatis obstruit, jecur ipsum incalescit, unde fiunt in gargulione, oreque ipso aphthæ, & ulcera, &c.* Plura vide de *Febribus lib.* 2.

Quæ omnia si supervenerint curantur bono victus regimine, & idoneis medicamentis, & quandoque secanda vena.

Si æger vinum appetat, sit album, decocto hordei permixtum, vel aquâ Melissæ, vel rubrum tenuioris substantiæ.

Aphthæ macerentur linctu ex
Syrupi violati Insus.
Et syr. Iujubini, ana ℥ ij.

Clyster est ex usu si talis sit.
℞ foliorum malvæ,
Bismalvæ,
Violariæ.

Furfuris,
Fl. Chamemæli, ana m. j.
Sem. Carthami ℥ ß.
Coque ex. S. q. aquæ hordei ad ℥ ix.
Colaturæ adde,
Elect. Diacatholici,
Diaphænici, ana ℥. j.
Olei violacei ℥j. S.
Salis communis ʒj.
Miſce fiat Clyſter.
Purgans, ſeu evacuans, paretur hoc modo.
℞ Diacatholici, ʒvj.
Diaphænici, ʒij.
Mellis roſ. lax. ℥j.
Decocti majoranæ, ℥ij S.
Miſce fiat hauſtus.]
Potio.
℞ Rad, Cichorei,
Apij,
Fœniculi, ana, ℥ ß.
Herb. Acetoſæ,
Endiviæ,
Majoranæ, ana, M. j.
Cardui Benedicti,
Centaurij minoris. ana M. S.
Coquantur ex aqua hordei ad lib. ij.
Colaturæ adde
Syr. Byzanthini ſimpl.
Syr. de ſucco Endiviæ, ana, ℥j. S.
Miſce f. Potio.
Vomitus utiliſſimus eſt, hic tamen non eſt ciendus niſi nauſea præcedat; cujus formula hæc erit.
℞ Agarici albi, ʒij.
Rad. Aſari ℈j.
Fiat omnium maceratio ex aquæ meliſſæ ℥ij ß. col. fort. expreſſæ.
Admiſce oxymellis Scillitici, ℥. j.
Et F. Vomitorium.
Faci-

**Facilius eſt abſumpto cibo vomere, quia permiſcentur excrementa cum alimentis.**

# DE QUARTANA.

## CAP. V.

QUartana Febris quandoque Febri ardenti, aut continuæ [1] ſuccedit; quandoque nulli alteri febri, aut morbo ſupervenit, ſed ſpontè oritur.

Quæ Febribus continuis, & maximè ardentibus ſuccedit, ex bile atra aduſtione genita magna ex parte originem habet. Moleſtior autem & difficilior hæc eſt quam aliæ [2].

Quæ nulli alteri ſuccedunt duplices ſunt, vel Puræ [3], & exquiſitæ; vel impuræ & ſpuriæ. Exquiſitæ ſive puræ, ex humore melancolico frigido & ſicco cum ſanguine putreſcente proveniunt. Impuræ ſive ſpuriæ generantur quando cum humore melancolico alius quoque humor computreſcit, bilioſus, vel pituitoſus. Quod ſi plures humores ſimul computreſcunt, Febres naſcuntur Erroneæ certum ordinem ac typum non ſervantes.

[4] Quartanæ omnes cum herrore invadunt, qui medium quiddam eſt inter Rigorem & Frigus, calor inde ſequitur, in ijs quæ ardentibus Febribus ſucceſſerunt, & in ſpurijs bilioſis, ſatis magnus; in alijs verò minor. Sitis non moleſta eſt, niſi quandoque in ijs quæ ardentibus Febribus ſupervenerunt, vel ex bile ſimul permixta. Vomitum bilis negat Galenus in quartanis ſuccedere. Contingit tamen non raro in quartanis non puris bilem vomitione reddi, & quandoque etiam praſinam, aut æruginoſam. Vrinæ incon-

inconſtantes ſunt. In ijs quæ ardentibus Febribus ſupervenerunt ſubinde rubent in alijs, die quæ Febrem præcedit ſubinde tenues ſunt & albæ: die verò paroxyſmum ſubſequente, ut plurimum craſſæ & turbatæ. Incipiunt quartanæ 5 declinante æſtate; veluti & ſingulares acceſſiones etiam declinante die ac poſt meridiem invadunt.

Quædam autem ſub finem æſtatis ante Æquinoctium autumni ſuperveniunt, quæ breviores ſunt. Aliæ poſt Æquinoctium vernum; quæ diuturniores ſunt. Status Quartanæ 6 Solſtitium eſt hybernum; præſertim earum quæ puræ ſunt, & Autumnales. nam Spuriæ bilioſæ, quales ſunt æſtivæ, prius quandoque terminantur; vel multo ultrà perſeverant. Superveniunt Quartanis frequenter ſudores, vel ſanguinis è naribus fluxus, vel alvus lubrica. Nulla harum Vacuationum ſuperveniente vel hydrops Aſcites non rarò ſuccedit; qui & poſt immodicam ſanguinis profuſionem aliquando etiam ſequitur; aut in thoracem humoribus deſtillantibus Phtiſis ſupervenit. Hæmorrhoidum verò fluor in Quartanis accedens, non exiguam utilitatẽ confert, ſicuti & quandoque Dyſenteria. Cuivis Ætati Quartaua ſupervenire poteſt.. Senioribus qui ſexageſimum annum exceſſerunt, valde periculoſa eſt [8]. In hac Febri facilè lien obſtruitur ac dureſcit; & jecinoris ac ventriculi facultates debiliores redduntur 9.

10 In Quartanis qui acutis morbis ſucceſſerunt, non temerè ſanguis eſt mittendus; viribus ex priore morbo languidis, & nondum reparatis. In alijs Quartanis, ſi vires ferant, utile eſt ſanguinem detrahere, ex ſiniſtri brachij media, ſive interna vena. & ſi ſan-

sanguis fluat niger & crassus, audacius,ut Gal. ait, mittendus : si verò tenuis ac flavus statim supprimendus.

Leniter autem initio omnes Quartana laborantes tractandi sunt; & diligenter cavendum,ne ullum intensæ qualitatis sive calidum,sive frigidum medicamentum ipsis exhibeatur.Si quæ autem videantur exhibenda, ea sint aperientia, & lieni maximè accommoda; ut sunt rad. fœniculi,asparagi, capparorum. item asplenium,capillus veneris, fumus terræ, &, si causa frigidior, eupatorium vulgare; quæ in liquore aliquo familiari incoqui possunt. Interim levi aliquo medicamento ventrem quandoque expurgare [12] utile fuerit; ut ex decocto senæ, addito epithymo, vel diacatholico. Injici quoque poterunt Enemata; præsertim alvo existente duriore.

Victus ratio [12] sit ex Cibis boni succi, [13] & facilis concoctionis. Abstinendum à carne suilla, præterea etiam à piscibus; à carne volucrum circa paludes ac aquas versantium: ab omnib. salsamentis & fumo duratis; ab omnib. quæ lentum habent succum, ut sunt animalium extrema. à leguminibus abstinendum, & fructibus crudis : nec casei usus confert.Vtile est vinum tenue, albidum, & non valde calidum. admittitur & cerevisia tenuis ex bonis frugibus cocta. Eo die quo exspectatur paroxysmus à Cibo abstinere valde expedit. si verò id vires non ferunt, cibus exiguus septem aut octo horis ante accessionem dandus erit.In diebus verò intermissionis,ut ad consueta sese exercitia [14] transferant, permittendum est,autore Gal.

In progressu morbi, præsertim circa solstitium hyber-

hybernum,& in quartana pura,vel in ea quæ ex melancholico ſucco cum pituita permixto provenit, liberius calidis [15] medicamentis uti licet. Tunc decoctum thymi, ac hepatorij vulgaris utile eſt. item & piper nigrum aliquot diebus, ut Gal. tradit, ac ſumptum, vel etiam cibis permixtum, ſic & Elect. diatrionpiper.&Dioſpoliticum exhiberi poſſet. Ex purgari & tunc corpus expedit medicamentis paulo valentioribus, [16] quæ atros humores exinaniendi vim habeant, ut eſt confectio Hamech quæ decoctioni ex folijs ſenę commodè additur. Et non ſemel tantum ſed ſæpius, ſi neceſſarium fuerit,ut Gal. monet purgatio facienda; intermedio verò tempore exhibenda quæ aperiant & urinas moveant. Post purgationes Gal. ac Ægineta ſuadent dari Theriacam,aut medicamentũ ex ſucco Cyrenaico [17].Prodeſt verò & Theriaca diateſſaron ante acceſſionem exhibita. profuit verò & nonnullis pulvis zinziberis,& vulgaris uſus zedoäriæ cum vino calente ante acceſſionem datus.

Rondolet. poſt purgationes incipiente horrore ſpinam dorſi ungendam docet ol. calefacientib. ut ſunt ol. ex abrotano, rutæ, nucum ; pyretrum cum oleo. [18] quæ non ſolum faciunt ad horrorem depellendum,ſed etiam ad ſudores evocandos,& ad morbi concoctionem.

Providendum quoque eſt in Quartana viſceribus [19],& maximè lieni,per ea quæ molliunt & aperiunt ut ſunt ung. ex ol. capparorum,liliorum, & rutaceo addito ammoniaco. Item empl. ex ammoniaco diſſoluto in aceto, & cocto, lienis regioni admoto [20] vel aliud ſimile, ut eſt empl. de meliloto cui addi

poteſt

potest empl. ex mucilaginibus. ita .n. fiet empl.
molliens,aperiens,ac resolvens; qualia ung.& empl.
lieni adhibenda maximè esse convenit.

Verè si Quartanæ perseverent, & vires ferant, sanguis non incommode iterum detrahitur, ex sinistro brachio, vel manu. [21] Nonnullis persuasum est si sanguis detrahatur ipso momento quo luna soli conjungitur, citò futurum finem Quartanæ. Post sanguinis missionem repetere etiam aperientia & purgationes utile est, nisi Febris cessaverit. Gal.medicam. Vomitoria apparentib. signis concoctionis etiam consulit; quæ si exhibenda, Veris tempore magis opportunè quam in Hyeme exhiberi possunt. Nam & Hippocr. satis apertè monet, Hyeme à vomitione abstinendum. aph.4.& 6. section. 4. Exhibenda autem sunt vomitoria paulo ante accessionem [22]; sed prius adsumpto cibo aliquo liquidiore, pro vomitiorio sufficere potest Gratiola dicta herba, cujus plus, minus ℥j. decocta cum aliquo jusculo, vel cum cerevisia, vel etiam aqua satis per vomitum purgat decocto ejus assumpto.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Imò & tertianæ, quando non curantur. Hippocr. de Affect. Quartanam ferè præcedunt Erraticæ. nam melancolicus humor fit etiam adustione; quæ dum inæqualiter procedit inæquales periodos facit. Stephan. 1. ad Glaucon. comm. 43.

2. Qua & Atra bilis malignior, & propter adjunctum calorem majoris activitatis est, præsertim illa quæ ex superassata flava bile gignitur; quam melancolia simpliciter dicta; quod & bilis fæce sanguinis magis activa. Vide Gal. de Atra bile. circa initium.

3. Raro

3. Raro videntur Quartanæ puræ; quia semper aliquid Pituitæ permiscetur Melancoliæ. Montan. cons.23.

4. Itaq. illud, ῥῖγη σκληρὰ quod libr. de typis Quartanis tribuitur de diuturnitate potius, quam vehementia, intelligendũ venit. Rigor quum duplex sit, δυσεκθέρμαντος, καὶ σφοδρὸς à Melancolico succo quandoque talem qui non nisi difficulter ad calorem deveniat, quandoque vehementẽ, fieri testatur Gal. 1. comm. in 6. epid. aph. 9.

5. Quadrini circuitus Febrem nunquam Bruma; nunquam hybernis mensibus incipere, Plinius refert l. 7. c. 50. An quod humor frigidus vix nisi tempore fervido putredinem, caloremque concipiat? Huc referendum illud Iuvenalis: Iam lethifero cedente pruinis Antumno; jam Quartanam sperantibus ægris. *Satyr* 4.

6. Quartana tarde finitur, nisi primis diebus discussa est Cels. l. 3. c. 15. Et; vetus Quartana raro nisi Vere solvitur Ib. Durat regulariter per annum, inquit Gordon. quia sicut acuti morbi sequuntur motum lunæ; ita diuturni motum solis id. Ad biennium nonnunquam perdurat. Gal. de typis. Ad annos duos cũ dimidio protractam vidimus, & ultra annis. 1612 & sequentibus tribus. quib. multi Quartanis laborarunt in hisce regionibus. Vide Wieri observatones.

7. In quavis etiam regione; Scotiæ namque prærogativam illam tribuere quod nemo illic Quartana corripiatur, rediculum est. præsertim quum ipsi Scoti id controvertant: Vide H. Steph. de latinitate Lipsij.

8. Sic tamen ut curari possit; quemadmodum in viro amplissimo contigisse vidimus.

9. Ac tum aqua inter cutem producta sæpe intercit. Hippocr. 1. epid. sect. 3. aph. 4.

10. In Quartanis medicina Clinice propemodum nihil pollet, ut Plin. refert l. 30. c. 11. nec idcirco tamen ad Magorum remedia, quod ille facit confugiendum.

giendum. neque enim hic locum habet illud ; Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo. Et potest Clinice prædicere morbi longitudinem ; & omnia nihilominus ad curandum facere quantum subjectum & morbi modus admittere possunt.

11. In Principio non est nimis purganda materia, quia non potest esse concocta. Decipit autem quandoque bene colorata & cum hypostasi urina, in qui parco victu usi benè dormiunt. proveniunt item à cibo concocto ; non à materia morbifica. Jordon. Vide Capovacc. de urinis. Quod si nec hæc adhibere quis velit & alvus dura sit, ex decocto Veronicæ, & carduibened. similibusque facto clystere subducatur. qualib. enematis solis multos curatos testatur Crato, qui initio paroxysmorum tormina ventris sentierant.

12. In Quartanis victus, inquit Aristot. extenuandus non est. 1. Probl. 57. An ut siccitas fœculenti succi corrigatur ? Vide Steph. Athen. in 1. ad Glauc. comm. 140.

13. Danda opera est, ut ne qua cruditas id malum in Quotidianam vertat. nam quartana neminem jugulat ; sed si ex ea facta Quotidiana est, in malis æger est. Cels. 3, c. 15. Robori itaque ventriculi diligenter quantum fieri potest consulendum.

14. Oportet exercitijs uti ; & quo die paroxysmus futurus est, somnum vitare conducit. 1, Prob. 57.

15. Ignis corporibus indendus est, ut à majori inquit Aristot. minor, qualis in Quartanis existit, marcescat ; quemadmodum lampadis à majori igni flammam extingui videmus. quod enim multum est id quod exiguum est ad se rapit. 1. Probl. 57.

16. Veteres Veratrum dabant. Æt. 1. tetrab. 3. c. 125. Recentiores etiam decoctum, infusumque cort. rad. elleb. nigri. ʒ. j. aut ʒ. j. ß. cum fol. senæ, rhabarb. & correctorijs exhibent : Aut etiam pil. Cochias cum elleboro nigro factas. Sed quæ Dodon. proponit tutiora sunt. Gal. alb. veratri etiam

meminit, quo Paulus prudenter abstinet. cui quàm Salio tutum id prædicanti fidem adhibere, latius fuerit.

17. Qui Laser & Silphium dicebatur. Cyrenaicus autem succus, quod arenæ Cyrenes Laserpiciferæ essent. Sunt qui Assam fœtidã esse contendant. Autor succum Angelicæ se cum illo contulisse, & prorsus eundem reperisse, quum hæc dictaret narrabat. Succi condensati loco Extractum illius sumi poterit.

18. Commendatur & linimentum ex Theriaca & succo rutæ quo spina dorsi immediatè ante paroxysmum ungenda, & linteo calido admoto, in lectum mittendus æger.

19 Fovenda pars quæ invadente paroxysmo dolet. illic enim focus Febris plerumque existit.

20. Addunt quidam pulv. fol. senæ, rad. cappar. ellebori nigri, colocynth. & elaterij, atque cum ol. chamom. & pauca resina ceratum quasi faciunt.

21. Venam nonnulli die paroxysmi majori cum fructu secant; quod omnis tum materia morbifica in motu sit; ideoque facilius educatur.

22. Hippocr. κατ' αὐτὴν τὴν λῆψιν, in ipsa invasione exhibet. libr. de Affection.

## NICOL. FONTANI

### *Annotatio V. in Caput V.*

[*Quartanæ omnes cum horrore invadunt, qui medius est inter rigorem, & frigus.*]

Non statim hæc febris cum rigore vehementi primo invadit die, sed talis est, qualis ijs, qui frigescunt gelu vehementi, progrediente, & adauctâ febre unà rigor augetur, invalescitque quotidie, usque ad totius morbi augmentum.

Sensus rigoris non est pungentis, & stimulantis cutim, sicut in *Exquisita*, sed inducentis algorem vehementem, & tanquam ossa frangentis.

De differentia rigoris *Tertianæ*, & *Quartanæ*, vide *Galenum lib.2. de diff. Feb. cap.5. & 2. de Crisib. cap.4.*

Et si scire vis, an frigidi humores rigorem efficere valeant, lege commentarium Valleriolæ. cap.5. libro de differentijs simpt.

Curatur sex remediorum generibus.

Semper ab alimentis flatuosis, & melancholicis, nec non leguminibus. salsis, cavendum.

Potus sit vinum rubellum mixtum aquâ Boraginis, Melissæ.

Clyster paretur talis.

℞ Fol. Boraginis,
Buglossæ,
Mercurialis,
Malvæ,
Bismalvæ, ana M. j.
Furfuris ping. M. S.
Sem. Fæniculi, ʒ ij.
Coquantur ex S. q. aquæ hordei ad ℥ ix.
Colaturæ admisce
El. Diacatholici,
Conf. Hamech, ana ℥ j.
Butyri recentis ℥ j. S.
Salis, ʒ j. Misc. f. Clyster.

Potio.

℞ Rad. Polipodij quercini, ℥ j.
Rad. Boraginis, ℥ ß.
Herb. Lupulorum, Buglossi,
Boraginis, Melissæ, ana M. j.
Scolopendrij, M. S. Fænic. ʒ ij.
Coquantur ex aqua hordei ad lib. ij.
Col. adde
Syr. Byzanthini simpl.
Boraginis.
Ex mult. Inf. Violariæ, ana ℥ j.
Misce, fiat, potio.

Haustus.

℞ Fol. sennæ à stipitibus mund. ʒ iiij.

Epythimi. p. j. ſem. aniſi ʒj.
Macerentur per noctem in S. q. aquæ Fumariæ, mane colat. ℥ijß, fort exp.
Admiſce
Confectionis Hamech ʒiiij.
Syr. Violati ex mult. Inf. ℥. S.
Et F. Hauſtus.

Laudo vomitorium in jnitijs acceſſionũ. Et hoc erit.
℞ Decocti rad. Raphani, ℥ij S.
In ijs macerentur per noctem
Agarici Alliſſimi ℈iij.
Rad. Aſari ℈ij.
Mane col. ℥ij. S. Fort. exp. admiſce
Oxymellis ſcillitici ℥j,
Et Fiat vomitorium.

Sic & venæ ſectionem, etiam in initio, ut ita fluxio humorum intercipiatur, antequam fluxerit ad focum putredinis. Si ſanguis, ſectâ venâ, flavus exit, cohibendus, ſi craſſus, exire permittendus; nam emanante flavo vires fatiſcunt, & terreſtris craſſuſque remanet in corpore, obſtructiones augens; qui facilius purgationibus educitur.

Sanguinis miſſio exercenda eſt ex brachio ſiniſtro ſemper, & ex Baſilica, ut obſervemus rectitudinem cum liene, quod membrũ fere in hoc morbo laborat.

Hæc curatu difficillima eſt, & ideo eam dies, & quies ſanat, teſte *Ætio tetrab. 2. cap. vlt. in fine.*

## DE ERRONEIS FEBRIBUS.

### CAP. VI.

ERraticæ Febres eodem ferè modo quo Quartanæ curandæ.

Initio ſanguis mittendus; ſed potius è dextro, quam ſiniſtro brachio,

Exhi-

Exhibenda quæ viſcerum obſtructiones aperiunt,
ſimul lentos ac craſſos humores attenuare queant;
eſt decoctum ex radicibus fœniculi, petroſelini,
apij, capparorum; & ex herbis, ut fumo terræ, cuſ-
uta, eupatorio vulgari, chamædr. addito aceto, aut
xymelite. item & ſyr. acetoſus compoſ. vel de
yzant. cum aceto, aut aliquis ſimilis.

Purgantia medicamenta tempeſtivè adhiberi in
ujuſmodi Febribus commodum eſt; & talia quæ
iverſos humores educunt, ut ex rhabarb. agarico,
ol. ſenæ, epithymo, compoſita: Vel ex elect. dia-
athol. diaphœnici. & conſ. Hamech; vel ſimili ali-
uò. Vomitoria etiam medicamenta; quale eſt è gra-
iola, in hujuſmodi Febribus ſubinde multum pro-
uerunt

Victus ratio poteſt eſſe talis, qualis in Quartana.

Ad has, & Quartanas referendæ, quas Hippocrat.
1, Epidem. Quintanas, Septimanas, & Nonanas ap-
pellat. quales tamen Gal. 1. de differ Febr. 3 refert
ſe nunquam obſervaſſe manifeſtè, ſcribens ſe nullum
circuitum febris unquam videſſe, quæ ultra quatri-
duanum extenderetur.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Quando plures humores ſimul putreſcunt, er-
raticæ fiunt, ut ſupra dixit autor. c. de quartana. In-
ter hos quum ſint & illi qui Quartanam inducunt,
craſſi nempe, qui obſtructiones faciunt; ideò curan-
dæ deobſtruentibus, ut ſunt illa quæ attenuant &
detergunt.

2. Eleoſelini, ſeu paludapij.

3. Vide etiam quæ ſcribit comm. 2. ſect. 3. libri
1. Epidem.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio VI. ad Caput. VI.*

Auctor in hisce brevis, brevior ego; tum, quia inconstantes, & vagæ Febres, utpote ex melancholico humore, pronatæ, eandem cum Quartana expostulant curationem. tum, quia solummodo in usum tyronum præscribendi ex præscriptis formulam constringam.

℞ Rad. fœniculi, Apij,
Petroselini, ana, ℥ß
Cort. Rad. cappar.
Tamarisci, ana, ʒiij.
Herb. Fumariæ,
Buglossæ,
Boraginis.
Eupatory Vulgaris, id est, aquatici.
Chamædryos,
Melissæ, ana M. j.
Trium florum cordialium ana P. I.
Coque ex S. q. aquæ Hordei ad lib ij. S.
Col. adde
Syrupi Byzanthini simpl.
Syr. ex mult. Infus. Violarum,
ana ℥ij.
Misce, fiat apozema.

Humore ita præparato secundum virium robur, & humoris redundantis qualitatem expurgabis.

℞ Fol. sennæ â stipitibus mundatorum, ʒiij.
Rhabarbari Electi,
Vel.
Agarici albissimi, ʒij.
Macerentur per noctem, supra cineres calidos, in decocti fumariæ ℥iij.
Mane facta una, atque altera ebullitione, adde expressioni.

Vel. Confectionis Hamech,
Vel. Elect. Diacatholici,
Vel. Diapruni, ℥iij.
Et fiat. S. art. Haustus.

De Quintanis, Sextanis, Septanis, & alijs lon-
ioribus Febribus mentionem quidem facit, sed di-
it *Galenum* eas nunquam observasse: quod quam-
is ita sit, eas tamen omnes concedit *Hippocrates*
*.Epid.Sect.*3. *Textu.*7.*&* 9.Quarum curationem vi-
ebitis apud *Avicennam*, 1-4.

Hæ omnes sunt periculosæ, quia ut ex ipsarum
uratione, & longitudine, causis item, patet, ob-
tructiones longas sibi annexas habent, & ita ad *Ta-
em* tandem deducunt ægros: sed potissimum Quin-
ana, quæ omnium est pessima, ex *Hippocrate* citato.

## DE FEBRE QUOTIDIANA.

### CAP. VII.

QUotidiana exputrescente cum sanguine pituita provenit, humore videlicet humido, frigido, ac saporis experte.

Cum Frigore extremarum hæc Febris invadit, absque horrore, aut rigore. Calor qui succedit non intensus, aut acris est, sed remissus, ac blandus, velut ab aqueo vapore. Sitis in hac febri non molesta est. Nausea ac cibi fastidiũ sæpè adsunt. Vomitus pituitæ quandoque accedit. Quæ per inferiora excernuntur humidiora, crudiora, ac liquidiora sunt. Universum corpus crudis humoribus plenum invenitur. Facies sæpè tumida ac pallida est; tum & reliquæ corporis partes. Distillationes ex capite quandoque comitantur. Vrinæ sunt crudæ, albidæ, ac tenues; vel

craſſæ & turbulentæ; vel etiam rubicundæ teſte [1] Galeno. Obnoxij hujuſmodi Febribus maximè ſunt [2] pueri, præſertim natura humidiòres: & ſenes quandoque; tum & omnes ij qui craſſi ſunt ac pituitoſi, inque otio & crapulis degunt; ac liberaliori potu utentes, præſertim craſſioris cereviſiæ. Superveniunt Quotidianæ in regionibus humidis ac frigidis; & in anni tempore ac aëris conſtitutione frigida & humida.

Diuturnæ ſunt Febres, & acceſſiones habent longas ad duodecim [3] horas quandoque extenſas.

Sanguinis miſſio quæ in alijs Febribus utilis, in quotidiana minus convenit, propter humorum cruditatem: nam ubi humorum crudorum redundantia ad ſanguinis miſſionem vires [4] non ſufficiunt, ut in libro de curandi rat. per ſang. miſſion. Gal. apertè docet.

Et quandoquidem in hac facilè viſcera obſtruuntur utendum incidentib. & aperientibus. Commendatur oxymel, & omnia diuretica [5], ut ſunt rad. apij, petroſelini & pimpinellæ, ſaxifragæ. Ex herbis origanum, hyſſopus, ſatureia, thymum, betonica, chamedrys, marrhubium. Ex Syr. de radicib. de Byzantijs cum aceto.

Quod ſi expediens videatur corpus purgare, facienda purgatio cum [6] agarico, vel in robuſtioribus cum turbith; vel cum hiera picra addito agarico, vel cum aliquo potentiore; vel cum el. diaphœnic. vel Indo [7].

Cibus ſit facilis concoctionis, additis calidis herbis, ut petroſelino, origano, hyſſopo, thymo; vel calidis ſpeciebus. Exhibere quandoque licet jus cicerum rubro-

mbrorum. Vinum concedendum; album tamen, non rubens; nec valde dulce, aut crassum.

¶ Prouidendum quoque est Ventriculo veluti Vng. ex ol. nardino, vel ol. de mentha; additis ol. mastich. vel ol. ex nuce muscata, vel ol. ex Caryophyllis. quod reliquis potentius est. Admoveri etiam potest ceratum stomachale, vel sacculi ex herbis, & seminibus, & alijs odoratis calefacientibus, ut ex absinthio, origano, mentha, si odor non offendat, rosis, sem. amnios, anisi, carui; addito cinnamomo, Caryophyllis, mastiche.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Ad Glaucon. l. 1. cap. 7.

2. Quia propter voracitatem etiam cruditates multæ coacevari in pueris solent; ut & in senib. propter defectum caloris nativi.

3. Vel etiam 14. aut 20.

4. Vires enim augent non quæ ingesta; sed quæ concocta, distributa, & partibus adposita sunt.

5. Acria enim & incidentia sunt, ut docet Gal. 5. de simplic. facultat. c. 13.

6. Ventriculum enim non perturbat; unde & medicina familiæ dicta fuit; & tamen ejus frequenti usu Quotidianam curari posse, testatur Avic.

7. In artis operibus sæpè vidimus, dictum quidem & ab antiquis, sed raro, nempe fieri sæpe quotidianam ex pituita putrescente vel in ventriculo, vel in intestinis; ejuscemodique Febrem cessare intra quartum, vel quintum diem, causa Febris per clysteres solos vacuata. Steph. Athen. comm. 1. in l. ad Glauc. 64.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio VII, in Caput VII.*

Hæc Febris pituitosa est, quare aut intermittens est, aut continua. *Amphimerina* vocatur à *Galeno. 2. de different. Feb. cap. 7.* Extenditur non solum ad quadragesimum diem, sed usque ad sexagesimum quartum, & ultra.

In eà incrementum valdè longum est: quoniam, cum materia sit crassa, frigida, & lenta, longo indiget tempore, ut concoquatur: ut constat in lignis viridibus; quare etiam si intermittens, tamen non caret periculo, ut ait *Galenus* 1. *ad Glauconem, cap.* 8. nam in eà læditur ventriculus cujus læsio solet afferre simptomata gravissima, auctore *Avicenna* 1-4. *tract.* 2. *cap.* 48.

Hæc phlegmatica Febris, aut est diurna, quia interdiu invadit, & noctu intermittit; aut nocturna, quia, noctu invadit, & die intermittit.

*Hippocrates* 1. *Epid. sect.* 3. & 6 tradit, Febrem nocturnam esse longam, & non admodum lethalem. Diurnam vero longiorem, & deteriorem: quia hæc crudi humoris acervat copiam, unde fit magis improportionalis.

[*Hæc Febris est familiaris pueris*] Quoniam abundant pituita, cum sint voraces, & moveantur inordinatè.

[*Et senibus*] hi enim propter inopiam caloris, & diminutas concoctiones, abundant succis crudis.

Etiam est familiaris *Naturis pituitosis*, & his qui vitam otiosam agunt; nam hi patiuntur assiduas acidas cruditates. Nec non ijs, qui post assumptionem cibi se nimis exercent, aut Veneri indulgent, aut balneis utuntur, quia crudum & nondum concoctum cibum in omne corpus alliciunt.

Et quamvis *Galenus* affirmat 1. *ad Glauconem cap.* 7 se nom-

ut numquam vidisse juvenem biliosum Quotidiana correptum, tamen non negandum, id accidere posse cum longa experientiâ hac affectos persæpe vidimus, quoniam omnes morbi omnibus temporibus, omnibus naturis, & ætatibus possunt accidere, licet quædam magis in quibusdam fiant, & exacerbentur ut *Hippocrates ait* 3.*aph.* 19. Quia humor qui est morbi causa, non semper abundat pro ratione temporis, naturæ, ætatis, sed pro vivendi ratione.

Bonum est, si desinat cum sudore; dicit *Avicenna*: quia significat tenuitatem, & paucitatem materiæ. In hâc aliter victus ratio est instituenda.

Cibi, & medicamenta debent habere vim inscindendi, attenuandi. & modicè calefaciendi: nam causa Febris, uti dixi, est humor frigidus, crassus, lentus, qui, ut coquatur, postulat calefieri, inscindi, & attenuari.

Tempore accessionis vomitorium convenit exhibere: ut docet *Avicenna* 4 - 1. *Tractu.* 2. *cap. de cur. Feb. phlegmaticæ.*

[*Sanguinis missio*] Quamvis Galenus, Paulus, & Ætius in curatione hujus Febris venæ sectionem prætermittant, tamen ego eam nonnumquam propono cum *Avicenna*; qui optime rem distinguit cap. citato. quo ait, in hac Febre, si cum abundantia pituitæ, simul abundat sanguis, est phlebotomandum, ad deponendam plenitudinem, & maximè, si humores crudi sint, ut scitè notavit *Galenus libro de curandi rat. per sang. miss. cap.* 11. *& lib.* 4. *de sanit. Tuenda cap.* 4.

## DE EPIALA FEBRE.

### CAP. VIII.

EPialæ [1] ex genere sunt quotidianarum. In his simul febricitant ac rigent ægrotantes; & utrumque percipiunt eodem tempore in omni corporis [2] parte. Prove-

Proveniunt ex humore frigidiſſimo, ut ex acida pituita, vel etiam vitrea [3], quum ex dimidio computreſcit, vel quum aliæ partes putreſcunt, aliæ verò non. Gal. de inæquali intemperie hujuſmodi febrem fieri adſerere videtur quando pituitoſi frigidi ſucci, & amara bilis ſimul abundant, & per ſentientia corpora mouentur, ita ut calidum & frigidum tenuiſſimis particulis ſit aſperſum.

Curatio hujus ſimilis cum curatione ipſius quotidianæ, niſi quod potentiora & efficaciora referat eſſe medicamenta tantò, quantò materia morbi eſt frigidior.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Ἠπίαλος Atticis quibuſdam dicitur Rigor qui Febrem præcedit. Gal. 2. de febr. differ. c. 6. Sic apud Pollucem hæc conjunguntur; φρικὴ ψυγμὸς, καὶ ῥῖγος ἠπίαλος. Et ῥιγοπύρετον voce Epialon denotari ſcribit Euſtath. Hoc tamen loco ſpeciem Febris ſignificat qualem Gal. ex Archig. d. l. deſcripſit.

2. Ariſtoteles quidem ſcribit τοῖς ἠπιάλοις ſimul cũ Rigore ſitim moleſtam eſſe. verum id fieri quod non idem locus refrigeretur, & calefiat. Problem. ſect. 27. problem. 2. Quem forte ſecutus Ioubertus negat ab eodem utrumque percipi & frigus, & calorem; ſed ab ægro frigus duntaxat, ab alio tangente calorem. ac calorem quidem fieri à pituita bili permixta in corde putreſcente; frigus à pituita liquata deſuper, ut ex capite per habitum defluente, Febres has Catarrhales vulgo dici &c. 2. Pract. cap. penultimo. Sed Archigeni. Gal. aliiſque viris in arte medica exercitatiſſimis hac in re fidẽ temerè derogare non debemus. neque enim vidẽt omnes omnia omni tempore. Locus autem ex problemat. adductus

…us de invaſione paroxyſmorum accipiendus, uti … Gal. accepit libr. de inæquali intemperie.

3. Acrimoniam enim, ut & acetum, habent, præ… …ertim ubi putruerint: ut non minus quam bilis Ri… …orem facere poſſint, quando per totum habitum …eruntur, propriè tamen dictum Rigorem bilis facit …al. 4. aph. 63. comm.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio VIII. ad Caput VIII.*

[*In omni corporis parte*] tam interioribus, quam ex…terioribus, tam majoribus, quam minimis, ſimul ut …docet *Galenus* 2. *de differentijs Febrium cap*. 6. æger ri…get, & Febricitat.

Eſt intemperantia inæqualis, compoſita ex calore, & frigore, ex pituitâ vitreâ ſuborta; quæ putrefacta, calefacit nonnullas, & alias partes refrigerat. Quam ſententiam ſequitur *Galenus*, *Paulus*, & *Ætius*; qui etiam affirmant, hanc poſſe concitari ex pituitâ, & flava bile, ut atteſtatur noſter auctor.

## DE CONTINUIS.

### CAP. IX.

FEbris quæ Synechees [1]. h. e. continua dicitur, à Synocho differt. Continua exacerbationes habet & remiſſiones, ſed ad apyrexiam non pervenit. Synochos verò unicam habet acceſſionem, ab initio ad finem perdurabilem.

Continuarum autem febrium quædam ad Tertianas [2] accedunt; nonnullæ ad [3] Quartanas; nonnullæ ad Quotidianas. Tertiana continua Cauſos [4], &

Febris

Febris ardens proprie dicitur; præſertim ſi duplex fuerit. harum verò ardentium febrium quædam exquiſitæ ſunt, ac puræ; aliæ minus exquiſitæ, ſive impuræ.

Comitatur ardentes febres exquiſitas intenſus calor; mordax quoque ac acris [6]. ſitis valdè urget. lingua ſicca ac aſpera eſt. Vomitus ſi ſuccedat admodum bilioſus, ſudores copioſi erumpunt. Vrinæ admodum rubent, magna in pulſu celeritas, & frequentia. Vigent hujuſcemodi febres in ſummo æſtatis fervore. frequentes ſunt in calidis ac ſiccis regionibus. Qui autem temperamento ſunt calido ac ſicco promptiſſimè in has incidunt; præſertim ſi ex laboribus, aut exercitijs defatigati fuerint, aut inediam paſſi.

In minus exquiſitis ardentibus, ſive impuris calor mitior ac minus acris eſt, ſitis [7] non ſemper adeò magna, nec lingua uſqueadeò aſpera, ſed frequentius [8] albis ſordibus gravata.

Superveniens autem febrib. ardentibus rigor [9], bonus eſt. nam quæ febris continua fuit in intermittentem [10] permutatur, aut æger à morbo liberatur. Aph. 58. ſect. 4.

Aliæ Continuæ, ut Quotidianæ, & Quartanæ, non ſunt Ardentes febres. Contingit tamen, ſic quandoque nominari, ſed impropriè. Quotidiana continua ſimilis eſt quod ad accidentia attinet [11], intermittenti. ſed exacerbatio cum frigore non incipit, nec ad apyrexian pervenit; ſed priuſquam una acceſſio deſinat [12], altera ſupervenit.

Quartanæ continuæ quarto quoque die exacerbantur; ſed citra horrorem acceſſiones earum invadunt

sunt; nec integrè desinunt. Istæ si triplices fuerint difficulter ab impuris ardentibus agnoscuntur. Habent tamen hoc proprium, quod accessiones earum post meridiem aut circa noctem superveniunt; & quod citò in intermittentes mutentur.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Quando pro specie accipitur hæc vox, quæ contra Synochum dividitur: nam & generis nomen est, quod Synochos, & Continuas ambitu suo complectitur. Gal. 2. de differ. Febr. c. 2.

2. Quæ alternis dieb. exacerbabantur ac τριταιοφυεῖς veteribus dicebantur.

3. Rarissimè videntur Quartanæ continuæ. 1. Epid. sect. 3. aph. 2.

4. Ac propterea ὁμογενεῖς dicuntur à Gal. 2. de Crisib. Causus, & Exacta Tertiana.

5. Has duplices Tertianas & Quotidianas continuas quidam Hemitritæorũ nomine indigitabant, quod Gal. tamen se facere negat. 2. de febr. differ. initio.

6. Hæcque duo simul juncta proprijssimum Causi signum, atque indicium sunt. 4. Acut. 1. & 4. comm. & 3. epidem. sect. 3. aph. 34.

7. Præsertim si destillent humores ex capite.

8. Ob pituitam adustam. hinc istud apud nos sæpissimè; linguæ verò asperitas, qualis in puris Causis esse solet, non ita sæpe conspicitur.

9. Quando sequitur remissionem prioris paroxysmi, ut sit initium subsequentis. Si autem in vigore paroxysmi accidat, lethale est. nam significat interiora uri, exteriora frigere. Ita conciliandi aph. in textu sup. citaits cum 46. ejusdem libri 4.

10. Major nempe morbus in minorem; quod minus malum est.

11. Ideoque nec de curatione harum, præter illa quæ de Intermittente supra scripta sunt, necessarium fuit dicere.

12. Quod pituitosus humor ægrè discutiatur.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio IX, in caput IX.*

[*Synechos*] hoc est, continua, & synochus non differunt nominis origine, sed vocis usu & putredine, ut doctè consul Sebastianus notat.

## DE SINOCHIS FEBRIBUS.

### CAP. X.

SYnochus febris quæ nullas habet exacerbationes, duplex est. vel enim à sanguine fit citra putredinem inflammato, vel à sanguine in omnibus vasis maximis æquabiliter putrescente [1]. Inflammatur autem sanguis quia non eventatur, & vapor calidus non transpirat [2]; qui retentus ea quæ contingit calefacit. prohibetur autem transpiratio propter cutis densitatem, obstructis videlicet exilibus meatibus. obstruuntur autem & constipantur corporis isti meatus vel propter balnea adstringentia, ut sunt aluminosa, vel propter externum frigus, vel alia [3] simili causa. Similis autem hæc febris Diarijs habetur. quandiu citra putredinem consistit. tunc enim calor [4] ejus mitis, ac blandus sentitur. Vrinæ [5] sanorum similes sunt, & in pulsu nulla [6] inæqualitas depræhenditur. Sed quando istæ febres diutius consistunt cito in Synochum cum putredine mutantur; sanguis enim quum calidus sit & humidus prohibita tran-

spira-

spiratione citò putrescit. Contingit verò & synochum cum putredine fieri non præcedente altera, tunc videlicet, ubi tanta est sanguinis copia ut gravet vires. quando enim vires copia sanguinis gravantur, bonitatem naturæ suæ sanguis amittit. quà missâ fieri nequit ut non computrescat, ut Gal. 9. Meth, ostendit. In synocho autem putrida Vrinæ à naturali constitutione mutantur. in pulsibus inæqualitas apparet; & calor [7] minus mitis aut blandus sentitur.

Excitatur synochus in ijs, qui ætate sunt vigente, & natura calidi, & in carnosis bono habitu præditis. qui denso sunt corpore, sanguineque multo abundant. Tempus autem harum febrium maximè vernum est, teste Aetio [8]. Qui autem raro ac soluto sunt habitu, corpore graciles, ætate ac temperamento frigidi, hujuscemodi febribus non corripiuntur.

Curatio autem Synochorum in abundantis sanguinis evacuatione consistit, in caloris præter naturam exstinctione, & obstructarum partium, si quæ restant, apertione.

1. Ad sanguinis autem detractionem in utraque Synocho festinandum; quem ex dextri brachij vena media, vel interna duci expedit pro virium ratione. nam quibus sanguis tempestivè detractus non est in aliquod gravius [9] malum incidunt; nisi sanguis è naribus erumpens, vel aliunde profluens ut per menses, aut hæmorrhoides; vel etiam copiosus sudor superveniens, ipsos à periculo eripiat.

2. Calor autem præter naturalis victus ratione frigida & humida adimetur; ut aqua decoctionis ptisanæ, & [10] cremore ptisanæ, qui solus pro cibo

ſufficere poteſt,donec febris ceſſarit; nam tenui vi-
ctu in febre ſynocho utendum eſt.Sunt & alia refri-
gerantia non inutilia, ut lactuca,lapathum, oxalis,&
ſimiles herbæ.

3. Meatus obſtructi ſudoribus ſuccedentibus 11
aperiuntur, quod ſi tanta fuerit conſtipatio ut ſudo-
res erumpere non queant balneum aquæ dulcis ſuc-
currere poterit. Aquæ frigidæ potionem ſynochis,
& febribus ardentibus utilem Græci tradunt medi-
ci; ſed ut tutò exhiberi queat quædam requiruntur.
1. Vt venæ ſectio,& Purgatio,ubi convenit, præceſ-
ſerint. 2. Vt in urinis manifeſta appareant ſigna con-
coctionis. 3 Vt non propinetur niſi in ſtatu & mor-
bi & paroxyſmi ; & tunc quidem tantum quantum
12 ægrotanti libet. 4. Vt æger ſit aſſuetus frigidæ
potioni ; & validis viribus,nullo interno viſcere de-
bili, aut malè affecto. 5. Vt aqua ſit pura, & vitio
carens. Abſtinere autem ab aquæ frigidæ potione
convenit eos qui graciles corpore ſunt, & modicum
ſanguinem habent, ut ſunt qui Hectica febre labo-
rant, citò enim aqua frigida ſolidas corporis partes
13 carne nudatas offendit. Abſtinere etiã debent na-
turâ frigidiores, atque in ſenectute conſtituti. Pro-
hibenda quoque eſt aquæ potio tempore hyberno,
inque locis frigidioribus Ab aqua frigida & eos ab-
ſtinere expedit qui febribus laborant non exquiſitis
ardentibus, & tertianis impuris , vel alijs ex craſſis
frigidiſque humoribus originem habentibus. Inuti-
lis quoque. & incommoda aquæ frigidæ potio om-
nib. qui internum aliquod viſcus debile 14 habent,
vel obſtructum,vel alioquin ab Eryſipelate; inflam-
matione, vel tumore aliquo malè affectum habent.

Aqua

Aqua enim frigida intempeſtivè, & ubi non convenit exhibita, crudos lentoſque humores attenuari & concoqui non permittit, obſtructiones auget, & inflammationes, eryſipelata, alioſque tumores reſolvi impedit. & licet fortaſſis dum ſumitur, vel mox à ſumptione conferre aliquid videatur; morbum tamen reddit difficiliorem, & in periculum ac vitæ diſcrimem ægrotantem non rarò adducit. nonnullis enim ſtomachus, aut ventriculus ipſe, alijs pulmo, vel ſeptum tranſverſum, vel hepar, vel renes, aut veſica, aut alia pars adeò graviter offenditur, ut difficilis inde conſequatur affectus, ut difficilis reſpiratio, cibi cruditas, coli, renum 15, aut veſicæ dolores, & convulſiones vel tremores.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Differentia Epacmaſticæ, Paracmaſticæ, Homotonæ, nihil ad curationem facit. nam creſcit remedijs non adhibitis. decreſcit adhibitis, difficulter conſiſtit: quod ſi contingat Homotona dicetur.

2. Aet. comparat vino novo in vaſis efferveſcenti. ſerm. 5. cap. 70. calefactus eodem pacto ſanguis rare fit; atque ita loco contineri non poteſt.

3. Ut mora diutina ſub ſole; (quod tamen rarum eſt,) vel à ſordibus.

4. Calor ſequitur materiam in qua eſt; in bile acris exiſtit; in ſanguine mitis eſt.

5. Serum enim ſanguinis ſunt; ideoque illo nondum putreſcente mutari non ſolent.

6. Poteſt eſſe magnus, frequens, celer. inæqualis eſſe non poteſt.

7. Sanguinis enim tenuiores partes in bilem mutantur.

8. Serm. 5. cap. 70.

9. Quia non superveniunt nisi in Plethora; à qua quantum periculi sit liquet ex Aph. Hippocr. de habitu athletarum. quidam ab hac mutus factus sola phlebotomia curatus fuit. fiunt & Syncopæ, non defectu, sed suffocatione spirituum. Angi[n]æ itidem, ac Catochæ. metus itidem ne venæ rumpantur.

10. Id est, substantia hordei mundati, (quod ptisana veterum est) ex decoctione relicta. Refrigerat autem, & satis nutrit ad sustinendum vires donec morbus cesset.

11. Apertos poros indicat sudor, illo itaque procedente sufficienter, de apertione non est laborandum.

12. Non tamen ultra quam libet, bibere cogendus est.

13. Inter quos præcipuæ sunt nervosæ. nervis autem frigidum inimicum. 5. Aph. 18.

14. Sive ex naturali intemperie, sive ex vitio adscititio.

15. Calculo, aut crudis humoribus qui alioquin descensuri erant, illic retentis.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio X. ad Caput X.*

Differentiam, *Epacmasticæ*, *Paracmasticæ*, & *Homotonæ*, nihil ad curationem facere, vobis persuadere conatur auctor; tamen hanc distinctionem ego utilem fore ad majorem notitiam, puto, cum *Galeno* 9. *Meth.* 3.

Synechis, seu continua febris putrida, est duplex: una in qua humores æquabiliter, altera, quum inæquabiliter putrescunt in magnis venis.

Quum æquabiliter putrescunt, consurgunt tres Febrium differentiæ iisdem nominibus distinctæ, quales fuere in *Synocho* non putri.

Una *Homotonos*, quoties putredinis par est modus toto morbi cursu. Altera,

Altera, cum plus putrescit, quam discipatur, & Epacmastica nominatur.

Tertia, cum minus putrescit, quam dissipatur, & *Paracmastica*, vocatur.

*Paracmastica*, vacat periculo, quia ejus putredo, & causa sensim minuitur. Non item *Homotonos*, aut *Epacmastica*, in quibus accurate est considerandus quartus morbi dies, qui est index septimi, ex *Hippocrate* 24. *aph. sect.* 2. qui naturæ motum & crisim futuram in septimo die ostendit, vel ad salutem, vel ad mortem.

[*Ad sanguinis autem detractionem in utraque Synocho, festinandum*] Evacuatio fit per venæ sectionem; idque ab initio, ut monet *Galenus lib.* 9. *Meth.* & 11. *Meth.* ob suffocationis, vel syncopes periculum.

Eâ, plethora minuitur, & putredo arcetur.

Facienda est venæ sectio usque ad animi deliquium, ex *Galeni mente* 9. *Meth.* 4, & 5.

Sed in imputri citius ad eam properandum, quia vires magis sunt liberales, & sanguis in alios humores non est conversus, & hinc pateat erralse Bauderonium lib. praxios cap. 10, dum contrarium sentit contra principum medicorum mentem.

[*Ipsos à periculo eripiat*] Hoc fit Crisi quæ quinque vel sex modis in omnibus morbis salubris, vel insalubris fieri solet: nempe, per Hæmorrhagiam narium, vel per vomitum, vel alvi fluxum, vel sudores, vel urinas, vel per parotidas, in malignis & pestilentibus Febribus, evenientes.

[*Aquæ frigidæ potio in synochis, & Febribus ardentibus utilis.*]

Melior est cocta, vel stillatitia, ut aqua hordei, Boraginis, Buglossæ, Acetosæ, & similes; quia nostra regio magis tendit ad frigiditatem, & in ea aquosi redundant humores, qui copioso frigidæ potu incrudantur, & ad evacuationem fiunt magis inepti.

Si conditiones requiras huic potui necessarias, lege *Galennm* 9. *Meth. cap.* 4. Et Amatum Lusitanum Schol. 3.

# DE FEBRE ARDENTE EXQUISITA.

## CAP XI.

IN febre ardente exquiſita, ex bile videlicet in magnis vaſis cum ſanguine putreſcente, tempeſtivè quoque, ſi vires ferant, ſanguis detrahendus eſt.

Humores deinde præparandi ſunt refrigerantibus, ut ſunt intybum, lactuca, violaria, oxalis &c. quorum decoctum exhiberi poteſt vel per ſe, vel cum ſyr. aliquo, ut de violis, de ſucco intybi, de ſucco oxalidis? ſyr. de ſucco limonum, vel ex acetoſitate citri utiles quoque ſunt: qui & per ſe dari poſſunt. Loco verò decocti exhiberi poſſunt aq. ex ijſdem herbis deſtillatæ cum quib. ſyr. dilui poſſunt. Purgatio inſtituenda ex ijs eſt, quæ leniendo & refrigerando Bilem ſubducant; ut eſt ſyr. ex frequenti infuſione roſarum, præſertim cum infuſo rhabarbari datus. infunditur autem rhabarbarum in decocto herbarum jam dictarum & ſem. quatuor frig. major. additis prunis, & myxarijs aliquot. Quibus autem hujuſcemodi levis & naturæ familiaris purgatio non ſufficit, dari poteſt diacatholic. vel el. de pſyllio, vel diaprunum. quæ tamen non niſi valdè robuſtis exhibentur. In ſtatu morbi aq. frig. liberalis potio admitti poteſt; obſervatis conditionibus antè dictis.

Victus ratio per univerſum morbi tempus tenuis eſſe debet, & ſimul humectans ac refrigerans. Ptiſana utiliſſima eſt, cujus cremor commodè exhibetur.

tur. poteſt & ipſa cum pullo gallinaceo [3] decoqui, atque jus ejus propinari. Herbæ etiam utiles ſunt, ut lactuca, oxalis, intybum, & ſimiles quæ cum pullo decoqui poſſunt.

Potus ſit decoctum ptiſanæ [4], vel ſimilis refrigerans. conceditur etiam nonnihil aqua pura [5] in qua macerati ſint limones decorticati, in tenues laminas ſciſſi, addito exiguo ſaccharo. Aer quoque loci, in quo æger cubat, refrigerandus eſt. pavimentum crebrò aqua frigida aſpergendum. inferendum gramen virens, vel vitis, aut ſalicis folia, aut polygoni, aut plantaginis, &c. ſalicis etiam rami circumquaque ponendi; feneſtræque quæ ſolem non admittunt, pateant [6]. Providendum quoque in hujuſcemodi febribus eſt cordi per epithemata foris adhibita. ut ex aq. roſarum, bugloſſi, endiviæ, violarum, addito exiguo aceto roſaceo, in quibus nodulus macerari poteſt continens ſpec. diarhodon. vel diamargariton. quod Epithema per pannos aliquos hoc imbutos [8] admovendum eſt. Iocinori verò & ſimili modo provideri poteſt. Si vigiliæ moleſtæ ſint, poterit & Epithema capitis fronti admoveri aq. nymphææ, lactucæ, papaveris, roſarum; addito lacte muliebri [10]. Cremori ptiſanæ addi poteſt ſem. melonum mundatum, aut etiam nonnihil ſem. papaver. albi. deinde & alia adhiberi poſſunt, de quibus in cap. de Vigilijs. Quod ſi æger deliret ſomnus procurandus eſt. in quiete, & extra lucem ipſe continendus. plantis pedum quædam ſubliganda ſunt [11] ut ſapo niger liquidior cum ſale braſſicæ folio impoſitus; vel columba viva fiſſa adhuc calens cum ſanguine admovenda eſt, & aduſque duodecim aut plures horas ſub

pedibus relinquenda. quæ cum aufertur in aquam frigidam abjicienda eſt , ne odor ſit moleſtus. vel raphanidis contuſa radix ſupponenda eſt, quæ tamen odore moleſta eſt [13]. Quid autem contra ſitim, aſperitatem linguæ , aliaque ſymptomata agendum, ſuis locis dicendum eſt.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Ideoque veteres quum non niſi fortia cognoſcerent in hac purgari nolebant.

2. Syr. per ſe non ſatis purgat. rhabarb. contrà calorem corrigit, & tormina quæ facit; ne fiant prohibet. Caſſia ventriculo moleſta eſt; & judicium de fæcibus pervertit. Manna nauſeam movet.

3. Vel carne vitulina, ſi validiore alimento opus ſit. Ipſa caro quod unctuoſa; ideoque velut oleum in lampade ſit, ut Razis experim. loquitur, negatur.

4. Vel ſerum lactis; vel lac unde butyrum extractum eſt; quod tamen propter caſeoſas quas habet partes minus quam ſerum probatur.

5. Tam in initio, atque augmento quam declinatione; ſed non illa copia qua aqua pura.

6. Hyphaſis , qui in ſacris literis Phaſis dicitur, præterquam quod Caryophyllum ſeu florem , ſeu fructum deferat , & aliam quod è Paradyſo naſcatur, notam habet. fertur enim, febri laborantes ardenti ſi in illud flumen mergantur, morbo ſubitò liberari. Niceph. Calliſt. l. 9. cap. 19.

7. Hoc enim vim reliquorum cito in corpus deducit. tenuibus nempe ſuis partibus quæ quantum valeant in illis apparet quib. poſt aceti aut cum aceto præparatorum uſu continuo circa verticem , aut etiam albi, ſudor prorumpit.

8. Granis alkermes , quæ cordi conferre putantur, tinctos; vel etiam albos multũ enim non refert.

9. Eo

9. Eo calore qualis lactis recens emulcti.

10. Quod quum humidum sit, non tantum frigidum, ut reliqua, quandoque magis quam illa somnum provocat.

11. Hæc, quia veteribus incognita, aut saltem inusitata fuere, quidam temerè damnant. Admoveri possunt post usum Universal.ũ cum alijs, aut quando alia adhiberi non possunt, & sæpè per illa deliria sedantur. Actu frigida si applicentur lædunt, repercusso nimirum ad Cerebrum fervore, sic ex cretæ frigidæ adpositione deliriũ aliquando ortum fuisse, verum est. Amoveri debent quum fætere inceperint.

12. Fermentum acre & parabile, & potens est. commodeque applicatur, nec odore vel ægro, vel adsistentibus molestum.

## NICOL. FONTANI

### *Annotatio X I. ad Caput X I.*

Febris ardens, seu biliosa continua nullam accessionem habet, sed continuo, & indesinenter affligit, teste *Galeno lib. 2. cris. cap. 6.*

Tam vehemens est incendium, ut jure ignis appelletur.

Signa intacta reliquit auctor: quæ duo inseperabilia, à *Galeno lib.4. de rat. victus* in *morb. acut. com.4.* dicuntur esse: calor nempe vehementissimus, & adurens, sitisque incompescibilis.

Quamvis magna controversia sit inter auctores, num in ardentissimis, & biliosis Febribus, venæ sectio sit utilis? & unusquisque partem suam defendere rationibus nitatur, tamen, ego una cum nostro auctore eam laudo, edoctus doctrina *Galeni 4. acut. 19.* qui ait: *In acutis morbis sanguinem detrahes, si morbus videatur magnus, adfueritque virium robur, &c.* Sic enim biliosus sanguis intra viscera, & vasa consi-

stens, educitur, refrigeratur natura, calidissimo sanguine emisso, humectatur corpus, & ad Simmetriam, temperiemque deducitur.

[*Humores deinde præparandi refrigerantibus*] Rectè. Et ita sit descripta potio.

℞ Herb. Endiviæ,
Lactucæ,
Violariæ, ana M. j.
Oxalidis cum radicibus, M. S.
Hordei mundati, ℥ ij.
Coquantur ex. S. q. aquæ ad lib ij. Col. admisce
Syr. e succo Acetosæ,
Syr. è Limonibus, ana ℥ j. S.
& fiat potio.

Doctè loquitur auctor quo ad purgationem: sed qua forma fieri debet, non præscripsit.

Ergo ℞ Rhab. electi, ʒ ij. S.
Sem. citri ℈ j.
Macerentur per noctem in S. q. aquæ Endiviæ, vel decocti prunorum, mane facta una atque altera ebullitione, admisce expressioni
El. diacatholici ʒ iij.
Syr. ros. lax. ℥ j.
& fiat haustus.

Fiant hæ potiones semper secundum qualitatem personarum; nam quantitas remediorum nec calamo scribi, nec voce prædici potest, docente *Galeno lib. de sang. miss. cap.* 12.

Cum autor nullam formulam præscribat de ijs quæ pedibus alligantur, tamen operæ pretium puto unam, atque alteram concinnare.

℞ Saphonis nigri, ℥ j. S.
Fermenti acris, ℥ ij.
Salis communis ℥ S.
Aceti vin q. S. f. massa
ad dictum usum.

[*Quod si æger delirat somnus procurandus est*] Commendat *Avicenna* 1-4. *Tract.* 2. *cap.* 10. usum papaveris in Febri-

Febribus acutis, quia refrigerat, & incrassat humorem, & provocat somnum.

In syncipite potest adhiberi linteum Aquâ rosaceâ, Acero rosaceo, & oleo Ros. Vel Nenupharino cum lacte muliebri, imbutum.

Sic & Unguentum Populeum, atque Rosarum.

℞ Aquæ ros. ℥iij,
Aceti ros. ℥j. S.
Lactis muliebris. ℥j.
Olei Ros. Nenupharini,
Violacei, ana, ℥ß.

Quæ omnia agitentur, & dentur usui.

℞ Unguenti populii,
Rosarum, ana ℥ misce.

Cui, si visum fuerit, pro ratione temporis, adijcere licet grana xx opy aceto dissoluti.

## DE FEBRE ARDENTE NON EXQUISITA.

### CAP. XII.

IN Ardente febre non exquisita sanguinem quoquè mitti expediens est. Exhibenda sunt non tantum refrigerantia, sed & quæ simul inscindere viscosos humores, vel obstructiones aperire queant; ut sunt syr. de succo limonum, syr. de acetositate citri, syr. de succo cichorij, &c. qui vel seorsum exhiberi queunt, vel cum decocto cichorij, dentis leonis, rad. asparagi, rusci, &c.

Purgatio ex rhabarb. vel syr. ex rosis solut. utilis quoque est, præsertim addito agarico; tum & ex ijs quæ in curatione tertianæ non exquisitæ conveniunt.

Clysteres

Clysteres quoque in ardente febre exquisita tum etiam in non exquisita utiliter adhibentur, tales quales in tertianis.

Liberalis aquæ potio in hac febre admitti non debet. interim si sitis magna est, sedandæ illius caussa admitti etiam potest aqua in qua macerati fuerint limones addito saccharo [2], & exiguo vino.

Victus ratio paulo liberalior esse potest. Cibum coqui cum cichor, & lactucis non abs re fuerit. Pro potu decoctum ptisanæ utilissimum est. à vino abstinendum [3]; præsertim capite dolente & vigilijs molestis. Aerem quoque refrigerari non malum, præsertim si fuerit aeris status calidus & siccus. Contra vigilias admoveri, & exhiberi eadem possunt quæ in ardente exquisita. Quæ sub plantis pedum in exquisita ardente liganda sunt in hac quoque admoveri possunt; præsertim quando caput dolet.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Nihil enim aliud quam tertiana impura continua est Ardens non exquisita.

2. Ratione frigidioris materiæ. Et nihilominus sensim, non affatim sumi debet.

3. Ne phrenitis abusu vini subsequatur præcedentes cephalalgias, atque vigilias.

## NICOL. FONTANI.

## *Annotatio XII. ad Caput. XII.*

Curationem (venæ sectione excepta) mutat auctor doctè, quod etiam docet *Alexander Trallianus*, quia differens est ipsius generatio.

Nam licet putredinis locus in utraque febre idem sit,

ſit, diverſa tamen eſt putreſcens materia; quoniam in ardenti pura bilis putreſcit, in ſpuria pituita ſalſa, quæ tandem ex aduſtione, teſte *Avicenna doct. 2. cap.* 39. ſimilis fit Lipyrio. quare parce vena ſecanda, ne extracto ſanguine in copiâ multâ, corpus refrigiretur nimis.

Fiat ergo mutatio medicamentorum pro ægrorum captu, hoc modo.

℞ Rhabarbari electi, ℨij.
Agarici albi, ℨj.
Cinnamomi ℨß.

Ebulliant leviter, vel per aliquot horas infundantur, in aquæ endivie, vel cichorei ℥ij. S. Col. ℥ij fort. exp.

Adde Elect. Diacatholici, ℨiij,
Syr. ros. lax. ℥ß.
Miſc. f. Hauſtus.

De cæteris, vide remedia in capite de Tertiana exquiſita, præſcripta.

## DE FEBRIBUS EX ERYSIPELATIUM AFFECTU.

### CAP. XIII.

ERyſipelatis affectus tres circa interna viſcera Ætius refert. quorum unus circa ventriculum ac infernum ventrem conſiſtit; unde febris dicta Lipyrias provenit. alter hepar occupat à quo Typhodes Febris oritur. tertius in pulmone hæret cujus febris Crymodes propria eſt. In Lipyria febre interiora calent, exteriora frigida ſunt. lingua ſicca & aſpera. ſitis frequenter moleſta. pulſus celer, frequens, inæqualis, ſæpiſſimè parvus. Ex harum autem genere ſunt, quas recentiores lentas febres appellant,

lant, quæ senibus exitiales ac perniciosæ; alijs difficiles sunt.

Venæ sectio in istis Febribus nihil confert. Purgationes quoque non sunt utiles. Si alvus dura est, lenienda est molli clystere, tali, quali dictum est. Victus ratio refrigerans utilis est, & quæ vires conservet, ut ex pullis gallinaceis, vel alia carne tenera decocta cum herbis refrigerantibus, vel cum ptisana, Ætius aquam, sed vino, in pauca tamen quantitate, addito, exhibuit. Aqua in qua recentes limones macerati cum saccharo & pauco vino utilis quoque esse potest, si parum ejus pro vice sumatur.

Typhodes Febris 4 ad Ardentes referenda est. Curatio quoque harum uti illarũ. Aquæ frigidæ potionem in febre quæ ab Erysipelatio affectu originem ducit in morbi statu Ægineta consulit, sed Gal. omnino prohibet aquam frigidam illis dari, quibus vel phlegmone, vel erysipelas circa interna viscera consistit, ut ante dictum est.

Crymodes 5 febris ad erysipelas pulmonis refertur, de cujus curatione Hipp. non uno agit loco; & de quo in curatione Peripneumoniæ nobis agendum erit.

Supersunt & duo alij Erysipalatij affectus, ut Erysipelas Vteri & Cerebri, de quibus quoque suis locis dicendum.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Paulus inter has febres non distinguit, sed omnes uno modo curat, tamen ratione partium differunt. nam Erysipelas ventriculi, qui natura frigidus est, non tã vehemens existit, quã Iocinoris, aut pulmo-

monũ natura calidorũ, itaque febris ex illius Erysipelate pronata Lipyria, quasi deficiens dicitur. In senibus, licet non post Erysipelas, sæpè supervenit; Significatque magnam debilitatem facultatis naturalis. Itaque non debet mitti sanguis; maximè in senibus; neque Purgationes; aut ullum aliud magnum remedium convenit.

2. Manifestum quidem rigorem inducit; at non æquè manifestum fervorem, quod & ipsum nomen inducat. λείπεται γὰρ πυρὸς, ἤτοι θέρμης, ut Actuar scribit.

3. In nulla enim febri alvum adstrictam esse utile est.

4. Vox enim τύφω, à qua τυφώδης derivatur, idem etiam quod καίω, uro, à quo, καῦσος, significat. An venæ cavæ inflammationem subsequens morbus apud Aretæum l. 2. c. 4. descriptus, Typhodes febris sit, videndum. Gal. certè Causos à veteribus dictos frequentissimè ex hepatis aut ventriculi φλογώδεσι διαθέσεσι, & quidem vehementissimos; quique frequenter in Marasmum desinant, supervenire refert. 4. de Loc. affectis. c. 6.

5. Ἀ κρύμος, quod idem quod κρυὸς significat, hæc vox deducitur. Vide Hippocr. de Affect. & Gal. de loc aff, l. 4. cap. 6.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XIII, ad Caput XIII.*

Hoc caput excusari poterat, quia inflammationes viscerum particularium suis capitibus proponuntur, ut febris, quæ originem ducit ex Pleura inflammata, Corde, Cerebro, Hepate, Septo, Ventriculo, quæ inflammationes vacuatione, & attemperamento curantur, & ipsis persanatis, febres quoque evanescunt.

DE

# DE HECTICA FEBRE.

## CAP. XIIII.

HEctica [1] febris eſt calor præter naturam cor & ſolidas partes [2] diutius occupans, in quibus ſic comprehenſus eſt ut in ἕξιν vel habitum ſeu conſuetudinem venerit. nam ægrotare aut febricitare ſe æger non ſentit, omnibus partibus ejus æque calefactis. Perpetuo autem ſui ſimilis hæc febris eſt [3], & nec invaſionem, nec augmentum, nec vigorem, nec remiſſionem habet. faciei color vividus per hanc febrem perit. frontis cutis arida & ſicca redditur. nares fiunt acutæ, & oculi concavi. tempora collabuntur. univerſum corpus macrum ac ſiccum apparet; quod & aridius ab eo qui ipſum tangit, ſentitur; à quo & calor initio debilis, ſed immorando ac diutius manum applicando tandem acris, ac mordax percipitur. Pulſus parvi ſunt, frequentes & celeres, & pro corporis [4] conditione duriores. Hæc febris ſi diu conſtiterit, & non prius æger vel curetur, vel moriatur, in non curabilem Maraſmum tranſit.

Duplici autem modo Hecticæ oriuntur, vel diuturnis ardentibus Febribus ſuccedunt, vel [5] ſtatim ab initio invadunt. Quæ ardentibus ſuccedunt magnitudine differunt. quædã enim ſuperveniunt nondum omni cordis, ac ſolidarum partium humiditate abſumptâ; aliæ verò omni cordis humiditate conſumpta generantur; quod fit quando febris ardens diutius prorogatur, tales non ſolum hecticæ ſunt, ſed

ſed & maraſmodes, ut inquit Gal. Quæ autem ſtatim initio non præcedente aliqua febre ardente hominis corpus occupant initiò Ephemeris Febribus ſimiles evadunt, ſed diuturnitate temporis ab ipſis differunt.

Hecticis febribus cæteris magis obnoxij exiſtunt qui calidi ac ſicci, temperamento, & habitu corporis gracili ſunt. tales enim ſi vel inediam diutius ſuſtinuerint, vel ſub ſolis fervore diu verſati fuerint, vel labore immodico aut vigilijs defatigati; vel ab animi motibus ut ira ac triſtitia, aut mœrore vel gravius affecti, vel univerſis, vel pluribus convenientibus, in hecticam febrem facilè incidunt, præſertim æſtate, ac cœli ſtatu calido, ſiccoque; niſi ardente febre corripiantur; à qua etiamſi evaſerint ab Hectica tamen tuti omnino non ſunt. ardentes enim febres in hecticam mutari quandoque contingit.

Curatio Hecticarum in ijs quæ ſqualidum corpus refrigerant ac humectant, conſiſtit. Duplex autem horum materia eſt. quædam enim intra corpus ſumuntur; alia foris admoventur. Intra corpus conveniunt Alimenta refrigerantia & humectantia, ut ptiſanæ cremor, ipſa verò ptiſana & in omni cibo utilis eſt, ſicut & far ex hordeo, aut avena. Veluti & refrigerantes herbæ ut lactuca, portulaca, violaria, & fructus nonnulli, præſertim qui non facile corrumpuntur. Aquæ potio ijs qui hac aſſueti fuerunt utilis quoque eſt. ſed non multa ſimul danda, ſed [6] paulatim inferenda. Cujus loco & commodè exhibetur aqua decoctionis ptiſanæ. A melle [7] verò, & aqua mulſa, omnino abſtinendum, & omnibus calefacientibus ac reſiccantibus, ut ſunt aromata, & quæ inde

 confi-

conficiuntur. Febre autem hac moram trahente, commodiſſimè exhibetur lac aſinæ [8], quod lacti muliebri quam aliorum animalium ſimilius eſt, & minus citò in ventriculo corrumpitur. quod mane exhibendum, initio quidem non amplius [9] cyatho, ut Gal. ſuadet, poſtea verò etiam amplius, quando videlicet compertum eſt in ventriculo non corrumpi. bibendum autem iſtud lac mox ut mulctum eſt. Extrinſecus convenit inprimis aerem contemperare, ut non calidus, ſed frigidus ſit, quemadmodum in curatione ardentis febris dictum eſt. Conveniunt & ejuſmodi Epithemata. laudatur autem à Gal. & ung. refrigerans, ex cera lota, & ol. roſato, ex ol. omphacino etiam loto compoſito, addito pauxillo aceto. quod non toti pectori, aut toti ventri erit admovendum, ſed præcipuè partibus in quibus calor reſidet, cordis videlicet, aut jociuoris regioni. Balneum verò etiam commendatur aquæ dulcis & gelidæ, in qua ſi malva, aut biſmalva decocta fuerit, tanto erit præſtantius.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Sic dicitur, vel quod ut Ἕξεως, difficulter ſolvatur; vel quod in Ἕξει (ſic enim ſolidas ab humoribus deſtinguentes, appellant) conſiſtat, 1. de differ. febr.

2. Non ſolum Humores, & Spiritus, ſed etiam corpora quæ Ἕξιν habent, ut Gal. l. de inæquali Intemp. h. e. τὰ στερεὰ, ut Paul. l. 2. c. 31. loquitur, occupans. neque enim fieri poteſt ut non & Spiritus, & Humores incaluerint.

3. Niſi putredo humorum ideoque putrida Febris conjuncta ſit; aut pars aliqua circa cor inflamatorio, aut eryſipelatio affectu laboret. Gal. in fine l. de

de Maraſmo. Implicata autem putrida difficiliorem Hecticæ cognitionem reddit.

4. Pro ut ægrorum corpora natura ſua magis minuſvè ſicca, ideoque & magis minuſve dura ſunt; pulſus itidem magis minuſvè duri ſunt, febri licet æqualis gradus laborantium, ſic Belgarum in Hectica pulſus minus duri quam Hiſpanorum percipiuntur.

5. Rariſſimè tamen id fieri ſolet. Gal. 3. de præſag. ex pulſib. c. 7. Sunt peſtilentes ab initio Hecticæ: & mœrorem, aut iram interdum ſequuntur. aliter an ulla ab initio hectica fiat neſcio. Ib. c. 4. Ab inedia etiam in cal. & ſiccis corporibus ab initio fieri teſtatur 10. meth. c. 4.

6. Propterea quod partes nervoſæ carne nudatæ ſint. ideoque aquæ frigus integris adhuc viribus perſentiſcant; frigus autem nervis inimicum eſt. Caro verò nervorum σκέπη, καὶ πρόβλημα χειμώνων, ut loquuntur Timæus, Plato, & ex illis Alcinous.

7. Quod facilè, in corporib. præſertim cal. & ſiccis, qualia Hecticorum ſunt, in bilem vertantur.

8. Quod tenue admodum eſt, & multum ſeri habet. Quum vero id apud nos vix haberi poſſit. vaccino fortè, præſertim aq. roſac. vel alioquin communis quarta parte permiſta, non incommodè ejus loco uteremur. nam & per ſe. propter paſcuorum ubertatem, hic apud nos liquidius multo, quam in regionibus calidiorib. ſiccioribuſque, exiſtit.

9. Cyathus continet cochlearia quatuor, ſeu ℥j. ß.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XIIII. ad Caput XIIII.*

[*Febris Hectica*] Habituàlis dicitur, quia eſt firma, & fixa.

[*In habitum ſeu conſuetudinem venit*] hoc eſt in affe-

ctu difficulter solubili, ut inquit *Galenus*. 8. *meth. cap.* 1.

Per partes, non solum intelligimus partes quæ oculis subjiciuntur; quales sunt musculi cum cute, ut ait *Galenus art. med. cap.* 10.

Sed solidas; ut opponuntur humidis, per quas intelligimus humores, & spiritus, quæ partes carnosæ; adiposæ, fibrosæ, & menbranosæ solidæ vocantur. 1. *diff. Feb.* 1. & 2. *Aphor.* 7.

Interdum, partes solidas, vocat *Galenus* spermaticas, ut constat, 7. *Meth.* 5. & 10. *Meth. ultimo.*

Ægrotantes nec dolorem, nec aliquam molestiam sentire, docet *Galenus de inæq. intem.*

[*Pulsus parvi sunt, & frequentes*] Nam in omni Febre *Hectica*, cum sit intemperantia facta, languet vitalis virtus, ut probat *Galenus lib.* 10. *de præs. ex puls.* cap. 7. ubi dicit: *nullam Febrem Hecticam posse habere pulsum magnum, & vehementem.*

Sed, in febre tabida pulsus, propter maximam siccitatem, durus est valde, & propter languorem maximum, virtus valde debilis est.

In Febre quæ media est inter tabidam. & non tabidam, pulsus medio modo se habet.

Inquit auctor [*Celeres*] si ita sint, significat vires refici, & corpus nutriri 2. *Aphor.* 18.

Causam hujus incalescentiæ in Hecticis *Galenus* in prædictis locis reddit per hæc verba: sicut fit ebullitio in calce & lapidibus calefactis, affusâ aquâ frigidâ, ita si nutriatur corpus in eo idem & unum fit, ut Physici docent rerum naturalium studiosi, nam ad præsentiam humidi calor siccus ebullit, & fervet, fugit à merè siccis. Vel, dic: quod sicut frigiditas aquæ per Antiperistasin calorem calcis reddit magis unitum, sic frigiditas alimenti cogit calorem solidorum, unde unitus calor excandescit.

Quod si in putridis hæc recalescentia sæpe conspicitur, non ita est manifesta, ut in Hecticis. lege *Galenum* 2. *Feb, cap.* 7, & *Thomam à Viega. In Commento.*

[*Lac*

[*Lac asinæ seu muliebre*] Quid de Lacte sentiam, videbitis in *Florilegio meo, quæstione 26. de Hectica.*

[*Laudatur à Galeno Ungentum refrigerans*] Etiam super dorsum, & lumbos. Iecur ungatur *Ceroto Santalino* cujus descriptionis formulam in *Institutionibus nostris Pharmaceuticis* descriptam habebitis, sub serie ceratorum : refrigerantis vero unguenti descriptionem apud *Galenum lib.* 10. *Meth. cap.* 10.

[*Balneum*] Si paretur ex rebus nutrientibus, multo præstantius erit, ut si ex solo lacte paretur, aut ex jure gallinarum, arietis, bubuli.

Sin minus ex decoctione capitis arietum, aut bubuli, aut eorum extremitatibus.

Sit tepidum, nam frigidum usitatum antiquis non est, Hodierno usu frequens, quoniam à frigiditate actuali, imbelles hecticæ vires enervantur.

Debent hi ex intervallis uti clysteribus, nutrientibus ex solo lacte cum saccharo, aut jure gallinaceo, butyro recenti, cum vitellis ovi, & oleo aliquo refrigerante, quale est Rosaceum, Violaceum, Nenupharinum.

Ne autem in Clysterium usu spem sanationis reponas: tabidis enim alvi profluvium malum, quod si superueniat, eos ad interitum ducit.

## DE MARASMO.

### CAP. XV.

Marasmus 1 est courruptio corporis viventis ex siccitate. Duplex autem Marasmus est. quidam enim ætate contrahitur, qui est ipsa mera senectus. alter verò hecticis febribus succedit, quum videlicet humidum primigenium, & calidum innatum hecticus febrilis calor depopulatus fuerit. tunc enim cor & corpus non modo siccius, sed & frigi-

 dius

dius redditur,& talis quidem Marasmus senectus ex morbo appellatur. quamdiu autem calor extraneus sentitur, non Marasmus, sed Hectica marasmodes dicitur. nec enim prius quam deficiente calore Marasmus est. Est verò hic quandoque,non perfectus adhuc. videlicet ad majorem corporis extenuationem tendens.aliquando vero planè absolutus. Nondum autem perfectus Marasmus est quum ea tantummodo quorum substantia ex humore concreto constat,sicut caro & adeps,liquata sunt. Major verò quum propria humiditas unde partes nutriuntur, omnino consumpta est Absolutus verò Marasmus est,quum etiam solidarum partium substantia reddita est siccior. In hoc Marasmo non solùm frons tensa & sicca, oculi supra modum profundi, tempora collapsa & cava,extremam & immodicam extenuationem & siccitatem ostendunt, sed adeò quoque contracta sunt præcordia ac ventris musculi consumpti,ut nihil ex ijs præter fibras & cutem [2] supersit. Et talis,curationem non recipit.

Qui verò ad perfectionem nondum pervenit curari debet extrinsecus quidem Balneis humectantibus,ut ex aqua dulci,aut ol. dulci [3]; ut est amygdalarum dulcium, quo nonnulli senes sicci ac squalidi vitam suam produxisse dicuntur. Intrinsecus verò optimo cibo ac potu ali ac refici corpus debet, veluti ijs, quæ facilè ac cito concoquuntur & alimenti plurimum conferunt. lactis usus non est improbandus: sed præter hoc,conveniunt quoque ova recentia,mollia,& præsertim ipsorum lutea. Vina dulcia & flava. jura carnium musculosarum, pulli gallinacei [4], carnes vitulinæ, & quum vires imbecilles admodum

modum ſunt, decoctarum carnium ſucci, ut carnis vervecinæ, aut vitulinæ, aut caponum [5].

Ex fructibus utiles habentur nuclei nucum pinearum, ac nuclei piſtaciorum, qui contundi ac juri carnis admiſceri poſſunt, aut cum ſaccharo [6] in morſulos digeri. Ab acidis & auſteris omnino abſtinendum eſt, & ab aquæ potu. Sæpius autem aliquid exhibendum; & hoc ipſum in non magna quantitate. corpus enim refectionem poſtulat; ſed vires debiles copioſum alimentum non ferunt.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Quum viventia tria ſint, animalia, plantæ, ac ſemina & fructus, de his propriè; metaphoricè etiã de alijs quæ ſiccitate corrumpuntur, hæc vox uſurpari ſolet. Gal. de Maraſmo. φθορᾶς vox hic latè accipienda, etiam pro illa corruptione quæ ſine putredine fit, quemadmodum arbor carie corrumpitur.

2. Extenuatis ita muſculis & interaneis pulſus Aortæ lumbis incumbentis ferè ad xiphoidem cartilaginem uſque, nonnunquam percipi poteſt.

3. Ariſtotelem in pelvi calentis olei lavare ſolitum Diogen. Laert. refert. Vixit autem annos ſeptuaginta. Duo ſunt, inquit Plin. liquores corporibus humanis gratiſſimi, intus vini, foris olei, arborum è genere ambo præcipui; ſed olei neceſſarius. l. 14. c. 22. Pollio Renulus qui centeſimum exceſſit annum corporis animique vigorem ſervaſſe ſe dixit, oleum foris, vinum intus adhibendo. Tali etiam balneo Paulus 3. in Pontificem maximum anno ætatis 67. electus ad annum 82. vitam produxiſſe dicitur.

4. Non unius, ſed trium aut quatuor menſium, talium enim jus vàlidius nutrimentum habet.

5. Simplici modo parati. nam qui majori artificio fieri ſolent, nidoris multum, imò & putredinis

aliquod veluti initium habent; quod ex gustu atque odore suputrido facillimè deprǽhendent qui nares emunctas, palatumque tersius habent. Succus autem qui ex carnibus elixis, aut semiassatis exprimitur ut plus nutrit, ita debiliores etiam magis gravare solet. Medium quid inter hæc duo quod colatitium mulierculæ vocant, atque ex concisa pullor. aut gallinarum pulpa, superfuso ejusdem jure, ac per setacenm, aut linteum trajecto, conficiunt.

6. Ubi refrigeratum fuerit, alioquin mixtura ingrata redderetur.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XV, in caput XV.*

[ *Marasmus est corruptio corporis viventis ex siccitate* ] Optime, nam ad corruptionem humidi nativi, sequitur semper siccitas, & ideo omnes dicunt *Marasmum*, ipsam esse siccitatem.

Tres sunt *Marasmi* gradus, ex Galeni sententiâ *7. Meth. 5*, *& 6.* nec non *libro de Marasmo 7.* ut in Febre hectica.

Primus est, cum exsiccatur humiditas illa roscida. secundus, cum exsiccatur humiditas adiposa, & carnosa. Tertius, cum humiditas nativa consumitur, adeo, ut sint veré tres gradus, seu tres *Marasmi* species.

Plura si de curatione *Marasmi* scire aves, lege *Mercurialem libro 5. Febrium, cap 7. de Hectica.*

## DE FEBRE SEMITERTIANA.

### CAP. XVI.

SEmitertiana [1] ex tertianæ & quotidianæ [2] mistura componitur; & ex duob. constat humoribus

ribus putrescentibus, bile videlicet, ac pituita: qui si pares ac æqui potentes fuerint exquisitam faciunt Semitertianam. quod si verò alter exuperet tunc unius minora quam alterius sunt symptomata. veluti Bile superante accidentia Tertianæ majora sunt: si pituita, quotidianæ continuæ affectus firmiores sunt.

Invadit Semitertiana cum Horrore, qui medius est inter Rigorem & Frigus. ab Invasione æger incalescit, idque ratione Tertianæ; sed propter Quotidianam ex pituita, caloris augmentum interrumpitur: sic ut quum febris propre Statum accessionis, vel in medio augmenti esse existimatur, horror rursus accedat, & pulsus tardiores, ac minores fiant, ac calor ab extremis partibus recedat; circa ventrem verò, ac Thoracem hæreat. Singulis diebus accessiones invadunt, sed uno die febris magis invalescit reduplicato etiam horrore; altero [3] verò mitior est. Et tales quidem sunt Semitertianæ quum æquivalentes [4] fuerint humores, & tertiana quotidianæ æqualis. Quum verò tertiana prævaluerit, horridior fit Febris, & aliquid Rigoris associat, caloris plus habet, & magis festinat ad statum accessionis; & aliquid bilis per alvum aut per vomitum excernitur, & sudores fiunt copiosiores; sed quum pituita potentior est frigus vehementius & diutius extremas partes occupat: horrores pauciores, tardius etiam accessio invalescit, & longiori tempore consistit, nec sitis, nec ardor excedit. Accessiones autem Semitertianarum [5] quandoque horarũ sunt viginti quatuor, quandoque 36. longissimæ quadraginta octo horarum. ad apyrexiam integrè tamen non perveniunt. nam

nullam ex ijs quæ ad apyrexiam evadunt, Semitertianam Hippocrat. [6] appellavit.

Generatur autem Semitertiana quandoque ex Tertiana [7] producta; aliquando per ſe incipit. Morbus longus eſt, & omnino [8] periculoſus. Frequenter verò corripit virilem [9] ætatem, & ætatem virili proximam: & tempore [10] quidem autumnali. Hippocr. phthiſicos [11] & eos qui longis morbis detinentur, hac præcipuè refert ægrotare. 1. Epidem. comm. 3. aph. 5. [12] Affligitur autem & læditur per hanc febrem ventriculus, & maximè [13] nervoſæ ejus partes. offenditur verò & hepar [14] non exiguè. ſubinde & lethargici [15] conſequuntur affectus; vel Vigiliæ [16] moleſtæ ſunt, lingua quoque ſubinde arida ac ſicca. Difficilis autem hujus febris agnitio eſt, & vix non niſi poſt aliquot dies cognoſci poteſt. atque idcirco & curatio ejus difficilior.

Semitertiana ſi prorogatæ & diuturnæ tertianæ ſucceſſerit, vel alijs longis morbis ſupervenerit, veluti phthiſi, ſanguinis detractionem [17] admittit. Si verò per ſe inceperit, non minùs quàm aliæ putridæ, ſanguinis miſſionem requirit. qui tempeſtivè viribus adhuc conſtantibus, detrahendus eſt.

Medicamenta talia eſſe debent ut utriuſque humoris putreſcentis, flavæ videlicet Bilis ac Pituitæ conſideratio habeatur. quamobrem nec multum calida, nec valdè calida hæc eſſe oportet; ſed incidentia, aperientia, & abſtergentia, & talia qualia in tertiana ſpuria conveniunt, ſic tamen ut ejus humoris qui amplius redundare videbitur, major ratio habeatur. Ad præpatationem igitur humorum conveniunt rad. fœniculi, ruſci, apij, petroſel. aſparagi.

&c ex

& ex herbis caſſuta. Eupatorium vulgare, cichoriũ, dens leonis, ex quibus decocta parari poſſunt, in quibus commode diluetur ſyr. acetoſus ſimplex. vel etiam de ſucco limonum, addito etiam ſyr. de cichoreo ſi bilis amplius redundet; vel ſyr. de Byzantijs cum aceto, vel ſimili aliquo, copioſiore exiſtente pituita. Laudatur ab Avic. abſinthium Ponticum [18], non ſtatim, nec in initio morbi, ſed apparentib. in Vrina concoctionis ſignis. quod & à Gal. Ætio, & Ægineta in curatione Tertianæ non exquiſitæ, commemoratur. abſtergit verò bilem, & robur ventriculo conciliat.

Humores verò peccantes expurgari convenit per ea quæ utrunque educunt, qualia in curatione tertianæ non exquiſitæ oſtenſa ſunt. Avic. ſuadet etiam quandoque Vomitorium exhiberi ex aq. raphanidis cum ſyr. acetoſo.

Victus ratio non debet eſſe nimium refrigerans, ſed temperata. cum cibis coqui poſſunt hyſſopum, origanum, petroſelinum, vel ſimiles herbæ & radices quæ incidendi & aperiendi vim habeant, laudatur & ptiſanæ uſus cum pipere. A vino [19] abſtinere convenit, aut eo parcè ac modicè utendum, ne caput feriat.

Providendum quoque eſt ventriculo unctionibus ex ol. maſtichino, nardino, & [20] cytoniorum. Iocinoris curà quoque non negligenda cui, ſi vehementius calet, Epithematis ſuccurri poterit, ut in febre ardente. Avic. pil quoque præſcribit & laudat [21] ex aloë, maſtiche, myrobalanis cytrinis, rhabarb. ſucco hepatorij, ſucco abſinthij, & roſis rubris, ſingulorum æqualibus portionibus. qui exhibi poſſunt

cum

cum decocto, vel aq. vel syr. alcujus refrigerantis, velut cichorij, vel endiviæ [2]; ut contemperetur calor pil. quæ calidæ sunt, sed alioqui jocinori & ventriculo utiles. Et talis est curatio Semitertianarum per se incipientium.

Quæ verò alijs morbis superveniunt curari debent pro ratione morborum quibus succedunt.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Quod mediam ipsius partem Tertiana, mediam Quotidiana constituat. 2. de differ. febr Alioquin si multitudinem & malignitatem symptomatum spectes, non hæc dimidum tertianæ, sed tertiana dimidium hujus dici deberet. 1. Epid. sect. 3.

2. Continuæ 2. de differ. febr. c. . nam qui ex utraque intermittente, ideoque intermittentem fieri posse putant, ut autor libri qui Medicus inscribitur, c. de humorib. contra mentem Hippocr. id faciunt. 1. Epid sect. 3. aph. 5. Neque ex utraque continua componi potest, quod cũ horrore invadat.

3. Quia tum sola invadit Quotidiana.

4. Quod tamen rarum est, æqualis enim mixtura una est; inæquales infinitæ.

5. Quum bilis exuperet 24. quum pituita 48. quum æquales 36. horarum paroxysmi fiunt.

6. Vide 1. Epid. sect. 3. aph. 5.

7. Si pituita sub illa colligatur ex cruditatibus. Imo Agathinus omnes tertianas vocabat; quod Gal. non probat.

8 Quod complicatus affectus remediorum occasiones auferat.

9. In qua bilis ratione ætatis; pituita ex prava diæta colligi potest.

10. Quod Aer tum gravis, & varius esse solet.

11. Quia magnus in corde illorum calor est propter

pter impeditam reſpirationem. Multa verò pituita propter ἀπεψίαν in illis coacervatur.

12. Semitertiana exquiſita Romam incolentibus ſæpiſſimè oboritur. Gal. d. l. comm. 25. & de morb. temporib. circa finem.

13. Hinc non ſolum nauſea & vomitus, ſed & ſingultus oboriuntur.

14. Quod ex tumore pedum conſtare poteſt.

15. Si pituita feratur ad caput.

16. Si bilis caput impetat.

17. Propter vires jam prædebilitatas.

18. Latifolium, ſeu vulgare. illud enim Ponticum veterum eſt, & illo quod vulgo Romanum dicitur, & pro Pontico habetur, magis roborat, & melius ad illos affectus qui non aperiens, detergenſque, ſed ſimul roborans auxilium requirunt.

19. Quia ſæpe lethargus, aut vigilæ ſuperveniunt. in utroqne autem caſu vinum malum eſt, quod humorum ad cerebrum metaſtaſin augeat, illiuſque vires expultrices debilitet.

20. Quod Melinum Gal. vocat.

21. Proprie quando materie phlegmatica eſt magis vincens. Addit autem Avic. dimidiam croci partem. Crocum autem forſan fatius fuerit ommittere quod caput feriat.

22. Aut aceroſo, inquit Avic. qui pil. has ad. ℥ij. exhibebat, non in hac tantum febre, ſed & in alijs, inqueomnibus morbis chronicis in quibus viſcera læduntur.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XVI. ad Caput. XVI.*

[*Per hanc Febrem Læditur ventriculus, & maximè nervoſæ ejus partes, & hepar*] Ideo, jure merito inter Lethales à me, numeratur.

Hæc

Hæc ſæpe degenerat in Hecticam, & Hydropem, propter magnas obſtructiones.

In hanc Febrem propenſi ſunt Eccleſiaſtici, nobiles, aulici, juvenes, & deſides opipare viventes, nimis genio indulgentes, quique calidas regiones incolunt: ideo frequentes ſunt in *Æthiopia*, & *Italia*.

[*Ex Herbis Caſſuta*] dicitur officinis *Cuſcuta* Lege *Dodonæum cap.25. De Cuſcuta.* Formulam ex iſtis, hic præſcriptam do.

℞ Rad. Apij.
Aſperagi,
Fœniculi,
Ruſci, ana ℥.S.
Herbar. Eupatorij vulg. ſeu Cannabini.
Cichorei,
Chamedrios, ana, M. j.
Cuſcutæ, p. j. S.
Sem. Aniſi ʒj.

Coquantur omnia S. A. in ſ, q. aquæ hordei ad lib. ij. Calaturæ adde

Syrupi Byzanthini ſimpl.
Syrupi, Acetoſi ſimpl. ana ℥j. S.
Miſce f. potio.

*Avicenna*, ſuadet vomitorium ex radicibus Raphani, cum ſyrupo Acetoſi ſimplici, ſed ego illud præfero, quod

℞ Agarici albiſſimi ℈iiij.
Rhabarbari pulv. ℈j. S.

Macerentur ſimul per noctem in S. Q. decocti radicum Raphani, mane, colaturæ ℥ij. S. fortiter exp. admiſce.

Oxym. Scillitici,
Vel, Oxym. ſimpl. ℥j.
pro vomitorio.

Laudat pilulas, quas omittendas judico, ob nimium calorem, & quod (ſicuti Crocus) caput feriant.

DE

# DE MORBIS PUBLICE GRASSANTIBUS.

## CAP. XVII.

PVblicè graſſantes ſunt ex genere eorum qui Græcis Pandemij, ſeu communes dicuntur. Duplices autem hi ſunt; quidam enim ſunt Endemij; alij Epidemij. Endemij dicuntur qui in aliqua regione frequentes & conſueti ſunt; & omnes ferè ex æquo corripiunt, cauſamque habent communem, Epidemij ; verò ſunt quidẽ multis ſimul obvenientes, ſed non familiares ac frequentes, ſed præter conſuetudinem ſupervenientes. Differunt autem ab his duobus qui Sporades vocantur. genere hi diverſi ſunt, nec omnes ſimul invadunt, ſed modo unum hic alias alterum alius morbus corripit. Epidemij autem ſive populares morbi duplices ſunt. quandoque enim non peſtilentes, ſed mitiores exiſtunt ut ſunt febres acutæ, dyſenteriæ, peripneumoniæ, & alij ſimiles, quos contingit nonnunquam populariter graſſari. aliquando verò Epidemij Peſtilentes, ac exitiales ſunt, ut qui cum bubonibus, carbunculis, aut nigris maculis invadunt.

Cauſa autem Epidemiorum communis quoque aliqua eſt, veluti Aer 4 quem omnes, qui ſi in aliqua qualitatum modum exceſſerit, præſertim 5 in calore ac ſiccitate morbos parit, non tamen peſtilentes. quod ſi verò idem 6 corruptus & inquinamentis quibuſdam infectus fuerit 7 humanæ naturæ repugnantibus, peſtilentiales ac exitiales inducit. Corrum-

pitur

pitur autem Aer vel à causis Superioribus, vel ab Inferioribus. A superioribus [8] inficitur, si aliqua aeris intemperies perniciosa, diutinè constiterit; qualis est calida & humida ac austrina cæli constitutio. nam sub hujusmodi constitutione vapores putridi non solum continentur, sed generantur, ac augentur. A causis verò Inferioribus vitiatur aer vel quod conclusus sit & non diffletur; vel ex re quapiam fætida, ut [9] à cadaveribus mortuorum insepultis, à cloacis, [10] à paludibus, vel terræ [11] hiatibus corruptum aerem exspirantibus Inficiuntur autem ab aere pestilenti maximè qui [12] apti ac dispositi sunt ut inficiantur, ut calidi ac humidi superfluis humoribus redundantes Contingit verò & quandoque ingruere popularem morbum vel [13] à cibo corrupto, aut potu aliquo vitiato, ut tempore famis evenire potest.

Aeris verò pestiferi conditio multorum lignorum incendio, præsertim ab ea parte qua venti flant, corrigenda est. veterum enim medicorum experientia compertum, pestilentem aerem igne repurgari. Hippocr. quum ex Africæ locis pestifer (aer) Athenis inveheretur [14], ignes construi fecit, atque ita civitatem à lue pestifera vindicavit. quod & olim Acron philosophus Agrigenti consuluit. Corrigitur verò Aer & odore ac vapore aceti, sed intra parietes citius quam alibi. sic & vestes, stragula, aliaque similia aceti rore consperfa, vel vapore imbuta, à pestis seminarijs repurgantur.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Qui semper in aliqua Regione sunt, ut Scorbutus in Hollandia, Frisia. Dracunculus in Guinea.

2. Epi-

2. Epidemiam ſuo tempore fuiſſe podagram narrat Pithermus apud Athenæum. 2. dipnoſoph. quum viginti annis mora ad maturitatem pervenire non potuiſſent, qua non ſolum viri, ſed & pueri, puellæque, atque evirati, inſuper & mulieres correptæ fuere. Pauſan. in Corinth. aliquando omnes prægnantes abortijſſe refert.

3. Talis fuit & Sudor Anglicus. qui anno 1529, Amſterdamum primum attigit. infecti verò fuere à die Iovis ad Dominicum, duo hominum millia; conſiſtentis plurimum ætatis. minores, ac valdè ſenes vix attigit. Pauci moriebantur. poſtquam ſcilicet remedia à vicinis civitatibus communicata fuiſſent. prius enim ut violenter ſudorem exprimerent, multitudine ſtragulorum, vel chariſſimos ſibi, veluti ſuffocabant.

4. Nimietatem frigoris, aut caloris, vel humoris, vel ſiccitatis peſtilentias gignere Philoſophi, & illuſtres Medici tradiderunt. Ammian. l. 19.

5. Hinc Phœbus, qui ſol eſt, Peſtem veluti tela immittere creditur. Hom. 1. Iliad. Heraclid. Pontic. Ammianus & Tyr. Maxim. ſerm. 12. Clem. Alex. 1. Strom. Philo mortem aeris, Peſtem eſſe vult, propriam iſtam affectionem in animata quævis ad perniciem illor. diffundentis. De Mundo.

6. Præter qualitatum intemperiem. Inſtrumentalis cauſa eſt, qua Seminaria nobis communicat, quæ cum illo inſpiramus, ſive intemperatus, ſive non ſit.

7. Quia ſæpè inficitur aër ut peſtis ad quædam tantum animalia perveniat; & quum homines pereunt ſæpè animalia non afficiuntur. ſic peſte per Apollinem Græcorum exercitui ad Trojam immiſſa Muli primum & canes, deinde etiam homines moriebantur. 1. Iliad. Miaſmata aëris inſtar veneni, imò venenum ſunt. hoc verò aliud alij animalium generi. At quæ cauſa quod in Veneta quadam peſte, & tempore Iacobi de partib. virgines nubiles potiſſimum

morerentur in illa quæ anno 1348. grassata est, vulgus; in alia anni 1360. quamplurimi nobiles? Vide Plin. l. 7. cap. 50.

8. Quidam recensent & stellarum dispositionem, & medicus ad causam proximam respicit. astrorum dispositionem mutare non potest; aëris &c. potest.

9. Vti in obsidione Amidena, quod cadaverum multitudo humantium officia superaret. Ammian. l. 19.

10. Inundationem Tyberis subsecuta est pestis Inguinaria, quæ Pelagium papam, tantamque multitudinem perculit ut ex inæstimabili numero vix pauci superessent. Paul. Diac.

11. Ut post magnos terrarum motus, emittente terra aerem pigritia, æternorum ignium, terrarum, aquarumve vitio corruptum. Senec. 6. nast. quæst. c. 27.

12. Agens enim non agit nisi in passum prædispositum. Socratem in nobili illa Atheniensium peste temperamenti probitas ac spirituum vigor à contagio servavit. Ælian. var. hist. l. 13. Anno qui nostram pestem secutus est, 1603. paucissimi ægrotabant. an quod ob intemperiem, humorumque vitia morbis aptissimi, peste sublati essent?

13. Sic à corrupti frumenti usu Scorbutus anno 155 . primum vagari cœpit. In obsidione Mitdelburgensi quod lini semine famẽ sustentassent, inflati distentique plurimi moriebantur. Hinc illud Hesiodi, λιμὸς ὁμοῦ καὶ λοιμός.

14. Ex lignis quercinis, aut juniperinis qui fiunt ignes alijs utiliores sunt. Frequens explosio æneorum tormentorum Tornacensem aerem â seminarijs pestiferis aliquando expurgavit. Lemn. l. 2. c. 10. Sunt qui incenso pulv. pyrio aerem ædibus inclusum ab inquinamentis liberent. [Calore aucto, ut quando sol leonis signum ingreditur, in Syria, Palestina, atque Ægypto, pestis mitigari solet, uti apud nos Hyeme. Ratzevil. in itinere Hierosolym. Prosper

per Alpin. de med. Ægypt.) Contra etiam imbres vel exigui disjecto concreto spiritu & crassato, sospitatem aliquando restituunt corporib. firmam, ut refert Ammian. l. 19. Quod etiam anno 1602. in peste qua apud nos 11000. hominum quinque mensium spatio. Iunio, Iulio, Aug. Sept. Octobrique, interiere, contigisse vidimus.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XVII, ad Caput XVII.*

Inquit auctor, dum causam horum morborum pertractat, [*veluti aer*] Quæro, si aër est infectus, cur non afficit omnes, cum omnes eum inspirent? Dic, ad actionem non solum requiri causæ efficientis præsentiam, sed etiam passi dispositionem, & cum omnia corpora non sint disposita ad pestem, non omnia eam concipient.

Corpora disposita sunt illa, quæ aliquas obstructiones habent, aut excrementa ad putredinem parata, qualia in corporibus calidis, & humidis reperiri solent, quæ contactu aëris putris facile putrent, lege *Galenum, lib.* 1. *feb. cap.*4.

[*Humiditatem frigoris, aut caloris vel humoris vel siccitatis pestilentias gignere Philosophi, & illustres medici tradiderunt.*] Notanter dictum ab auctore nostro. aër enim quando nimis est calidus, tunc spiritus à corde resolvit, si nimis frigidus, tunc eos mortificat.

[*Astrorum dispositionem*] utrum pestis ad Syderum fluxus sit referenda, quoties *Saturnus*, & *Mars* inter se congrediuntur, qui tanquam contrarij, dura cogitatione corpora nostra afficiunt, quæsitu dignum videtur? Quid *Mercurius Trismegistus*, quid *Plato in Epinomide, Chalcidius in Timæo Platonis, Proclus lib. de anima*, & *dæmone cap.* 37. *Iamblichus. lib. de misterijs Ægyptiorum. cap.* 8. *Aristoteles. lib.* 1. *de Cœlo,*

*Averrhoes com.19.Mercilius Ficinus, & quid Divus Augustinus libro de civitate Dei,* de hoc agitarunt, Lectoris judicio subjicio.

Sed ego Astrologiæ superstitioni, ac vanitati nihil attribuendum puto: quandoquidem hoc malum aliquod divinum, (si divinum quid in morbis reperiatur teste *Hippocrate* lib.1. Prognostic.) esse assero.

De hisce omnibus fuse & docte asseruit plura contra Astrologos *Picus Mirandula*, & retulit *Ludovicus Mercatus. lib. de feb. pestil. capite.*1.

# DE PESTE.

## CAP XVIII.

PEstis 1 est morbus contagiosus & exitialis, cor & ejus contenta vehementer inficiens, vitalemque facultatem labefactans.

Origo autem Pestis vel ab aëre est 3 putrido ac corrupto, vel per contagionem 4 contrahitur. Aeris autem corruptela vel Universalis est, ut quando populariter sævit: alias Particularis, quando videlicet in uno aliquo loco, veluti in aliqua domo, corruptus est & unam aliquam familiam tantummodo invadit. Contagium autem contrahitur ex conversatione cũ infectis, vel ex tractione eorum quæ penes laborantem & præcipuè 5 morientem fuerunt, ut sunt vestes laneæ, aut pelliceæ; stragula, linteamina sudore aut excrementis infecta.

Quædam autem Pestis plurimos 6 è vita tollit, quæ omnino exitialis, ac maxima est. altera verò multos 7 spernit, quæ maligna dicitur.

Differt verò pestis à febribus putridis, primò per efficientem & agentem causam. putridæ enim febres

bres gignuntur ex humoribus in qualitate, aut quantitate peccantibus, & putreſcentibus [8]. peſtis verò non ex vitio humorum, ſed per venenoſa quædam ſeminaria cordi ac ejus contentis communicata provenit.

2. Quod in putridis tranſmittantur ad cor vapores vitioſi qui cor & contenta ejus ſupra modum calefacientes, tantum accendunt: In Peſte verò ſi invaluerit & cordis contenta, & ipſius ſubſtantia putreſcit. neque parva eſt hæc putrefactio, aut, qualis in febribus putridis; ſed vehemens, maligna, & penitiſſimè ad cordis contenta & ſubſtantiam ejus pertingens. Communicantur autem peſtis ſeminaria cordi 1 modo (per tranſpirationem) per poros ſcilicet, & exiles venas, & arterias, à quibus ad majores penetrant, & ab his ad cor. alio modo per attractionem quæ fit per inſpirationem. tunc enim ſimul cùm aere peſtis ſeminaria ingrediuntur, quæ introducta non eadem facilitate regrediuntur per exſpirationem quam per inſpirationem ingreſſa ſunt. Citiſſimè autem quandoque Peſtis ſeminaria ad cor perveniunt [9]. quando videlicet acutiſſima & tenuiſſima ſunt. aliquando non adeò feſtinant ubi minùs acria, aut acuta exiſtunt.

Peſti autem graviſſima quæque ſuperveniunt initio quidem [10] ſomnolentia, & mentis quidam ſtupor. poſt paucos dies capitis dolores, vigiliæ; & ubi morbus invaluerit, etiam deliria & linguæ aſperitas. accedunt febris lenta cum extremarum partium frigiditate; inquietudo, crebræ [11] vomitiones, & reſpirandi difficultas. quod ſi verò una cum his in collo, ſub axillis, aut in inguinibus tumores ſentiantur,

aut aliqua coporis parte [12] Carbunculus excitetur, vel maculæ nigricantes appareant peſtem eſſe morbum dubitari non poteſt. Vrinæ in peſte non conſtant, quandoque ſanorum ſimiles, aliquando albidæ, vel perturbatæ veluti jumentorum. Ex Pulſu etiam nihil certi habetur. Alvi excrementa crebrò fœtida ſunt, ſubinde liquida.

## *Præſervatio.*

Præſervatio, ſi aere corrupto in meliorem commutato, ut dictum eſt. Id ſi fieri nequeat, optimum eſt conſilium, aerem [13] & locum cito [14] mutare, & ad ſalubriorem ſecedere. Corporis verò etiam cura [15] habenda eſt, quod ab omnibus excrementis & ſuperfluis humoribus, & viſcerum obſtructionibus vacuum ac liberum eſſe expedit. Sanguinis detractio conſueta, ſi prætermiſſa fuerit, repetatur. Humores ſi qui fuerint vel redundantes, vel vitioſi, levibus medicamentis [16], quæ reſiccandi vim habent, expurgentur; ut eſt rhabarb. vel aloë lota in [17] ſucco roſarum; vel medicamentum Ruffi quod conſtat ex aloë, myrrha, & [18] ammoniaco. ex quo pil. confectæ & ſcrupul. duorum pondere plus minus ſumptæ, excrementa alvi expurgant. Veteres in exigua quantitate [19] dandum hoc medicamentum conſulunt verum non expurgandi, ſed præſervandi tantummodo gratia.

Victus autem ratio moderata, & abſque omni exceſſu (ſit) ex optimis cibis [20], ac probo potu corruptioni non obnoxijs. aceti in omni cibo utilis uſus eſt, & aliorum quæ refrigerant ac reſiccant, ut ſunt aciditatem habentia, veluti citria mala, aut aurantia mala

mala acida, limones, vinum omphacites, quod Omphacium appellant.

Exercitium corporis non est negligendum. In Somno [21] mediocritas servanda. Metus omnino propulsandus. per hunc enim, quum cor angitur, à seminarijs pestis inficitur facillimè.

Laudantur verò ad præservationem à peste utilia quædam remedia. Gal. bolum Armenam commendat, & Theriacam Andromachi, quâ Antoninum usũ refert. antidotus Mithridatia utilis quoque est. tum & Diatessaron [22], facile parabile medicamentum. Elect. liberans à recentiorib comendatur. Nos & aliam composit. invenimus magis diaphoreticam, quæ circa cor hærentia foras, & ad exteriora pellit, atque ea de causa non modo ad præservationem, verum etiam ad curationem, si tempestivè exhibeatur, plurimum facit, Accipit hæc rad. tormentillæ, rad. carlinæ, rad. angelicæ, zedoariæ, ana ℥ ß. [23] scordij. ʒ iij. baccar. lauri, baccarum juniper. ana ʒ ij ß. cinnamomi, macis, croci, sem. acetosæ, ana ʒ j. ex quib. fit pulvis, cui per minimas guttas instillandum aliquid aceti, atque sic ad usum conservandus. Ex hoc pulv. tabellæ ex sacch. formari possunt cum aq. tormentillæ, aut cardui benedicti, quarum in sanitate ad præservationem sit usus. pulvis ad curationem adhibendus, ut dicetur. Ad præservationem convenit & odor optimi aceti [24]; quo spongia imbui potest. quod si illud acrius fuerit, poterit dilui aq. rosaceâ. Feruntur & prodesse gestati nonnulli lapides pretiosi, ut sunt rubinus, saphyrus, & hyacinthus [25].

Puerorum verò & magna ratio tempore pestilenti habenda est. nam quum calidi ac humidi sint, ac

humidi ſint, ac non rarò vermes in corpore habeant facilius reliquis peſte corripiuntur. Expedit itaq; illis exhiberi quædam quæ vermes expellere queant, ut ſemen ſementinæ cui addi convenit aliquot cornu cervi [26] ramenta, & nonnihil [27] rhabarbari, & quandoque quæ caliditatem ſeminis contemperent, ut eſt ſemen acetoſæ. ex quibus pulvis exhibendus eſt cum aq. portulacæ, aut cardui benedicti. poteſt verò & ipſis nonnihil theriaces exhiberi; tum verò & alia contra vermes utilia, quæ ſuo loco oſtendentur.

## *Curatio Peſtis.*

Curatio peſtis in tribus potiſſimum conſiſtit. 1. In expellendis ſeminarijs à corde ad ambitum corporis. 2. In Localibus remedijs. 3. In Accidentium curatione [28].

Expelluntur autem peſtis ſeminaria per medicamenta diaphoretica, ſudorem moventia [29], veluti quæ fiunt cum aq. tormentillæ, vel cardui benedicti, additâ theriacâ, vel aliquo alio ſudorem movente, ut eſt compoſitio noſtra; cui adjicitur & aceti [30] aliquid, vel ſyr. acetoſus, vel de limonibus. Sumpta hujuſcemodi potione æger collocandus eſt ante ignem; vel ſi mavult decumbere, diligenter contegendus eſt, ut ſudet [31], cuſtodia adhibita, ne dormiat, aut potionem evomat. ſi evomuerit, repetenda [32] eſt. Poſt ſudorem, ſi tumores ſeſe remiſerint, ſimilis potio, ſed [33] dilutior exhibenda eſt, bis tervè per diem; donec tumores, vel maculæ evanuerint; ſed citra ſudorem.

Sanguinis miſſio, apparente Bubone, & maculis, non

non poteſt eſſe utilis. cor enim primariò afficitur, & non à vaporibus putreſcentium humorum, ſed â venenatis peſtis ſeminarijs opprimitur, à quibus venæ ſectione liberari non poteſt. interim detracto ſanguine cor etiam debilius redditur, quod nullo expedit modo. Iam & ſanguinis detractio tumores ab ambitu corporis ad interiora revocat, quod minimè conveniens eſt. laudat verò & Gal. libr. de Euchym. & Cacoch. medicos, qui tempore peſtis à venæ ſectione abſtinuiſſent [34]. Carbunculo autem apparente [35], quandoque ſanguinis miſſio non omnino reprobanda ſi ſtatim fiat, & ex vena Carbunculo proxima. Purgantia medicamenta valdè noxia ſunt, & in quacunque peſtis ſpecie citiſſimè mortem [36] afferunt.

Bubonibus autem admoveri ea debent, quæ humores eo decumbentes attrahant [37] & educant. laudatur cæpæ, vel liliorum alborum radix cocta, & adplicata. ſed certiſſimum remedium eſt, cauterium potentiale, & ſi quæ ſimilia ſint cauſtica & urentia.

Carbunculum [38] ſcarificare utile eſt, deinde cucurbitulam admovere; poſtea adponere quæ mordicent [39] ut Vng. Ægyptiacum. Cauteria verò potentialia non incommodè quoque admoventur [40].

Alvus ſi fuerit liquida, ut frequenter contingit, pro potu exhiberi poteſt decoctum ſantalorum rubrorum, aut decoctum conſ. veteris roſarum rubrarum, vel ipſarum roſarum, quod exiguo cinnamomo condiri poterit. Si verò durior fuerit, molli lenique Enemate mollienda.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Quod peſſum det, h. e. funditus evertat. Eſt autem malum hoc non tantum κακοηθὲς, & ὀλέθριον ſed etiam πολυμορφον & quod diverſa; imo contraria etiã ſymptomata invehat. neque enim certi morbi nomen eſt, ſed quicunque communis & lethalis, Peſtis dicitur. Gal. 3. epid. ſ. 3. aph. 20.

2. Spiritum ac ſanguinem in ventriculis illius contentum.

3. Aliquando nec qualitatib. intemperatus, nec ſubſtantia corruptus, tamen propter immiſta Seminaria, non ſecus ac vinum bonum veneno, mixtum, perimit.

4. Contagium qui negant communi ſenſu carent. qui ad cauſam ſuperiorem non reſpicientes officium deſerunt, impietatis atque inhumanitatis, culpam incurrunt. Eſt autem id quod contagiũ infert idem cum priore cauſa, in poroſitatib. illarum rerum latens quæ aquam, ideoque magis aerem admittere poſſunt. ſeorſim tamen de eo fit ſermo in recenſendis cauſis, quod priore cauſa ceſſante, nihilominus agat.

5. Tum enim corruptio in ſummo gradu eſt; & cauſæ magnitudinem oſtendit mors. Alioquin etiam qui vivunt, & quæ ab illis inquinata ſunt, inficiunt. nec inſtar corporis alicujus morientes demum deſerens in cavum aliquem locum migrat, aut lacte aquave excipi poteſt, ut vulgus ſibi perſuadet.

6. Hinc Deber apud Hebr. quibuſdam dicta creditur, quod vaſtitatẽ facit, & loca veluti deſerta reddat, Imperatore Veſpaſiano, duo millia quotidie interijſſe ſcribit Euſeb. Idem ſub Commodo factum. quando Camillus hac mortuus eſt, 1000. uno die moriebantur, anno 1348. per totũ quaſi mundũ vix quar-

quartam hominum partem dimisit. Cayri, aliquando ad decem dies, 24. horarum spatio. 20000. à peste sublata narrat Radzevil. in itinere Hierosol.

7. Ut illa qua apud nos anno 1602. ad summum centum uno die periere.

8. Gal. putredinis solummodo excellentia differre putavit. 1. de diff. febr. c. 5. & 6. Epid. sect. 1. comm. 28. Sed ubi de re convenit logomachijs indulgendum non est.

9. Cicuta in vino pota irremediabilis existimatur. Plin. l. 25. c. 13. tenuitate namque vini ad cor virib. irrefractis rapitur. Idem de seminarijs tenuib. & maximè activis evenit.

10. Quod venenum cor obsidens Animalium spirituum alacritatem infringat. Isti anno 1602. omnes quasi moriebantur.

11. Talium qualia in corporib. reperiuntur. neque enim semper biliosa vomitu rejici, compertum est.

12. Carbunculus incipit à vesicula quasi à combustione, quæ post concidens crustam nigram, veluti à cauterio, relinquit. unde & nomen habet. In peste anno 1602. carbunculos ex cinereo albicantes frequenter vidimus, qui sine sensu profundè satis scarificabantur; vix minima phlegmone, tumoreve in locis vicinis conspicuo.

13. Commodus Imperator suasu medicorum Lauretum, quod frigida illa regio, & lauri nemorib. obsita, secessit. Sic Bacchus quum in Indos duceret exercitum peste correptum ex campestrib. ad montes migrare voluit, atque illic frigidorum ventorum flatu, purissimorumque fontium usu, viciniaque recreatum, convaluisse. Diodor. Sicul. l. 2. refert.

14. Hinc illud; Mox, Longe, Tardè; vel ut alij; cito. procul, tardè, cede, recede, redi decedere, & non finita peste redijsse periculosius, quam mansisse vidimus. Barbariæ incolæ si quando Pestis ingruat regionem illam deserunt. Ioh. Leo.

15. Nam

15. Nam utut ex vitiosis humoribus pestem fieri non putemus; tamen aliunde gravatum cor, seminarijs pestiferis facilius inficitur.

16. Iis qui in pestilentia integri sunt, movenda non est alvus, atque etiam si per se mota est, comprimenda est, abstinendum potius si plenius corpus est. Cels. l. 1. c. ult. Sed ille de validioribus, qualia veteribus solummodo nota erant, loquitur.

17. Quo calor aloë temperatur. Haud dubie singulare remedium est, quo Dodon. se frequenter uti solere, narrabat.

18. Loco ammoniaci Officinæ male substituunt crocum. hujus experientiam se habere dicebat Dodon. quod nihil proficeret. in eo quod ammoniacũ recipit plusculum spei se ponere. roborare enim partem; quod syr. rosatus solut. nequaquam, & minus adhuc manna, aut cassia faciant. robore vero principalium viscerum hic omnino opus esse.

19. Fabæ Ægyptiacæ magnitudine. h.e.g. v. seu semiobuli.

20. Horapollo columbis vescentes Peste nequaquam corripi dicit. ideoque Regi tali tempore nullum alium quasi cibũ apponi solere. In Hieroglyph.

21. Per nimium enim somnum seminaria magis introducuntur.

22. Quæ apud Aetium mysterinm appellatur. & Tetrapharmacum ex Philagrio, serm. 12 c. 47. Si addatur ebur Diapente appellabatur à mulomedicis. Veget. 1. Veterinariæ. c. 10. Ejus experimentis indubitatæ vires; & sine hac mulomedicus mutilus est. c. 16. Pro bubus loco eboris indebant betonicam. l. 3. c. 2. Venetijs aliquando Diatessar. Bolum Arm. veram, dyctamnum album, scordium, carlinam, & Zedoar. addunt. Bolum vix qui mangonio caret, reperias. Dyctamno albo, cur verum Creticum non præferamus haud video.

23. Quidam crudas carnes scordio contectas corrumpi negant.

24. Pilæ

24. Pilæ ex ambra ſimilibuſque quæ aromatica & ſuavia ſunt, ſpiritus evocant. unde facilius inficiuntur.

25. Expertum ſe de hyacintho teſtabatur Dod.

26. Non uſti (nam quamvis ſiccet, vim tamen quam à tota ſubſtantia habet, amiſit) ſed ſolummodo lima raſi.

27. Ut ſimul expellantur. nam alioquin in viſceribus putreſcerent. Poſſunt & fol. ſenæ ejus loco in pauperib. dari, ſed rhabarb. melius eſt.

28. Quo celerius ejuſmodi tempeſtates corripiunt, eo maturius auxilia etiam cum quadam temeritate rapienda ſunt. Celſ. l. 3. c. 7. Occaſio enim præceps. Itaque hic locum habet illud; Μηδὲν ἀναβαλλόμενος. cunctari, eſt ægrum quam occidere.

29. Ignea medicamenta requirit Cardan. non tamen noxia, ut eſt hydrarg. ſublimatum, quo nonnullos curatos, plures tamen enecatos ſcribit 2. de ſubtil, Euphorb. multis uſitatum, ejuſdem generis eſſe puto. Sunt qui ſalem petræ purificatum; aut etiam pulv. pyrium exhibeant. At Theriaca innoxius veluti purgatorius quidam ignis eſt. In libr. ad Piſon. hanc plus omnib. alijs medicamentis anno 1602. præſtitiſſe comperimus. nam aut curavit, aut ſympt. ſaltem mitigabat. Huic ego confido.

30. Flor. calendulæ, aut betonicæ ſeu tunicis. hydroticum eſt.

31. Quib. vires adhuc integræ ſunt, præſertim pauperioribus, aliquando præcipitur, ut obambulent. ſed diligenter cavendum, ne ſudor, quum venenatus ſit, repercutiatur.

32. Aut alia ſimilium virium propinanda, tum ne eadem antidotus, ut crambe repetita, nauſeam magis moveat; tum ne uni fidamus remedio, ſed omnem veluti lapidem moveamus.

33. Syr. ſupra ſcripti tum copioſius admiſceri potioni debent. ut temperatior exiſtens calorem minus incendat; cujus furente adhuc veneno ratio haberi minus potuit.

34. Nec

34. Nec nos cuiquam anno 1602. profuisse vidimus; sed sanguine adhuc fluente in quibusdam vomitus prorupisse; mortemque subsecutam; utut adhibitis omnibus cautionib. ab ijs præscriptis qui illam commendant sectio facta fuisset.

35. Carbunculi non fiunt in emunctorijs, humores consentiunt; & longior est morbus. quam ubi Bubo. nec metuendum, ne introducantur seminaria. nam proximam secamus. atque has ob causas quandoque minuimus sanguinem. Purgandum tamen nullo modo.

36. In illa quàm anno 1602. vidimus noxia fuisse & nos testamur.

37. Tum quod humores eo repant, tum quod loca illa convenientia sint. Si ruri sint ægri ranunculus, aut ranunculus qui flammula dicitur, contusus imponitur.

38. Quum crusta non amplius serpit, certum est venenum non amplius augeri.

39. Et vulnus seu ulcus apertum servent,

40. Maculis vix localia admoveri possunt, quod per totum corporis habitum ac superficiem dispergi soleant. Quod si à Diaphoreticorum usu non evanescant, malè cedit ægro.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XVIII. ad Caput. XVIII.*

[*Prosunt Rubinus, Saphyrus, & Hyacbinthus*] Imo & aurum. Hæc enim omnino occulta quadam & Cardiaca facultate cor roborant, à peste præservant, jam factam persanant, spititus reddunt perspicuos, Venenum fugant: idcirco *Arabes* hos pretiosos lapides in multis permiscent Antidotis. Legat qui velit ex Veterum, & juniorum mente hæc disceptantem *Zacutum* 1. *Histor. Hist.* 22.

Improbat sanguinis missionem, quæ per intervalla nonnumquam administranda. Sed,

Sed, summopere miror quod nec auctor, nec ejus interpres, hujus vicarium substituerint, nempe, curcurbitulas scarificatas, cum ipse *Galenus* peste laborans sibimet ipsi imposuerit, ut patet *lib. de cucurb. cap.* 4. quas ego vobis summopere commendo, ob varias rationes. Nam pestis oritur ex summa putredine cui utilissima est sanguinis missio, quæ parcè, & tempestivè facta, non lædit, nec debilitat, sed juvat, & roborat. *Avicenna* 4 - 1. *Tract.* 4. *cap. de peste*, eam summè laudat.

Cucurbitulæ sunt præstantiores, quoniam evacuant venenum ad extra, sudorem movent, plethoram exhauriunt, & sanguinem putridum, citra virium dispendium, evacuant.

Hirudines Hæmorrhoidalibus venis impositæ easdem præstant utilitates.

Docet præterea purgantia medicamenta valde esse noxia, & in quacumque pestis specie citissimè mortem adferre.

Non ita Dodonæe, non ita. Quoniam contra te habes scientissimum *Avicennam, qui.* 1 - 4. *tract.* 4. *cap.* 4. in hæc verba prorumpit : *Summa curationis earum est alleviatio, & illud cum phlebotomia, & solutione ventris : & oportet ut incipiatur in ea ad evacuandum.*

Si autem materia vincens fuerit sanguinea, fiat phlebotomia, & si fuerint humores, ij evacuentur. Approbant doctè *Gentilis*, & *Iacobus in comm.* Quoniam, si pestis scaturiat ex vitio äëris, qui agat tantum in spiritibus, vel in partibus solidis, purgatio adversatur.

Contra, si mali labes sit vitio humorum & vires ferant, & Febris est initium, & valida, etiamsi adsint obstructiones, purgatio instituenda est levissima, ut depositâ sarcinâ, qua premebatur natura, sese exoneret.

Hæcque poterit fieri ex *Electuario de succo Rosarum Mesuei, aut Nicolai* ; illud si examinetur omnia habebit ex se cardiaca medicamina, excepto Diagridio, quod alijs corrigitur.

Hæc quandoquidem à me, uti supra dixi, abdita habetur, abditis deberet curari remedijs, quæ cum adhuc latitent; vos ad Deum misericordem deduco, qui post oblatas à vobis ipsi preces, vos in gratiam recipiet, dummodo meliorem vitam ipsi promiseritis, nam certum illud Ovidianum est, *lib*.5. Fastorum cantatum:

*Sæpe Iovem vidi cum jam sua mittere vellet*
*Fulmina, Thure dato, sustinuisse manum.*

## DE FEBRE PUNCTICULARI.

### CAP. XIX.

PUncticularis febris à recentiorib. dicta, Synochis initio similis est. citra frigus, horrorem, aut rigorem invadit; & calor blandus, ac mitis est. Vrinæ sanorum similes, sed mox rubicundæ [1], perturbatæ, non perspicuæ, vino granatorum persimiles redduntur. nulla aliqua parte tumor, aut carbunculus apparet. nullus vomitus. sentitur corporis lassitudo, & capitis gravitas. maculæ non mox primis dieb. sed quarto, aut septimo die, vel serius primum apparere incipiunt, in brachijs, dorso, & pectore, colore rubentes [3], ijs similes, quæ à pulicum morsu ac puncturis relinquuntur, quo tempore & calor intenditur, & febris major fit; accedentibus quoque vel vigilijs, vel mentis stupore, aut alienatione:

Causa hujus febris seminaria quædam ab aëre corrupto, sed non admodũ acria, aut valdè tenuia sunt; & simul cum his sanguis computrescens. idcirco nec celeriter contrahitur hæc febris, & diuturnior est; nec contagiosa, nisi per multam ægri tractationem.

nem. Corripiuntur hujuſcemodi febri præcipuè 4 pueri,& juvenes,& qui molliter,ac in otio 5 vivunt; & per cœli quidem conſtitutionem calidam ac humidam.

Venæ ſectio ex communi dextri bracchij venâ primo,aut ſecundo die utiliter fit, apparentibus verò maculis,nullo modo convenit.Cucurbitulas interim cum ſcarificatione tunc bracchijs aut dorſo admovere non abs re fuerit,vel hæmorrhoidas provocare. Purgans 6 aliquod medicamentum non etiam niſi primis diebus , & priuſquam maculæ appareant exhibendum ; idque mite admodum , veluti ex ſyr. roſato ſolutivo cum infuſo rhabarbari , aut agrici, pro ratione materiæ peccantis. A fortioribus medicamentis abſtinendum,ne ingens alvi ſuccedat profluvium. quod periculoſum admodum fuerit. Conveniunt etiam lenia & mollia enemata. Apparentibus maculis ſudor invitandus eſt , per ea quæ clementer ipſum provocant,ad quod theriaca utilis eſt, præſertim ſi exhibeatur cum decocto ſcordij, cardui benedicti,aut tormentillæ 7;addito ſyr.acetoſo, vel de limonibus.Propinantur verò ab initio utiliter potiones ex ſyr. acetoſo, vel de ſucco citriorum, aut limonum , cum aq. cardui benedicti, cichorij, tormentillæ ; vel ipſarum decoctis quibus additum ſit nonnihil theriaces.

Victus ratio ſit non omnino refrigerans 8. Potus poterit eſſe decoctum ptiſanæ , vel tenuis cereviſia. 9 in quibus incoqui poſſunt aliquot ficus, deinde addi ſuccus limonum, vel citriorum , vel aceti nonnihil.Aer ſi temperatus. non nimium refrigeretur 10 , ſi graveolentior per odores & ſuffitus emendetur.

## Sebaſtiani Egberti Scholia.

1. Rubent ob putredinem humorum. non perſpicuæ ſunt ob ſeminaria peſtis.

2. Atque ideo non Peſtis eſt, ſed febris Synochus peſti implicata, ſeu peſtilens.

3. Vel à morſu cimicum relictis maculis. aliquando latiores ſunt, ut totum bracchium, vel faciem inſtar Eryſipelatis occupent. aliquando inſtar granorum milij prominent, inſtar variolarum ſeu morbillorum puerilium. Colore etiam variant, nam quamvis ut plurimum rubræ ſint, inveniuntur tamen & citrinæ, purpureæ, violaceæ, lividæ & nigræ. anno 1605. & dein Amſterdami frequentiſſimè conſpeximus tales maculas faciem totam vel dimidiam cum tumore palpebrarum, & dolore faucium; vel alias etiam partes maculis planis, aut etiam prominentibus invadentes, cum febri ſatis valida & gravi; ex qua tamen pauciſſimi, & non niſi 50. annum egreſſi moriebantur. Ubicunque maculæ apparuerant Epidermis ſeparabatur. levioribus purgationibus, Phlebotomia Hydroticiſque alexipharmacis; ubi maculæ nondum apparerent; ſolis Sudoriferis & venenum depellentib. ubi illæ jam prorupiſſent, & quidem brevi, curabantur. Contagioſam advertimus, ut Dod. dicit.

4. Propter ſimilitudinem calidi & humidi temperamenti.

5. In peſte contra.

6. Propter putredinem humorum opus eſt purgatione; miti tamen, propter peſtis ſeminaria.

7. In ijs qui cutem duram & poros adſtrictos habent ſunt qui decoctum gnajaci cum aceto exhibeant. Iidem ung. quod hydrarg. habet illinunt, ſed hæc ungendi ratio ut temeraria, meo judicio, repudianda eſt.

8. Ptiſa-

8. Ptiſanæ cremor eſt nimis refrigerans, utendum familiari aliquo juſculo pulli, aut ſimili.
9. Tenuiores poſca uti poſſent.
13. Ne repercuſſio fiat illius quod natura ad ſuperficiem expellit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XIX, in caput XIX.*

Hæc, dicitur Lenticularis, ſeu ſtigmatica, ex nimia putredine orta, inter ſynochos reponenda: habet qualitatem malignam ſecum adjunctam.

Curatur ut putrida, vacuantibus dictis præſidijs, ejus mala qualitas refrœnatur cardiacis.

Cucurbitulæ optimæ in ambitu corporis admotæ. Si puncticulæ ſint lividæ, aut nigræ, lethales.

In purpureis juvat ſanguinis miſſio, & in declinatione clemens purgatio.

## DE VARIOLIS ET MORBILLIS.

### CAP. XX.

AD naturam peſtis, veterum nonnullorum, & præſertim Arabum [1] ſententia, accedunt quæ dicuntur Exanthemata & Ecthymata; vulgò Variolæ & Morbilli. frequenter enim populariter graſſantur; & ſæpè eodem, quo peſtis, tempore.

Corripiuntur autem citius pueri [2] quam alij, quibus etiam facilius ſolvuntur, quam grandioribus, magna verò ex parte ſalubres ſunt morbi. Fiunt autem ab infectione quadam ſanguinis ex menſtruo in utero materno contracta, quam quum natura ſecernit, & quaſi per criſin quandam expellit Exanthe-

mata ac Ecthymata proveniunt,& hac de causa omnibus in vita accidunt, & quidem [4] semel tantum; aut apta sunt ut accidant, nisi præcox mors hominem prius è vita tollat. Non fit autem hujuscemodi secretio & expulsio citra sanguinis [5] fervorem ac ebullitionem.atque idcirco cum febre erumpunt.

Exanthemata seu Variolæ pustulæ sunt latæ [6], albidæ, quæ suppurantur, & crustas relinquunt. Ex crassiore sanguinis,& pituitosiore portione hæ proveniunt. Ecthymata verò, sive Morbilli tumores sunt,non tamen alti,qui non suppurantur. Horum generatio ex tenuiore sanguinis portione, & magis biliosa provenit.

Præcedunt Exanthemata Febris lenta citra rigorem, gravitas in somno, capitis & [7] dorsi dolor, & quandoque [8] raucedo quædam. Præcedunt eadem & Ecthymata, & cum his quandoque sanguinis [9] è naribus fluor. Apparentibus hujuscemodi signis non temere suspicari licet vel Exanthemata, vel Ecthymata citò apparitura; præsertim si patiens his ante non laboraverit,& cum infectis versatus sit,& multi laborent.

Sanguinis missio apparentibus Exanthematis aut Ecthymatis nulla ratione [10] admitti debet: sed prius facta prodest. nam detracta impuri sanguinis portione,quod reliquum,facilius à natura superatur. Simile est in Medicam. purgantibus, Contineri autem laborantes loco calido debent, & diligenter contegi [11]. nulla frigida interius,aut exterius applicari possunt. Decoctum ficuum aridarum uvarum passarum,& sem. anisi, aut fœniculi utiliter bibitur. Et in sorbitionibus ficus aridæ incoquuntur [12].

Quan-

Quando verò Variolæ erumpunt Oculorum, Oris, & Gutturis cura habenda est. Præservantur Oculi aq. rosac. aut lacte muliebri in quibus dissolutus crocus, quo oculi & palpebræ illiniri debent. Ori providebitur si quandoque nonnihil diamori solum [13], vel cum melle rosaceo in ore contineatur. Quodsi verò in Gutture Variolæ jam eruperint Gargarismos adhibere conuenit partim adstringentes, partim abstergentes, ut ex folijs, aut summitatibus rubi. folijs ligustri, aut corticibus granatorum [14].

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Inter quos Raz. libro de Peste. Veteribus Variolas & Morbillos ignotos fuisse qui fieri potest, quum causas illorum statuamus quæ in veteribus etiam fuerunt. Quod autem distincte de illis non egerint fortassis eadem de causa accidit, propter quam & herbas maximè notas, brevissimè, vel nominibus tantum suis, descripserunt.

2. Propter analogiam ut facilius corripiuntur, ita & facilius curantur. Imo quidam in utero materno adhuc existentes, quod anno 1608 in abortu fœtus immaturi, matre morbillis correpta, contigisse, compertum est.

3. Ex cujus portione crassiore Variolæ, ex tenuiore morbilli oriuntur. Quando autem populariter grassantur, aeris corruptio magis minusve contagiosa accedit.

4. Interdum etiam bis, aut ter, sed rarò. quia morbi ex aere contagioso contracti idem corpus raro bis occupant.

5. Ut neque cerevisia, neque vinum defecatur sine ebullitione. Febris autem secundum omnium opinionem, Synocha est.

6. Atque ideo neque pruriunt. quod latæ omnes ex pituita sint, quæ acrimoniam non habet. nisi per putredinem illam acquirat. hinc ubi in pus mutari cœpit pruritus magnus percipi solet. Variolas nostrates, de kinderpocxkens; Morbillos, de Maselen appellant. Fucks. Iunius, alijque nominum horum significationem invertunt.

7. Quia humores sunt in venis; atque in ipsa cava.

8. Ab humoribus, versus pulmones destillantibus.

9. Exanthemata præcedere hæmorrhagiam rarissimum. crassiores enim humores sursum vix feruntur. Aliquando autem tam profusa est, ut copia sua terreat; quod potissimum in Sanguineis fieri solet, quemadmodum & mihi in pueritia contigit.

10. Nam quæ natura ad superficiem expellit ad centrum, h. e. ab ignobiliorib. partibus ad nobiliores, viscera ss. revocanda non sunt. sed quo illa vergit eo ducere oportet.

11. Opinio est, rubra stragula similitudine coloris ad evocationem prodesse, quam sequitur Fracastor. At color objectum visivi tantum spiritus existens, alios spiritus, humoresque qui poterit movere?

12. Potest ad evocationem dari Theriaca in aq. carduibened. soluta.

13. Prout adstrictione, ad nascendas, veluti in initio, solâ, vel etiam detersione, ad jam natas, ut morbo procedente, opus erit,

14. Aut folijs succisæ, hordeo integro, & glycyriza. in quorum decocto dissolvendum mel rosaceum, & diamorum. Atque hoc gargarismate frequenter os colluendum.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXI. ad Caput XXI.*

[ *Corripiuntur autem citius pueri, quam alij* ] Natura enim corpus profundum expurgans senibus est imbecil-

becillior, pueris valentior, & illotum corpus magis rarum, paratumque ad plures morbos ob intemperantiam victus, & natura non poteſt diu ſanguinem pravum ferre.

[*Apparentibus vero exanthematis*] Conſilium auctoris rectum eſt in juvenibus, ubi vires ſunt liberales, & pueris, poſt decimum quartum annũ; ante quem *Galenus* noluit, ut admittatur hoc auxilium, ſed ſi puer ſit carnoſus, tuto aliquando phlebatomari poteſt ante præſcriptos annos.

Tempus ſecandi venam eſt ante eruptionem; nam exonerata natura melius excernit.

Si vires ſint debiles & corpus rarũ, tempus æſtuoſum, loco illius admittantur cucurbitulæ, vel Hirudines impoſitæ bracchijs, lumbis, natibus, ano, quoniam minus debilitant vires.

[*Simile eſt medicamentum purgans*] hoc meo quidem judicio ſuſpectum eſt, non quia vires debilitat, ſed, quia operationem naturæ impedit, humoreſque virulentos ad interiora retrahit, quare ab eo cavendum, ſi magna ſanguinis adſuerit ebullitio, & natura in expulſione laboret, aut exanthemata in cute appareant.

Ergo ſi debeat exhiberi, admittatur ſolum in declinatione, ut ſanguinis terreſtrior pars, quæ non potuit per cutem expelli, per alvum vacuetur.

[*Præſervantur oculi*] Exempli loco ſit, hoc collyrium.

℞ Sem. ſumachi. ℈ j.
Croci orient. ℈. S.
Accommodentur nodulo, qui Innatet
Aquæ Roſarum,
Lactis mulieris, ana ℥ ij.
Et Reſervetur uſui.

[*Ori Providebitur*] Linctu.

℞ Syr. Violati comp.
Syr. jujubini,
Mellis roſ. col. ana, ℥ j.

Cum bacillo Glycirrhizæ.
F. Linctus.

[*Quod si vero Variolæ in gutture erumpant*]

Tunc ℞ Docti Hordei integri
Cum fol. rosſ Rub. &
Violariæ, lib. j. S.
Cui adde Mellis, roſati,
Vel. Diamori, ℥ j. S.
Syr Iuiubini ℥. j.
Et fiat gagariſma.

## DE FEBRRIBUS CUM ANIMI DELIQVIO INGRVENTIBVS.

### CAP. XXI.

ANimi deliquia vel cum febre, vel abſque febre fiunt. quæ cum febre, quando cum oris ventriculi inſigni debilitate ac offenſa, pravi in corpore redundant humores, proveniunt, qui aliquando craſſi, crudi ac frigidi ſunt, quandoque verò tenues & bilioſi. Recentiores ex frigidis humoribus natam febrem nuncupant ſyncopalem humoralem; alteram ſyncopalem minutam. Crudorum humorum copiam oſtendunt præcordia tumida ac inflata, cum & ipſius corporis tumor & calor albidus vel pallidus, veluti eorum qui aqua intercutē laborant. Tenuium verò ac bilioſorum redundantiam teſtantur corporis habitus ſqualidus ac extenuatus, roſiones circa os ventriculi, & oris amaritudo, & quandoque Vomitus bilioſi. Animi autē deliquium in acceſſionum initijs maximè ſupervenit; & quandocunque æger aliquo movetur modo, periculoſus idcirco morbus cujus curatio perqnam difficilis. In nulla autem

tem harum febrium ſanguis 4 mitti poteſt. Gal. multis frictionibus utitur. quæ quomodo & qualiter faciendæ Paulus ex Gal. habet.

## *Curatio ejus quod à frigidis.*

Conſiſtit autem hujus morbi curatio, partim in victus ratione, partim in alijs remedijs. Victus ratio requiritur facilis, aperiens, & attenuans; talis qualis in quotidianis, ex quarum Genere hæc quoque eſt. Dandus eſt cibus in exigua quantitate, propter humorum copiam; & frequenter, propter virium debilitatem. laudatur pro potu primis diebus aqua mulſa in qua decocta ſit hyſſopus aut thymus. Concedendum verò & vinum eſt, album, clarum, non aſtringens aut auſterum. In quiete continendus eſt æger. Tempore acceſſionis nullo modo ſomnus admitti debet. alio tempore permittendus. Laudantur verò & à recentiorib. frictiones matutino tempore & mox à ſomno factæ. humores verò præparandi ac concoquendi veluti in quotidiana. Purgantia med. Gal. dare veretur. recentiores tamen leviorib. med. utuntur. Exhibenda autem talia ſunt quæ ventriculum non offendunt & humores paulatim & per vices expurgent, ut ſunt hiera picra & pillulæ, Alephaginæ dictæ, quib. agarici correcti aliquid addi poteſt. Si purgantia med. dari nequeant & alvus non reſpondeat enemata injicienda erunt, aut glandes ſupponendæ. Humorib. magna ex parte expurgatis ventriculi oſtio providendum eſt, per unctiones aut empl. ut in quotidiana.

Ingruente autem animi deliquio aromatum odore æger reficiendus eſt. Gal. panem exhibet vino

diluto intinctum. Recentiores verò etiam in vino aromatite madefactum, vel ipsum vinum in exigua quantitate propinant, & levibus frictionibus utuntur.

## *Deliquium ex tenuib. humoribus.*

Quando vero ex tenuib. humorib. 6 una cum 7 febri deliquium accidit tunc cito ac frequenter nutrire 8 necesse est, etiam in ipsis accessionibus, ut recentiores scribunt. Aer sit frigidior, in quo æger decumbit. stragulis paucis contegatur à frictionib. & sudore abstinendum. cibus sit facilis concoctionis & qui succum crassiorem ingeneret, autore Gal. cui frigida 9 & austera quædam admisceri convenit. Aqua mulsa improbatur. ptisanæ cremorem Gal. etiam non 10 probat sed panem & sorbitionem ex chondro ac 11 fructus austeros qui non facile corrumpantur & quandoque ovorum vitellos. Recentiores juscula carnium & succum quoque earum commendant cum succo granatorum vel cydoniorum, vel uvæ immaturæ, aut simili astringente aliquo. Si verò carnes fuerint musculosæ succum præbebunt crassiorem & amplius nutrientem. Potus pro potu Savonarola laudat decoctum ex pauco hordeo 12 & multo saccaro. Gal. verò etiam vini usum inter initia admisit; modo tenue, aquosum, & non austerum, quod 13 à cibo ait sumendum. In quiete verò æger continendus est. Somnus permittendus est excepto tamē accessionis tempore, si tempus vigiliarū excesserit, bonum. si autem sponte somnus non successerit invitandus erit. In hujuscemodi animi deliquio frigidam 14 exhibendam potionem Gal. est senten-

ſententia. Vinum tamen & omnib. quibus animi deliquium accidit commendat natura calidum, colorē
15 flavum. ſubſtantia tenue, & ætate vetus. Recentiores in hujuſcemodi deliquio aqua roſacea vel aceto frontem & faciem aſpergunt & madefaciunt.

Reliquæ autem occaſiones quib. citra febrem animi deliquia ſuccedunt ſunt dolor vehemens, vigilia diuturna, immodica ventris inanitio, nimius corporis motus, & principiorum intemperies. Quomodo autem iſtis occaſionibus ſit occurendum deinceps oſtendetur.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

## SYMPTOMATA.

1. Febrium. De hac ut & de omnib. febrib. diligentiſſ. ſcripſit Michaël Savonarola.

2. Leucophlegmata.

3. Tunc enim pulſus debiliſſimus vitalem facultatem gravari teſtatur.

4. Axioma Gal. quod in omnib. febrib. ex putridis humorib. ſanguis mittendus hic locum non habet. vires collapſæ obſtant.

5. Ut poſſint citius concoqui humores & per cutim evacuentur. qua ratione auſterum arcendum eſt.

6. In utraque tum debile eſt ſtomachi os. nam & in alijs craſſi vel tenues humores abundant tum non ſequitur ſyncope.

7. Quæ fere ad ardentem vel exquiſitæ tertianæ naturam accedit.

8. Neque enim magna febris aut acceſſionis ratio habetur.

9. Nam cibus quamvis nutriat non tam corroborat ventriculum ut hæc.

10. Non quod refrigeret. utile enim, ſed quod non ſatis nutriat.

11. Non

11, Non quod alant valde quum non ſint dulces, ſed quod roborent oſtiolum ventriculi.

12. Quoniam frigidum eſt ; ſaccharum verò nutrit.

13. Traducit enim crudos humores, ſi ante ſumatur, ſi poſt, concoctum jam deducit. Diſputantibus quibuſdam, num poſt cucumes peponeſve vinum calidum Hiſpanienſe bibendum, obtinuit non eſſe bonum, ſed piper addi prodeſſe.

14. Non aquam, ſed quod exhibetur ſive vinum, ſive aliud, vult frigidum dari. nam mox vinum commendat.

15. Qui actu ſyncopen patiuntur ejus loco ſumunt hippocraticum dictum. continuè ſi vino utatur, ſit tenue, aquoſum, auſterum.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXI. ad Caput. XXI.*

Tractat hic auctor ſymptomata Febrium, quod nomen Græcum eſt à verbo συμπίπτω, id eſt, cado, σύμπτωμα caſus, ſeu accidens eſt.

Hoc duobus modis à *Galeno* accipitur, uti videbis *lib.* 12. *meth. cap.* 3. horum nonnulla levia, & mitia, alia vero gravia, & ſæva ſunt.

[*De venæ ſectione Galenus lib.* 4. *de Tuenda valetudine*, & *lib. de ſang. miſſ.* maximè præciepiebat, ne, ubi crudi ſucci in corpore ſunt, ſanguinem mittamus, ſique Febris ſit conjuncta, præſertim, ſi in ventriculo reperiantur, & vires languent : ſed ſi aliquo modo plenitudo ſanguinis adfuerit, licitum eſt vacuare contra *Alexandrum Trallianum*, qui nimis arroganter *Galenum* arguere videtur.

Quod ſi eos concordes reddere velis, *Galenum* intellige de humore crudo permixto cum ſanguine, *Trallianum*, de crudo ſucco à natura ſanguinis omnino ſeperato.

# DE DOLORE.

## CAP. XXII.

AFfectus qui dolorem excitant 2. authore Gal. sunt; vel enim unitatis solutio, vel intemperies, sive alteratio, quib. accedere potest magna obstructio 1. Continui autem divisio 3. modis (vulneratione excepta) aut enim ruptione, vel contusione, vel erosione. Ruptio fit ex distentione, Contusio à re quapiam gravante, Erosio autem mordente qualitate. Distentio autem fit vel à multitudine humorum, vel à spiritu, cui non patet exitus, vel ab immodica siccitate. Contusio à re quapiam gravi aut dura. Erosio ab eo cui morsus natura inest. Alteratio verò dolorem inferens per ea fit quæ violenter calefaciunt aut refrigerant Magna obstructio ex duris meatum aliquem occupantibus fit. veluti quum arenulæ ureteres obstruunt.

Quum gitur dolor vehemens urget perquirendum & cognoscendum est an hunc excitet humor plurimus, an spiritus cui non sit exitus, an verò gravis moles, an acris humor, an siccus affectus; vel aliud sit quod vehementer calfaciat aut refrigeret, ex hisce causis variæ gignuntur dolorum species quibus & sua sunt nomina quæ à Paulo referuntur.

Si itaque humores plurimi dolorem excitarint sanguinis detractione, vel purgatione, vel utrisque vacuandum. Si spiritus cui non est exitus, discutientibus atque attenuantibus remedijs utendum: aut quod potius 2, loco dolenti cucurbita cum flamma

copiosa

copioſa ſubinde affigenda. Si moles aliqua gravando dolorem efficit, moles adimenda erit. Hic acris humor dolorem affert, cujuſmodi eſt bilioſus, & potiſſimum æruginoſus, in ore ventriculi collectus vomitu expellendus eſt. aut per ſedem enema injiciendum, quod eum eluere queat. Quod ſi verò à ſiccitate dolor contractus fuerit, humectare oportet, quod ſæpenumero perdifficile aut impoſſibile, præſertim ſi occaſione febris, vel inanitionis ſit ſiccitas. Si autem à vehementi caliditate aut frigiditate dolor ſuperveniat, contrarijs occurrendum eſt. Quod ſi verò idoneis remedijs quæ affectum ſanare queunt dolores non ſedentur & vires dejiciantur, ægerque ad mortis diſcrimen tendat ad ea confugiendum med. quæ ex opio & hyoſcyamo ac ejuſmodi narcoticis componuntur. etiamſi corporis habitus nonnihil ſit lædendus. læſio enim potius quam mors optanda ut Gal. ait, læſio enim ſi non fuerit magna, temporis ſpatio emendari poterit. quod ſi verò etiã major, tamen præferenda eſt morti. In exhibendis autem narcoticis ſequendum ſapientis conſilium. Ne quid nimis. Nam nimius narcoticorum uſus quandoque etiam mortem adfert. Narcoticorum ſive opiatorum multæ quidem veterum compoſitiones, ſed omnib. Philonis antidotum Gal. præfert 3. quod ad dolores ſedandos nulli eſt inferius, cujus uſus poſt annum à compoſitione tutus eſt, & ſi duorum 3. aut 4. annorum fuerit multo erit melius.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Quæ tamen ad priores, tenſionem nempe, rumpentem, aliumve modum ſolutæ unitatis, non incommodè reducitur.

2. Nam

2. Nam quandoque diſcutientia, dum pituitoſum humorem calfaciunt, flatus augent.

3. Requies, qua nonnulli frequenter utuntur, quod pauciſſima habeat calida, æquè tutum medicamentum non eſt.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXII, ad Caput XXII.*

**Doloris cauſas** ſcite exponit auctor. Huic cito opitulandum; nam attrahit humorem ad caput, Vigiliam concitat, & phrenitidem: quo pacto repellentia optima ſunt bregmati impoſita, actu frigida.

Temporibus admovendum lac muliebre cum oleo Roſaceo, & Nenupharino. Vel eidem parti impone cataplaſma factum ex mica panis, pomo dulci aſſo, permixto. albumine ovi, pulvere ſantalorum, & ungto. popul.

Sanguinis miſſio optima ex Mediana, vel cephalica: Sic & in fronte, & in lepore naſi.

Cucurbitulæ applicentur ſcapulis, & ſi fluxio firmata ſit, admoveantur in nucha ſcarificatæ.

Embrochæ ſunt ſalutiferæ ad leniendum dolorem, provocandum ſomnum factæ ex decocto hordei, Roſarum, Violarum, Malvarum, Rad. Mandragoræ, hyocyami, fol. Lactucæ, & ſem. ejuſdem. applicentur tepidæ.

Hirudines ano admotæ multum proſunt, ſicut & temporibus, & retro aures.

Purgatio clemens valde prodeſt ex Rhabarbaro, pulpa Tamarindorum, & Caſſiæ fiſtulæ.

Cætera pete ex auctore.

# DE VIGILIIS.

## CAP. XXIII.

INter occaſiones ad quas animi deliquium ſuccedit ſecundo loco â Gal. Vigiliæ recenſentur. hæ non mox & ſtatim, ſed diuturnitate temporis deliquium animi inferunt, corpore videlicet extenuato & ſqualido facto. Comitantur vigiliæ febres & præcipuè ardentes. ſunt verò & aliorum affectuũ ſymptomatata: ut Phrenitidis, maniæ, melancholiæ & magnorum dolorum.

Tolluntur autem vigiliæ partim molli frictione, partim balneo, partim leni corporis agitatione, ut Gal. ait. lib 3. de ſanit. tuenda. mollem autem frictionem Gal. cum oleo ſuadet faciendam. ſed noſtra ætate abſque oleo ſubinde placidè ac leniter bracchia & crura deorſum fricando, ſomnus accerſitur.

Paulus loco frictionis bracchia & crura vincire præcipit, ac deinde ſolvi, quod nec modo fieri conſuevit. Balneo verò non rarò feliciter uti contingit ex decocto malvæ, violariæ, lactucæ & quandoque foliorum papaveris in quo pedes abluendi ſunt & manus. Agitatio levis corporis ad ſomnum quoque conducit veluti lectica aut exigua cymba vehi. Non perficientib. autem iſtis aut quando fieri commodum non eſt, ad epithemata, & inunctiones temporum, & frontis veniendum erit, ex aquis roſarum, violarum, & quandoque papaveris. addito frequenter lacte muliebri; aut earundem herbarum deco-

ctis

ctis quæ admovenda, ubi accessio remiserit. Offeruntur verò & naribus, quæ somnum odore provocant; ut papaveris vël hyoscyami flores & folia, mandragoræ, poma, & pilæ quædam, aut noduli ex corticibus capitum papaveris, corticibus rad. mandragoræ, florib. nymphææ, violariæ, semine lactucæ & hyoscyami cum opio; modico croci & seminis anethi additis. Sorbitionibus verò veluti cremori ptisanæ convenit sem. melonum à cortice repurgatum addi, aut papaveris codia ipsis incoqui, Exhiberi verò & somni tempore diacodium potest, vel ejus loco syr. de papavere, qui somnum provocat, cochlearis mensura sumptus, aut aliud medicamentum exhibendũ, opium habens, qualia exhiberi quandoque, ut Gal. ait convenit. ut sunt ex hyoscyamo catapotia vel ex styrace, quæ à Paulo describuntur, lib. 3. c. 28. in quorum loco recentiores substituerunt pilulas de cynoglossa dictas, Græcorũ tamen compositionibus multò inferiores.

*Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Quæ grati odoris esse, etiam Sacræ literæ, testantur.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio* XXIII, *ad Caput* XXIII.

Vigilia somno opponitur. Et nihil aliud est, quam extensio animæ à principio ad omnes corporis partes, atque particulas, *Galenus de definit. med.*

Causa est caliditas, & siccitas cerebri. *idem lib. 1. prorhet. Hippocrates text. 29.*

Hæ si fuerint immodicæ, vires debilitant, concoctiones impediunt, deliria aliaque mala accersere solent: quare non negligendæ, & similibus remedijs curandæ, sicut supra in dolore prædiximus.

## DE SYNTEXI.

### Cap. XXIIII.

INter occasiones animi deliquium afferentes 3. loco à Gal. refertur ventris inanitio. hujus autem multæ sunt species, ut diarrhæa, lienteria, dysenteria, cholera, quarum curationes seorsim scriptæ sunt. Accedit his & alia quæ syntexis sive colliquatio dicitur. dejicit hæc vires vehementer & perseverans mortem adducit. præter has verò & alia est ventris inanitio à med. purgante facta, quæ subitaneum animi deliquium sæpe affert. Occurri huic potest ijsdē remedijs quibus diarrhæa sanatur. sed his omnib. longe præstat, Theriacæ Andromachi quæ ℈ j. aut ʒ ß. pondere cum vino exhibita mox & valde celeriter fluxum à medicamento excitatum sistit.

Syntexis autem fluxus est Ventris per quem corpus omnio colliquescit & extenuatur, alvi excrementa non cibi aut potus speciem præferunt, sed flava ac biliosa apparent & supra modum graveolentia sunt. consistentia verò non omnino liquida, sed crassiora, veluti lentorem quendam habentia, quibus, & subinde pinguedo quædam innatat. qualis & in urinæ superficie tunc quoque observatur. Syntexis autem accidens est febrium acutarum ac continuarum, præsertim longarum. Curatio ejus per refrigerantia & astringentia instituenda est. fructus refri-

refrigerantes & austeri utiles sunt, ut mala punica acida, fructus corni, uvæ immaturæ, acini ribesij rubentis & oxyacanthæ acini vulgo berberis [2]. ex quibus syr. vel quæ Arabes Rob. nominant confecta conveniunt, & quæcunque his similia. Ab omni jure carnium abstinendum est. sorbitionibus veluti ptisanæ cremori, æqualis portio amygdalarum dulcium addenda est. ipse vero chylus [3] amygdalarum dulcium, vulgò lac nominant, etiam convenit, præsertim refrigerante aliquo addito. Ptisanæ decocto incoqui poterit aliquid conservæ [4] rosarum veteris, vel fructus aliqui astringentes. Paulus in ardente febri cum syntexi frigidæ potionem ait utilem ex frigido fonte petitum. dari autem hæc non debent, nisi observatis conditionibus prius in curatione synochi & ardentis febris, enumeratis.

Ventriculum verò & inferiorem ventrem oleo cydonorum & rosaceo vel utrisque inungi expediens quoque est.

Ex occasionib. autem quæ animi deliquium afferunt, reliquæ sunt, nimius corporis motus & principiorum intemperies. Motus autem corporis veluti eorum qui insaniunt somni provocatione sedandus. qui quomodo provocandus sit ante dictum est. Intemperies verò principiorum quomodo corrigenda suis locis occurret dicendum.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Gal. hanc ejus probam dicit ac nos experti sumus, statim stitisse fluxum. idque ratione resistendi venenis nam med. venenata sunt. Addit Paulus lib. 7. cap. 7. aliam causam. Nam dicit, ad cutem deducit,

humorumque ad ventriculum impetum revellit.

2. Astringunt etiam quæ vulgo veenbesyen, & quæ Brabanti craakebesyen, Germani heydelbeeren appellant.

3. Multi putant non retinere alvum ob oleum quod habet. verum tam exiguum est, ut se non exerat, at substantia astringunt.

4. Resolvi in poculo uno 2. ℥ possunt.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXIIII, ad Caput XXIIII.*

[*Pinguedo quædam innatat*] hoc fit, dum partes solidiores colliquantur: sed si cum humoribus colliquatur carnosa substantia, alvi dejectiones russæ, crassæ, fætidæ, in biliosis spumosæ apparent.

Si id quod colliquatur crassum sit, totum in ventrem confluit, sequitur *Diarrhæa Syntectica*; quam medici vulgato nomine fluxũ colliquantem vocavere.

Urinæ similiter russæ, fætidæ, oleosæ, cum multis squammis.

In omni colliquatione cum habitu corporis, facies mutatur, & Hippocratica, seu cadaverosa redditur: Scilicet nares acutæ, collapsa tempora, oculi concavi; tunc virtus deficit, sudores diaphoretici, & Syncope oriuntur, tandem exsoluto corpore, mors.

## DE CATAPHORA.

### CAP. XXV.

GRavem somnum qui [1] febribus supervenit καταφορὰν Græci vocant, vel, ut alijs placet, magnam dormiendi cupiditatem. A frigidiore ac humidiore cere-

cerebrum imbuente materia accidit. Oxycrato tepido, id eſt, aceto cum aqua mixto, frontem abſtergendam Paulus ait, & naribus quæ inciſoriam vim habent admovenda. tale autem [2] eſt acerbum acetum, faciendæ etiam ſunt diverſiones, ut crurum duræ forteſque frictiones ac validæ ligationes. Cucurbitulæ quoque affigendæ [3] ſunt partib. femorum interioribus, ut Rondeletius ſcribit, & quidem non prius quam in remiſſione febris [4] ut Paulus ait. Hiſce remedijs ſi vigil æger reddi nequeat, ſternutamenta offerenda. deinde ubi febris acceſſio ceſſaverit ad generalia remedia vel ſanguinis miſſionem vel purgationem veniendum.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Coma duplex, vigilans, quod alias catochus dicitur. ſomniferum eſt καταφορά, quæ ſomnum quod pejus eſt, vel ejus deſiderium, quod non ita malum infert, neque enim tam multa fuerit materia eadem tamen curatio.

2. Adeo, ut ſi non admodum magna fuerit copia opij ſumpta, eos qui id ſumpſerunt excitare poſſit.

3. Non ſcapulis; ut Paulus, quod aliquam poſſint materiam surſum trahere. ideo femoribus applicantur.

4. Quod acceſſionis ſymptomata ea non ſublata tolli nequeant, eam tolli impoſſibile eſt, tum afflicto acceſſione danda non eſt afflictio. & in ſtatu quieſcendum: ait Hipp. quod & de particulari ſtatu intelligendum.

## NICOL. FONTANI,

### *Annotatio XXV. ad Caput. XXV.*

Miror ego, auctorem *Cataphoram* nominare, quod *Coma* est, quandoquidem hæc per se morbus, & non symptoma sit, quippe quod accidat continuis febribus, præcipuè malignis, & est potius sopor, à Græcis vocatus, Coma.

Hic somnus duplex est, naturalis, & non naturalis. Ille facultatis animalis quies est, spiritus, viresque instaurans; cujus causa sunt vapores benigni, ab alimentis ventriculum anteriorem cerebri occupantes, qui durant, donec fuerint resoluti.

Alter semper fit à causa præter naturam, nempe frigidiore, ac humidiore cerebrum imbuente, ut docet auctor. Hic si modum excesserit, malum, ut docet *Hippocrates* per hæc verba: *Somnus & vigilia modum si excesserunt, malum. Et aphor. 6 - 7. sect. 4. in febribus per somnum pavores, & convulsiones, malum.*

[*Oxycrato tepido*] Hæc sit forma.

℞ Olei Rosacei, ℥ j.
Aceti vini albi, ℥ ij.
Misce pro Oxyrrhedino.

## DE CAPITIS DOLORE IN FEBRIBUS.

### CAP. XXVI.

CApitis dolor qui in febribus ardentibus aut synochis supervenit ex vaporibus aut fumis ut plurimum qui sensim sursum efferuntur, & cerebrũ petunt provenit. adeo magnus hic quandoque est, ut deli-

delirium afferat. Curatur autem partim repellentib. partim revellentib. Inter repellentia autem laudatur veteribus oxyrhodinon ex oleo rosaceo & aceto compositum, quod quomodo capiti adhibendum Paulus ostendit. nostra ætas in ardentibus ac synochis febribus aqua & aceto rosaceis oxyrhodini loco utitur, addito subinde lacte muliebri [1] & ovi albo. verum hujuscemodi capiti adhiberi nequaquam convenit si in critico sanguis & narib. fluere incipiat, vel fluxurus speretur. Revellunt autem duræ vehementesque crurum fricationes, ligaturæ, cucurbitæ & jam recentioribus practicis usitata, quæ sub plantis pedum ligantur ut sapo cum sale brassicæ folio vel alteri rei impositus, qui in mediocri dolore confert. vel raphanidis radices, cum sale, quæ tum odore cito molesta veluti & tincarum piscium, quæ & fissæ sub pedibus ligantur. Ex his autem quæ maximè revellunt sunt columbæ vivæ fissæ & cum sanguine suo calentes admotæ plantis pedum, quæ partim singulari eximiaque proprietate partim similitudine moderati caloris non modo à capitis doloribus, sed & à delirio frequenter ægrotos liberant [2]. Quæ verò pedibus applicantur, tum demum applicanda quando pedes sponte incalescunt. sinendæ autem sunt columbæ sub pedibus ad minimum per horas 12. tum in lebetem aquæ frigidæ abjiciendæ, ne odore sint molestæ.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Densari tum humores, indeque destillationes novæ fieri possent unde nonnulli magis revellere student.

2. Quidam ranunculum ſupponunt pedibus, unde etiam febris quandoque tollitur, periculoſa tamen ulcera excitant. ſic ros ſolis carpis applicatus quartanam tollit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXVI, ad Caput XXVI.*

[*Cerebrum petunt*] præcipuè in priori corporis parte, ut fronte, & temporibus, nam, *Fernelio teſte*, ille qui in occipitio, vel vertice, vel circa aures ſentitur, ſymptoma febris plerumque non eſt, ſed propriam in capite cauſam habet.

In ijs multa capitis agitatio vitanda, ſic ſtrepitus, & colloquium, ira, clamor, ploratus, vinum, ponantur obſcuro loco, habeant alvum laxam.

Cætera remedia ſupra poſuimus, titulo de dolore.

## DE SUDORE.

### CAP XXVII.

SVdores qui in febrium ſtatu & præſertim in critico die erumpunt nullatenus reprimendi ſunt, ſed quiete & mediocri calore adjuvandi, niſi forſan adeo largè erumpant, ut vires dejiciant, quod ſi acciderit, auferendo tegumenta & ſudorem [1] abſtergendo recreandus æger erit, ac ei permittendum, ut aerem paulo magis pèrflatũ admittat & dormiat [2]. Sudores autem, qui poſteaquam febres ceſſaverint adhuc perſeverant & vires dejiciunt, reprimendi ac prohibendi ſunt. Paulus pleraque aſtringentia enumerat corpori vel inſpergenda, vel admovenda

quorum

quorum noſtra ætate non eſt, uſus alijs remedijs repertis. Ad ſudores autem prohibendos conducit 3 ſaccharum ſive conſerva roſarum rubrarum, veſperi ad ingreſſum lecti 3.aut 4. ʒ pondere ſumptum, cui, ſi ſola non ſatis reprimit ſudorem, addi poteſt Rob de ribes vel ſyr. de granatis acidis.& aliquid ſpecierum, ditrionſantalon vel diarrhodon Abbatis. Quod ſi verò ſudor adhuc perſeveret linteamina aut induſia, aceto roſaceo aſpergenda, deinde reſiccanda erunt, in quibus æger decumbit aut induitur, à laboribus & vehementibus exercitijs abſtinendum, in aere frigidiore verſandum, cibus ſit ex ijs quæ facile nutriunt & lentoris nonnihil habent. ut ſunt carnes muſculoſæ & animalium extremæ partes, quæ & cum alijs cibis coqui poſſunt. Largior non ſit potus neque ſubſtantia ejus nimis tenuis. vinum rubrum & aſtrigens laudatur.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Tum cutis obſtruitur, unus enim humor alium evocat.

2. Tum enim ad interiora revocantur humores.

3. Sic Itali vocant conſervam roſarum, officinæ ſaccharū in aqua roſacea diſſolutum ejus loco dant quod eam vim non habet. non ſubitò hoc efficit (neque enim expedit) ſed paulatim. prodeſt & phtiſicis. optimum quod non ultra annum fuit confectum.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXVII, in caput XXVII.*

Sudoris eadem materia quæ urinarum, ut voluit *Galenus* lib. 10. de ſimpl. *Med facult.* nimirum humor craſſus.

Ejus causa efficiens præcipua est calor, qui humorem in vapores resolvit, & in superficiem corporis ducit, ubi à cute in humorem iterum convertitur, & per poros cutis expellitur: adjuvant externus calor humores fundens, attrahensque, & medicamenta sudorifica assumpta, quæ humores liquefactos, per habitum corporis ad cutem celerrime rapiunt.

Sudores febricitantibus sunt boni, qui manare ceperint. 3-5-7-9-11-14-17. 21-27. 31-34. quia morbos judicant.

Sed si sudor una cum Febre jncidat, si est acuta, malus.

Plura, si scire de hoc aves, lege *Galenum 3. de symptomatum causis. cap.2.*

## DE TUSSI.

### CAP. XXVIII.

TVssis quæ non primario affecto pulmone aut respirationis instrumentis in febribus accidit circa initium & in ipso initio accessionis molestiam facit. & ut plurimum sicca est. Fit autem hæc quandoque ex acrimonia caloris febrilis; quandoque ex viscerum obstructionibus. Et siquidem ex acrimonia fiat, linctus vel syrupi exhibendi erunt refrigerantes, ac acrimoniam obtundentes: ut sunt syr. de violis, syr. de ziziphis [1] valgò jujubis dictis, vel similis. Si verò simul adsit destillatio, quod tenues cum tussi humores prodeuntes ostendunt syr. de papavere reliquis erit admiscendus [2]. Conveniunt autem & diatragacanth. frig. succus glycyrrhizæ, glycyrrhiza ipsa, & quæcunque dulcia sunt & non calent. Si verò tussis accidat ex obstructione [3] jocinoris aut lienis

lienis quæ & ſicca tuſſis eſt, ac in diuturnis febribus non rarò contingit, providendum erit viſceribus quemadmodum ſuo dicetur loco.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Omnium humores acres obtundentium præſtantiſſimus eſt hic.

2. Uſus ſum aliquando fœliciter ſyr. de tuſſilagine, verum ea parata nos habemus in officinis.

3. Ex acrimonia autem in tertianis & ardentibus. eſt autem & hæc ſicca. metuendum ne hydrops fiat.

## NICOL. FONTANI.

## *Annotatio XXVIII. ad Caput XXVIII.*

Quando humor in Febribus deſtillat præ calore in fauces, & thoracem, tunc tuſſis excitatur conante naturâ expellere noxam ſenſatam.

Quod ſi remedia ab auctore præſcripta non proſint; utere incraſſantibus, ut Athanaſia, Requie Nicolai, Diacodio, Tabellis Diatragachanti, & diapaveris.

Si adhuc urgeat, utere Narcoticis (nam timor eſt ne ex humore acri thoracis corrodantur vaſa, aut rumpantur) ut ſunt philonium Romanum, aut Perſicum. Sit doſis ℈ j. uſque ad ʒ j.

Purgatio clemens ex Mannâ, & caſſiâ eſt utilis.

Cucurbitulæ juvant ſcapulis appoſitæ,

DE

# DE STERNUTAMENTO.

## CAP. XXIX.

STernutationes quæ dieb. superveniunt criticis & quando speratur aliqua sanguinis per nares vacuatio nullo modo sunt prohibendæ, sed ijs, quæ alio tempore molestæ sunt, occurrendum. Paulus narium, frontis, & oculorum perfrictiones aliaque similia, tum & calentis olei infusionem in aurem, consulit, veluti divertentia. potest verò & cervix in eundem finem deorsum perfricari. Inter remedia autem quæ cito sternutationem cohibent recentioribus comperta sunt laminæ frigidæ ex ære, argento, aut stanno, vel alia actu frigida [1] sæpius fronti admota. Abstinendum verò ab omnium acrium odore ut sinapeos, piperis & similium, & à pulvere & fumo.

### *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Nam sternutamenta calfacta cerebri anteriore parte fiunt.

### NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXIX, ad Caput XXIX.*

Hoc symptoma ad nares aliquando etiam pertinet, ut commemorat *Avicenna*. Fit à flatibus interdum etiam siccis, & vaporibus nares mordentibus. Sed in febribus ab acri, & pungenti humore oritur.

Iuvant

Iuvant præsidia supra posita titulo de dolore capitis in Febribus. Frigiditate enim sua incrassant biliosum humorem, & infrænant.

# DE SITI.

## CAP. XXX.

Sitis quandoque propter siccitatem & humiditatis fit inopiam; quandoque propter caliditatis abundantiam, præsertim in partibus per quas humor in ventriculum defertur: quandoque verò ex utraque causa, veluti in febribus. Sitim autem optimè & citissimè potus sedat, sed hunc in febre quovis tempore exhibere aut permittere mimine confert [1]. neque enim prius quam febris accessio minui inceperit concedendus est potus. Interea si sitis urgeat lenimenta quædam offerenda sunt, quæ sitim mitigare aliquo modo queant, ut sunt confectiones quædam dulces & præsertim refrigerantes ut [2] syr. de granatis acidis, rob de ribes, vel de agresta. cerasa condita, cucurbitæ conditæ, lactuca condita & similia, ex quibus quandoque aliquid in ore sumendum. Mitigant verò & sitim quæcunque linguæ asperitatem leniunt, item & glycyrrhiza & saccharum appellatum candi. Postequam autem calor febrilis sese remiserit ptisanæ decoctum, vel alius tenuis potus exhibendus [3] est. & quandoque etiam admonendus æger, ut bibat [4].

Si verò citra febrim sitis fiat, veluti à salsorum usu, vel à vini fortis ac meraci potu, & quidem sub noctem, illis ut Hipp. ait obdormiscere bonum est [5]. modo non magna sitis, addit Gal. nam levioris sitis somnus remedium est.

Sed

Sed si magna fuerit sitis, & præsertim ex defectu humidi, aut à forti ac meraciore vino, omnino dandus est potus. nam defectui, ut Gal. ait, succurrere convenit, & caliditatem factam à vino restinguere utile est [6].

Quod si autem post multam vacuationem sitis supervenit [7], citò nutriri ac refici corpus debet. Copiosa autem vacuatione si febris aliqua accesserit alimentum exhibendum, quod non solum citò nutriat, sed & calorem contemperet. veluti est capo cum ptisana ex multa aqua decoctus. hujus etenim jus præter quod nutriat citissimè etiã sitim sedat [8].

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Nam calorem reprimit, & humores in corpore retinentur, unde longior febris.

2. Succis horum, quum haberi possunt, uti possumus.

3. Crassus enim obstructionem in viscerib. præbet. monendus autem ut bibat, ut sudor materiam habeat. sudare enim in fine particularis paroxysmi utile est.

4. Commentator Thucididis 4. lib. ubi Thucid. Lacedæmonijs in Sphacteria insula obsessis per urinatores semen papaveris melle illitum & lini semen molitum fuisse allatum hoc quidem ad tempus delinire sitim ideoque febricitantib. à sui temporis Medicis exhibitum. illud vescum esse, corpus nempe: licet lachryma lethalis opium dicta.

5. Somnus concoquit. hæc descendunt, sitimque non efficiunt. multus autem potus turbaret ventriculi concoctionem.

6. Metuendum enim, ne humoribus accensis febris fiat.

7. Ut

7. Ut fieri solet in fæminis ex partu difficili, aut abortu nimium purgatis.

8. Ad miraculum usque sitim sédare sæpe expertus sum.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXX. ad Caput XXX.*

Hæc sitis, est symptoma actionis animalis.

Fit quoties tunica interior ventriculi ardore est arefacta, ab aliquo humore calido, acri, & nitroso.

Iuvat ablutio oris, cum decocto hordei, Aceto & Saccharo.

Optimi sunt Clysteres refrigerantes, potiones ardorem exstinguentes. Sed mirandum in modum juvat globus Cristalli in ore assumptus.

## DE NAUSEA.

### CAP. XXXI.

NAusea quandoque in febrium fit accessionibus, veluti in augmento: quandoque etiam post accessionem & quum febris desijt molesta est ac perseverat [1].

Si itaque in accessione acciderit, ventriculo conante & nequeunte quod molestum est expellere, exhibendum erit aliquid quod vomitionem adjuvet [2], veluti ptisanæ decoctum tepidum cum oxymelite, vel oxymeli solum, quo sæpenumero vomitione vitiosi humores expurgantur.

Post accessionem cessante febre, si nausea perseveret, & æger cibum fastidiat, & purgationes præcesserint,

cesserint, roborandus erit ventriculus: foris quidem inunctionibus, fotibus, aut emplastris astringentibus ac roborantibus, intrinsecus verò nonnullis compositionibus ipsum confortantibus, ac bona victus ratione; Corpore verò non purgato purgans aliquod med. exhibendum, sed ventriculum non offendens, ut est hiera picra (si non obstet febris) quæ vitiosos humores in ventriculi tunicis contentos fæliciter expurgat.

Quod si autem febris major sit, & biliosi humores ventriculo molesti sint; Rhabarbarum utiliter exhibetur.

Si verò æger purgari non sustineat, & pituitosi humores ventriculum graventur, sequendum erit Pauli consilium, ac in quiete, inedia ac somno quoq; si fieri poterit, continendus. Quorum inedia efficacissima est, quæ vel sola non modo nauseam tollere, sed & recidivas febres superare potest.

Abstinendum autem à cibo, toto eo die, quo febrilis accessio in expectatione est, neque prius, quam illius tempus præterierit cibus offerendus est, atque is facilis, veluti sorbitio aliqua.

Vnctiones autem, fotus & emplastra quæ foris ventriculo admoveri utile est, in curatione febris quotidianæ descripta sunt.

4 Exhiberi verò ad ventriculi roborationem potest Aromaticum rosarum, vel diarrhodon Abbatis, aut syr. de mentha, vel, si bilis aliqua in ventriculo restet, syrupus ex absinthio, qui bilem absterget, & simul ventriculum roborat.

Victus sit ex optimis & concoctu facilibus, quæ aromatis (zinzibere, caryophyllis & similibus) condiri

diri utile erit. Vinum concedendum (niſi febris obſtet) generoſum.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Vel propter debilitatem relictam, vel propter reliquias humorum.

2, Inciſione ac leni deterſione, qui ob craſſitiem & lentorem lateribus ventriculi veluti adglutinati difficulter ejiciuntur humores ſeparando, & in cavum veluti proturbando.

3. Tonum enim adſtringentibus ſuis partibus viſceribus indit.

4. Odorata totum quod à vertice ad Vmbilicum eſt, & turbare, & mitigare plurimum poſſunt, ut inquit Plato in Timeo. Quod mare conſcendentes nauſeant, non tantum jactationi fluctuum, ſed viroſo odori maris non male tribuitur.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXXI, ad Caput XXXI.*

Quid nauſea ſit, & vomitus, docet doctiſſimus Magiſter *Galenus lib. 3. de ſymptomat. cauſis, cap. 6.*

Sed unum habetur ſine altero, ut experientia docet.

[*Vinum concedendum*] Quippe quod celeriter tranſmutetur, & nutriat, teſte *Galeno. Libro 3. de Temper. cap. 2.*

Sed addit cautionem [*Niſi febris obſtet*] & ego plura: ut ſi aliquod viſcus Inflammationem patiatur, ſi caput vehementer doluerit, ſi delirium vel adſit, vel immineat, quia ex eo, in eis, quaſi inſanabilia nocumenta proveniunt.

Roborandus ventriculus emplaſtris, ſtomachico, Diaphænicone, Unguento Comitiſſæ ſuperinſperſis

pulveribus Diarhodonis, Rosarum, Santalorum, & Aromatici Rosati Gabrielis.

# DE VOMITU.

## CAP. XXXII.

VOmitum spontaneum, qui confert, & leviter fertur, non esse reprimendum ab Hipp. docemur. Sic nec illum reprimi oportet, qui postquam signa coctionis apparuerint in die critico supervenit, nam & talis confert. Sed alio tempore superveniens, & qui non leviter, sed molestè fertur ac vires dejicit omni conatu est sistendus. neque refert si vel flava bilis, vel atra sit quæ rejicitur nisi quod atræ bilis vomitio magis sit periculosa. Habet Paulus cataplasma ventriculo imponendum ex palmulis sive dactylis, & alijs astringentibus. hujus loco uti possimus empl. ex crusta panis [1] vocato, quod in Cordo reperitur. Non proficiente autem hujusmodi cataplasmate, vel ægro non sustinente, cucurbitula admoveri poterit media inter umbilicum & ostij ventriculi regione. Sedato vomitu cibus paulatim dandus, cui & astringentia quædam admiscenda, ut succus malorum granat. succus omphacij, ribesij aut similis. Dandum verò & generosum vinum, vel etiam aromatites ad vires reparandas quandiu febris non obstat.

### *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Nobile emplast. cujus vim sæpe sum expertus. monendi tamen ægri sentiri angustiam quandam, dum inhæret.

NI-

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio xxxii, ad Caput xxxii.*

Biliosus humor confluens ad ventriculum vomitum facit.

Iuvant acida, & ea quæ supra de Nausea dixi.

## DE SINGULTU.

### CAP. XXXIII.

Singultus est affectus oris ventriculi & veluti quædam ejus partis [1] convulsio, quæ fit vel ex repletione, vel ex inanitione, aut ab acrimonia eorum quæ in ventriculo continentur, vel ex nimia refrigeratione.

Singultus. g. qui in febribus accidit corpore nondum purgato à vitiosis humoribus ventriculi ostio molestis excitatur. quibus vel vomitione redditis, vel per inferiorem ventrem expurgatis, cessat. Si itaque à vitiosis humoribus singultus molestiam faciat exhibendum aliquid erit quod vomitionem adjuvet, vel quod per inferna expurget veluti quando nausea molesta est. Deinde roborantia admovenda.

A frigida causa veluti à frigidissimo potu, singultus superveniens calfacientibus sedatur etiam foris admotis. Singultus autem qui in fine febris viribus jam debilitatis infestat, præsertim post magnam vacuationem, ex inanitione & debilitate oris ventriculi accidit. In hoc casu laborandum est, ut retentrix vis ventriculi roboretur, quod fit per astringen-

tia ut ſunt oleum ex maſtice, oleum ex cydoneis, addito oleo ex menta [2], item empl. ex cruſta panis, vel ejus loco pomum cotoneum excavatum & oleo maſticino repletum ac deinde coctum, [3] & ori ventriculi inſtar cataplaſmatis admotum, addito [4] cariophyllorum, vel mentæ, vel utriuſque pulvere. Prodeſt etiam fomentum ex abſinthio, mentha, roſis rubris, & anethi ſemine in ſacculo conſutis. & in vino decoctis. Profuit etiam multis præſertim debilibus ſpongia imbuta forti & auſtero vino quale eſt Hiſpanicum calens ventriculi oſtio ſæpius admota. Proſunt verò & adverſus hujuſcemodi ſingultum ea quæ à totius ſubſtantiæ proprietate ipſi reſiſtunt, ut eſt ſemen [5] anethi præſertim in vino decoctum & ſæpius olfactum. Liberat verò & à ſingultu ſternutatio ſuperveniens ut Hipp. refert. ſed ab ea, ut Gal. ſcribit, quæ à repletione fit. poſſunt [6] idcirco in tali caſu quædam naribus admoveri quæ ſternutationem provocant, quæ tamen etiamſi ex inanitione fiat nõ ſunt inutilia. Violentiore enim eo motu aliquo modo ventriculo commoto tandem expultrix ejus facultas quieſcit.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Fit hic pugna retentricis & expultricis.
2. Alioqui nimis foret frigidum.
3. Involutum folijs braſſicæ aut betæ, aut linteo.
4. Ubi contuſum fuerit inſperguntur.
5. In levi ſingultu quandoque ſolum prodeſt. mediocrem ejus vim comperi.
6. Humores enim moleſti ad fundum deſcendunt.

NI-

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXXIII, ad Caput XXXIII.*

[*Quod vomitionem adjuvat*] Si à repletione, ſedatur ut plurimum vomitu.

Si malum ſit, ab humoribus tunicis impactis, poſt evacuationem, ſternutationes movere, quæ teſte *Hippocrate lib.* 6. *Aphor.* 38. Singultum ſiſtunt.

A me commendatur cucurbitula magna cum multa flamma orificio ventriculi admota, præcipuè dorso, è regione orificij ventriculi.

## DE SANGUINIS FLUORE IN FEBRIBUS.

### CAP. XXXIIII.

SAnguinis fluor, qui in febribus contingit ſi acciderit die critico, nullo modo ſiſtendus eſt, niſi largiutius fluens vires dejiciat, quo caſu ut ſiſtatur laborandum eſt. Diverſiones faciendæ per brachiorū & crurum frictiones duras, & fortes ligationes. Fronti admoveri frigidam poſcam ſæpius convenit: aut ſi hæc non ſufficit cataplaſma ex bolo cum ovi albo, quod actu frigidum frequenter admovendū. Iſtis adhibitis, ſi non ceſſet fluxus, cucurbitula adhiberi poterit hypochondrio è directo naris ex quo ſanguis profluit. Continere æger ſe debet erectū & caput haud quaquam antrorſum reclinare neque nares ullo modo irritare aut expurgare priuſquam omnino ſanguis fluere deſierit. quod ſi verò nec ſic

ſanguis fluere deſinat, imponenda erit naſo unde ſanguis profluit turunda 2 oblonga illita ovi albo cui pulveres admixti ſint aſtringentes ut dicetur lib.3.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. At verò quæ extrinſecus particulæ profluenti tum adſtringentia, tum citra aſtrictionem frigida admoventur, hæc ipſe (velut plerique medicorum) non ubique nec ſemper probo, ſed mihi contra omnino quam fieri res poſtulat, ipſum ſanguinem intro compellere ac venas quæ in alto ſunt implere videntur. vidimus enim quoſdam eorum qui ex pulmonibus ſanguinem rejicerent ex thorace refrigerando manifeſto læſos: æquè ut qui ſanguinem vomuerunt nonnullos quod venter foris eſſet refrigeratus. Eodem modo & eorum quib. ex naribus ſanguis profluit aliqui ex capitis refrigeratione deterius habuerunt. illis itaque utendum quum ad alia prius averteris. ut. v. g. in naſo ubi ſanguinis miſſione, artuum frictione, deligationeve, aut cucurbitulis hypochondrijs affixis uſus fueris. Quin ne ſic quidē ad frontē & caput illico refrigerandū. ſed prius eſt ad contraria revellendum, utique affixta in ſumma cervice cucurbitula. duplex enim in hæmorrhagia averſio eſt. quæ eſt ad totius corporis inferna, & quæ ad capitis poſteriora. nares enim cum ſuperiore & anteriore parte ſitæ ſunt, adverſetur autem ei quod ſupra, id quod infra: & ei quod poſt habetur, id quod ante. Gal. 5. Meth.

2. Alliganda faſcia, ne excidat, priuſquam ora venarum fuerint agglutinata.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXXIIII, ad Cap. XXXIIII.*

Sanguis à partibus ferè omnibus fluere poteſt, naribus, ore, thorace, pulmone, ventriculo, jecore, Hæmorrhoidibus.

Sed ego hoc loco de ſuperfluo ſanguinis narium fluxu agam. Sanguis ex venis arterijsve tribus de cauſis fluit. Prima, aperto illarum ore. Secunda, tunica earum diviſa. Tertia, ſanguine quodammodo tranſcolato, & ſudoris modo tranſmiſſo, *ut 5. Method. 3. docuit Galenus.*

Hic fluxus ſi ſit criticus prohibendus non eſt, dummodo non ſit immoderatus, & virtutem debilitet: quia nimio fluente ſanguine, calor nativus ita debilitatur, ut facultas concoctrix alimentum neq; concoquere, neque tranſmutare in bonum ſanguinem, nec per univerſum corpus, diſtribuere valeat.

Tanta eſt præſtantia ſanguinis, ut *Ariſtoteles in libro de anima, & Galenus de placitis Hippocratis, & Platonis*, & nonulli Philoſophi exiſtimarint, illum animam eſſe. Quod etiam à Poëta dictum eſt.

*Et vitam cum ſanguine fundit.*

Si vires adſint nullum melius, *Galenus 5. Methodi 3. & lib. de ſang. miſſ.* 11. excogitavit auxilium, quam venæ ſectionem iteratam.

Quod ſi reſolutus æger ſit, cucurbita Hypochondrijs admota, apud eum ſummo eſt in pretio, mirabiliter enim ſanguinem compeſcit.

# DE ULCERE CIRCA OS SACRUM.

## CAP. XXXV.

EX diuturno decubitu ulcera circa [1] os ſacrum ac in inferiore lumborum parte fieri frequenter contingit præſertim viribus & naturali facultate deficientibus. adhibenda ſunt quæ ulcera reſiccent ac conſolident, qualia Paulus enumerat quibus tamẽ præſtantius eſt empl. quod componitur ex ceruſæ partib. duab. minij factitij [2] parte j. & olei 6. partib. ad nigredinem uſque decoctis. ex quo emplaſtra conficiuntur quæ fortiter adhæreſcunt & ulcera conſolident ſi modo aliquid naturalis roboris ſuperſit.

### *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Signum plerumque lethale, tamen quidam reficiuntur.

2. Nam minerali aliud eſt minium, è cujus vena ſæpe argentum vivum efluit. hujus non eſt uſus.

### NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXXV. ad Caput XXXV.*

In Febribus conatur natura ad partes externas bilioſum humorem detrudere, quo hæc pars inferior, & juxta anum & veſicam poſita ulceratur.

In initio illud abſterges ſero lactis, vel decocto hordei integri, & melle Roſarum.

In

In fine utere emplaſtris ab auctore poſitis. ſi ulcera hujus partis comtemnas, propter declivem poſitum illico fiunt ſordidiora, & doloſa; ex quibus febris multoties emanat, corpus abſumens.

# DE EPICARPIIS.

## CAP. XXXVI.

ISTorum [1] uſus eſt in tertianis febribus intermittentibus, poſt adhibita generalia remedia. admoventur verò & pueris, qui alia remedia non admittunt. materia horum ut plurimum herbæ ſunt quædam ut burſa paſtoris, urtica, folia vitis, cornu cervi, herba, & ſimiles parum ſucci habentes. nobis etiam mentaſtri [2] uſus bene ceſſit quibus ſal & acetum adjunctum, in quibus præcipua vis remedij eſt. hæc enim putredinibus adverſantur & horum facultate per arterias cordi communicata putredini humorum cor fortius reſiſtit, ſic ut & humores minus computreſcant. ita tandem febrium acceſſiones remittuntur ac deſinunt.

### *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. In ardentibus non eſt uſus.

2. Hoc reſtitui puellam nobilem quæ in tertianæ ſingulis acceſſionibus convulſione commitialique morbo tentabatur. poſt uſum tamen rhabarbari.

# NICOL. FONTANI,

## *Annotatio XXXVI. ad Caput. XXXVI.*

Rectè auctor post usum universalium, & in Tertianis Epicarpia demum usurpat, quia ea alias sæpe cum summo mortis periculo administrata vidi.

Ne fiat in initio, sed in morbi declinatione, nam arteriæ per pulsum vaporem calidum ex se emittunt: qui astringentium usu coercitus occlusis cutaneis meatibus restagnat ad cor idque inflammat vehementer, unde augetur febris.

[*Hæc carpo applicantur*] Carpus extremæ manus pars est.

Manus dividitur in Carpum, Metacarpum, & digitos. Carpus, Rasetta ab *Arabibus* appellatur, octo constat ossibus.

Plura de Carpo apud *Vesalium*, & de Epycarpijs lege *Petrum Bairum lib.* 20. Nº 14. *distinct.*6.



DE

# DE AFFECTIBUS Qui singulis corporis partibus obveniunt.

## LIB. II.

## DE ALOPECIA ET OPHIASI.

### CAP. I.

*Lect. 1. Sept. 1.*



Lopecia [1] autem & Ophiasis [2] non valde dissimiles sunt affectus. Commune utrique est quod veluti emortua summa cute pili extenuentur ac excidant, & ex ipsa cute puncta aut leviter læsa liquor quidam exeat corruptus & mali odoris, sanguinis colorem non habens nisi admodum diluti aut corrupti. Occupat utrunque vitium non totum caput, sed partes quasdam, & loca tantum quædam cutis Alopecia quidem nunc hanc [3], nunc aliam partem, aliquando verò etiam mentum. Ophiasis verò incipit ab occipitio [4], deinde ad utrasque aures duobus capitibus serpit, & sæpe eousque ut in fronte committantur. Ophiasin Cor. Celsus infantibus aliqnando ait accidere, & sæpe per se finiri, sed Alopeciam ætati cuivis supervenire & absque curatione non desinere. Relinquitur ab alopecia & ophiasi cutis lævis & glabra,

bra, quandoque densior [5] & mali coloris, atque tunc vitium curatu difficilius existit. Differunt autem ab his defluvium capillorum & calvities. Defluvium capillorum non relinquit loca nuda aut areas nudas, sed æquabiliter ab omni parte accidit. Calvitium verò à syncipite, & capitis corona incipit, paulatim progreditur & cum ætate augescit. cutis à naturali constitutione non permutatur & sive pungatur sive vulneretur non alium quam sanguineum humorem fundit.

Causa autem alopeciæ, & ophiasis sunt pravi ac [6] vitiosi humores qui ex mala victus ratione subinde nascuntur [7]. Curatio consistit in expurgatione horum humorum vitiosiorum, primum quidem per ea quæ universum corpus expurgant: secundo per apophlegmatismos. deinde [8] admovenda sunt localia [9] medicamenta sufficit autem quandoque sola humorum purgatio & bona diæta præsertim ubi morbus recens est, sed inveteratum malum etiam topica requirit med. qualia apud Paulum reperiuntur. Habet exemplum Gal. curati ab alopecia juvenis, qui per solam cum hiera ex colocyntide [10] purgationē & bona victus revocatione fuit restitutus, prius tamen datis aliquot pillulis [11] ex aloë. in qua curatione observandum quod Gal. ante purgationem cum hiera diacolocyntidos non exhibuerit aliqua vel meatus aperientia vel humores præparantia, sed tantum pillulas ex aloë.

† *Defluvium capillorum.*

Quod autem ad † defluvium [12] capillorum attinet illud dupliciter contingit. quandoque enim sensim & paulatim capilli excidunt & attenuantur, quan-

quandoque multi ſubitò excidunt,& ſubinde omnes capitis pili tum & menti ac etiam ſuperciliorum. Prius defluvium ad raritatem cutis,& inopiam materiæ pilos generantis conſequitur , neque alijs remedijs quam localibus opus habet. ijs videlicet quæ mediocrem denſitatem cuti inducunt qualia à Paulo deſcribuntur. Alterum defluvium ex humorum vitio ac corruptela accidit. & eſt ſymptoma luis Venereæ, quod comitatur ulcera & alia circa [13] anum vitia, & talem curationem requirit qualis luis Venereæ exiſtit.

*Lect.2. Sept.3. πιτυρίασις.*

Inter capitis cutis affectiones eſt etiam Paulo Pityriaſis appellata quæ Cor. [1] Celſo porrigo dicitur, alijs furfures. eſt autem hæc veluti ſcabiei ſiccæ ſpecies ſquamulas ac furfures proferens , ſed citra cutis inferioris exulcerationem & pilorum caſum. Contingit vero & ‡ caput ſcabie laborare cujus ſquammis detractis cutis exulcerata relinquitur, atque hæc duplex eſt.quædam enim fit abſque jactura pilorum quæ mitior [2] ac facilior curatu. altera verò cum perditione & defluvio capillorũ veluti in Alopecia. facit hæc magnas & albas cruſtas quæ aliquando partem ejus occupant. & hæc non modo fera eſt,ſed etiam ſi inveteraverit difficulter curabilis. Nonnulli ex ijs qui Arabum doctrinam ſequuntur hanc Alopeciam nominant & lepræ ſpeciem faciunt. & referri quidem poteſt ad lepram Græcorum ,ſed non tamen idcirco adElephantiaſin,quam Arabes lepram nominant.

Inter capitis vero externa vitia quæ ſub capillis oriuntur ſunt & achores Græcis dicti,Latinis ma-

nantia

nantia capitis ulcera, quæ tubercula quædam sunt hiantia, exulcerata, & foraminibus patentia, ex quibus assidue humor fluit viscidus, lentus, ac fœtidus [4].

Accedit ad hoc malum, quod [5] κήριον sive favus dicitur, cujus tubercula majora & ampliora sunt & & magis patentia è quibus humor fluit melleus & veluti is qui in favis continetur, odore fœtidus, & tumores ipsi & colore & figura non raro referunt, præsertim quando malum in latitudinem sese extendit. [6] Differens autem istud vitium est à Meliceride.

Annumerantur verò & capitis vitijs Græcis dicta σῦκα Latinis fici quæ sunt eruptiones ulcerosæ, duræ, rotundæ & subrubentes cum dolore, in quo ab alijs vitijs differt. alia enim dolorem non inferunt.

Origo horum omnium vitiorum ex malis est corruptis humorib. à prava victus vivendique ratione generatis. Oportet autem ut Gal. ait ad præscriptas affectiones convenienti diæta uti & corporis ac capitis purgationem adhibere per pillulas ex aloë. colocynthide & scammonio cum brassicæ succo coactis. deinde localibus remedijs utendum. Loco autem pillularum istarum utuntur recentiores pill. cochijs [7], vel etiam de fumo terræ dictis. sicuti & loco hieræ diacolocynthidos accipitur confectio Hamech. quæ gratior est & non minus tamen purgat quam hiera illa diacolocynth. Meminit verò & Paulus [8] psydraciorum & exanthematum. ψυδράκια autem parva sunt pustularum tubercula. Exanthemata verò generali nomine leves per cutem humorum [9] eruptiones dicuntur, sub quibus Phlyctanæ, psydracia, epinyctides & similia tumorum genera com-

comprehenduntur. Gal. & iſtis eandem quam alijs curationem neceſſariam eſſe ſcribit. Paulus localia tantum adhibenda eſſe præcipere videtur.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1 Sic dicta, quod vulpibus perpetuo eveniat, Paulus. Eſt autem pilorum in album mutatio, quæ ſi perſeveret excidunt. ob carnis exterioris corruptelam. 10. Problem. 29.

2. Propter inopiam humorum pilos nutrientium calvities: propter vitiatos humores Alopecia & Ophiaſis. unum quidem ambæ ſecundum morboſam affectionem malum, nomina autem juxta figuras habentes diverſa. Gal. 1. κτ̀ τόπ.

3. Sub qualibet figura. Celſ.

4. Ac duorum digitorum latitudinem non excedit. Anno 1614. hos affectus quaſi Epidemios vidimus, cum levi quaſi Phityriaſi puerulos invadentes. Curabamus diſcutientibus & detergentibus localibus tantum, ut vino Gallico in quo ſapo communis diſſolutus.

5. Subpinguis & ex toto glabra. Celſ.

6. Si cutis albidior, peccabit pituita: ſi nigrior, melancholia: ſi pallidior, flava bilis. Gal. 1. κτ̀ τόπ.

7. Si cutis linteo neque lævi nimis, neque aſpero fricata rubeſcit, quanto citius id fit, tantò minor affectus. ſic ſi adhibitis med. citius quam ante, vel magis rubefiat, ſpem curationis facit majorem. Gal. 1. κατὰ τόπ.

8. Digerentia tenuium partium, calidum intra ſcopi fines ne cutem talem reddat qualem in calvis videmus. tale ol. laurinum &c. finis ut mali humores exſpirent, bonus autem ſanguis attrahatur. Gal. 1. κτ̀ τόπ.

9. Æſtate in ſole, hyeme in balneo. Ibidem.

10. Bis

10. Bis purgavit in 5. diebus, priori vice 4. post. 5. ʒ. dedit.

11. Ciceris magnitudine 11 dedit sunt tam magna ut ex ʒ possint 20. fieri non enim cicer nostrum intelligendum sed orobæum quod minus, has non purgationis, sed præparationis viarum gratia exhibuit.

12. In muliere rarum. in spadonibus non visum, nec in ullo ante Veneris usum; nec infra cerebrum, aut infra verticem, aut circa tempora, atque aures. Plin. l. 11. c. 17. Albescunt autem qui defectu alimenti excidunt; ut aquilis præ inedia pennæ, quando pullos educant. Plin. l. 10. c, 3. Tale amantis palidi, atque emaciati fuit defluvium apud Theocryt. Idyll. 2.

13. Adeo ut Medicus hinc audacter pronuntiare queat, illum in quo tale defluvium animadvertit ficus vel alia circa pollicem vitia pati.

1. Quæ solam Cuticulam quam Epidermidē vocant, afficit; cujus veluti cariem facit, nascitur ex sordibus & incuria capilli impexi. Comm. in Horas.

2. Quod ab humore minus acri, nec radices pilorum lædente, fiat.

3. Quæ & ipsa Scabiei species est.

4. Ferè fiunt Pityriasi, ac propemodum Psoriasi præcedente. Crito apud Gal. 1. de med. secundum loca.

5. Cerium circa pectus aut dorsum tumorem inflammatum, eum describit Iul. Pollux. Sed forte Meliceridi id nomen tribuit. l. 4. c. 25.

6. Meliceris est tumor non altus in quo continetur humor melli similis, tria sunt abscessuum sine dolore genera quæ plurimum in capite gignuntur. steatoma, atheroma, meliceris. exulceratur in melicer. non cutis externa, sed membrana interior. unde sectione tamen curatur.

7. Quas quidam quasi κόκκια seu granula dicta putant quod tali forma exhiberi soleant. Habent autē

præter

præter hieram, quæ aloë quasi correcta est, colocynt, & scamm. nil aliud quam turbith, & stæchad.

8. Psydracia sunt ignea exanthemata, sponte pronata, exulcerata, in superficie. Iul. Pollux. l. 4. cap.25.

9. Vide Hippocrat. qui humorum colorem veluti florum esse asserit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio prima, ad Caput primum.*

### LIB. II.

Defluvium pilorum, si large sumatur, omnia vitia, in quibus pili defluunt, comprehendit.

Hic morbus est in numero deficiente, non quia vera pars, sed, quia pars ad ornatum corporis necessaria, deficit.

*Alopecia*, & Ophiasis, sunt casus pilorum capitis, non omnium, sed aliquorum, qui forma, & figura differunt.

Postquam auctor nonnulla verba fecerit de *Alopecia*, *Ophiasi*, & Defluvio capillorum, statim parum loquitur de *Phthiriasi*, qui morbus pedicularis Latinè, nominatur.

Hi pediculi præter naturæ institutum redundant, & generantur non solum in capite; sed in toto corpore, quod docet *Aristoteles 5. Hist. anim. cap. 31. & docebo lib. I. de morbis cutaneis.*

Quod ad eorum curam. Præmissis universalibus, non malè mihi profuit sequens unguentum.

℞ Ungenti Rosacei, ℥ j.
Ellebori albi, ʒ ij.
Argenti vivi Salivâ extincti ʒ iij.
Misce, fiat Linimentum.

# DE CAPITIS DOLORE.

## CAP. II.

*Lect.3. Sept.4.*

CApitis 1 dolores magnitudine inter se differunt; sunt quidam leviores, ut Cephalalgia dicta; alij graviores & molestiores, ut est Cephalæa. Occupat 1 dolor quandoque anteriorem & maximam capitis partem, subinde dimidiam ejus, ut hemicrania, quandoque verò partem 2 unam aliquam. 3. Patiuntur dolorem aliquando partes interiores 3 ut cerebri membranæ, arteriæ, aut venæ: quandoque exteriores tantum: subinde ambæ. Laborat verò etiam caput quandoque primario affectu & per se, quandoque verò per consensum & sympatheiam. Dolor verò vel gravans est, vel tensivus, vel pungens, vel cum pulsatione. Causæ dolorem inferentes quandoque sunt procatarcticæ, sive externæ, alias antecedentes, sive internæ. Externæ sunt ardor solis 4, frigus, odor gravis & molestus, ebrietas, vel ictus sive percussio. Causæ antecedentes sunt intemperies, & frequentissimè quidem, cum humorum affluxu, rarò absque his. Peccant autem humores quandoque qualitate, quandoque quantitate 5, quandoque 9 utriusque horum

† *Signa* 1. *Num pro consensum.*

† Signum autem per consensum caput laborare est dolor non permanens, vel non semper sui similis, uno tempore intensior, alio remissior, pro partis videlicet conditione cui caput consentit.

Item

Item & ille dolor[1] qui alijs præcedentibus affectionibus ſupervenit licet permanens ſit, aut parum remittatur etiam per conſenſum fieri dicitur. Non per conſenſum verò, ſed primario & primigenia affectione caput laborat, quando dolor perſeverans ac perpetuus eſt, & qui alijs præcedentibus malis non ſupervenit.

Per conſenſum autem caput dolore afficitur malè ſe habente ventriculo [7] & præſertim oſtio ejus, non rarò verò & ab utero mulierib. quandoque verò & propter jocinoris, lienis, meſenterij, renum, aut aliarum partium dolores ſive morbos, ut Avicenna ait.

Morbi autem ſive affectiones quibus capitis dolores ſuperveniunt & propter quas per conſenſum etiam dolet, ſunt morbi febriles, lues Venereæ, & quandoque plethora ac nimia repletio. Capitis autem dolores qui per conſenſum fiunt quandoque ex ſolo conſenſu [8] ſive συμπαθείᾳ accidunt, nullis tranſmiſſis ad caput humoribus aut vaporibus: aliquando verò ſurſum tranſmiſſis vel humoribus vel vaporib.

*Lect. 4. Sept. 7.*

Dolorem verò capitis per conſenſum ventriculi factum ipſe male affectus ventriculus oſtendit præſertim quando diſpoſitio ejus mala præceſſit. vel hac deſinente dolor capitis conquieſcit. veluti quando acris & bilioſus humor in ipſo ventriculo, vel circa ipſius oſtiolum congregatus eſt, qui in ventriculum aut ab aliqua parte ſponte in eum [9] influit: aut attrahitur ut propter famem diutius toleratam [10]; vel in ipſo generatur, veluti bilis praſina quæ in ipſo ex pravis cibis non raro gignitur. ſic & quandoque ex vaporibus ex ventriculo aſcendentibus caput dolet,

quod fit vel à cibo vel potu vaporosis [11], & præsertim in ventriculo nondum concoctis. non raro verò etiam ab oris ventriculi debilitate capitis dolores.

A jocinore autem vel splene aut alijs interioribus corporis partibus capitis morbi facti concomitantia magna ex parte alia habent symptomata, quibus à capitis doloribus differunt. idcirco & particularia alia nomina obtinuerunt: ut [12] paraphrenitis, & melancholia hypochondriaca &c. de quibus suo loco. Ab utero verò dolores capitis fiunt, vel mensibus suppressis, vel ex alijs uteri morbis [13], & quando ex hoc capitis dolor provenit sæpenumero sentire se mulieres affirmant, vapores & spiritus quosdam calidos ad caput ascendere. Quibus autem hoc contingit sanguine fere abundant & calidioris sunt temperamenti. Capitis autem dolores qui febricitantibus aut lue Venerea laborantibus superveniunt non primarias esse affectiones, sed per consensum fieri & symptomata illorum morborum esse, satis notum est.

## *Curatio doloris capitis qui per consensum.*

*Lect. 5. Sept. 8.*

Quum itaque caput propter ventriculi affectum per consensum dolet atque ipsius ventriculi ostium, quod stomachus dicitur, è mordacibus ac vitiosis humoribus infestatur, optimum est hunc citissimè evacuare & quidem ut Gal. ait, vomitione quæ ijs qui ad hanc [14] proclives sunt, aquæ potione, tepidæ ß. facile succedit. Si verò non successerit vel digitorum, vel pennularum inmissione ventriculus ad vomi-

vomitum irritandus eſt. Sed ijs qui ad vomitionem faciles non ſunt exhiberi convenit quæ infeſtantem bilem deorſum ad fundum ventriculi deſcendere faciunt , ut ſunt quæ ſimul & refrigerant & aſtringunt, ut panis intinctus agreſtæ ſive vino omphaciti, aut ſucco granatorũ acidorum, aut ſucco fructuũ ribeſij. tum & quæcunque ex his conficiuntur. quandoque verò etiam aquæ frigidæ potio , & pira , aut poma cruda. Quod ſi vero humor magis in fundo hæreat optimum fuerit eum illic continere qnod per ſuperius enumerata fieri poteſt [15]. nam in fundo hærens facile ad inteſtina delabitur.

Vbi verò humores conquieverint & non multi fuerint, abſinthij uſus commodus eſt donec ventriculus reſtitutus fuerit. bilem enim abſterget & ventriculum roborat. datur autem vel vinum, vel etiam cerevíſia in qua maceratur, ante cibum vel mox initio : vel etiam ex eo compoſitum ſerapium ante cibum, quod præter abſinthium etiam ſuccum admittit cydoneorum. qua de cauſa & debilem ventriculum magis roborat.

Si vero humores vitioſi fuerint copioſi & frequenter moleſti, ſic ut in ventriculi tunicis imbibiti videri queant, utile fuerit, exhibere hieram picram, quæ, authore Gal. pharmacum optimum eſt ad ventriculi purgationes, nec minus bonum ad capitis ex ventriculo dolores. poſt purgationem ex hiera ad abſinthij uſum etiam pervenenire licebit. Quod ſi ex fame diutius tolerata capitis dolor fiat cibus oblatus remedio erit, vel aliquod eorum prius dictorũ quæ bilioſos ac mordaces humores ad oſtium ventriculi ferri prohibeant. Si autem propter vapores

ac fumos à cibo pravo [16] aut potu veluti meracioris vini, caput dolet aquæ frigidæ potio ſubinde conducit. tum & ea, quæ ſupra enumerata ſunt. jam & ſomnus ſuperveniens dolorem tollit. Quod ſi verò nec dolor reprimi queat nec ſomnus ſuperveniat vomitus erit excitandus, aut enemate adjuvandus venter ut citius aſſūpta ex ventriculo deſcendant. [17] A debilitate ventriculi & potiſſimum oris ejus ſi vapores caput petant, (cujus ſignum eſt quod poſt ſumptum cibum caput dolore gravetur) tunc expedit poſt aſſumptum cibum aliqua exhibere quæ oſtiū ventriculi roborent ac contrahant, ut ſunt ſemen coriandri præparatum, conſerva ex roſis rubris, carnes cydoniorum & ſimilia. vel tragemata quædam ex ſemine coriandri roſis rubris ſiccis, pane t ſto, quibus additur quandoque nonnihil ſeminis aniſi, & ſi ventriculus frigidior galanga, garyophylli vel menta ſicca. deinde ſacchari quantum eſt omnium pondus. ex quo aliquid ſumitur mox ab aſſumpto cibo potione nulla ſubſequente.

Ex utero capitis dolores adhibitis utero idoneis remedijs, ceſſant. prodeſt ſuppreſſis menſibus venæ ſectio, & juniorib. quidem ex vena circa talos [18], ſenioribus verò quæ 50. annum exceſſerunt circa pedis majorem digitum. proſunt verò & his balnea pedum & crurum deorſum frictiones, præſertim dum in balneo pedes ſunt. balneum fieri poteſt ex decocto betonicæ, arthemiſiæ, florum chamomæli, addito ſale. ſubinde & cum cineribus lignorum, aut lixivio decoquuntur herbæ.

*Curatio*

## *Curatio doloris capitis à causis procatarcticis.*

*Lect. 6. Sept. 12.*

Si à diuturna ſub ſole mora caput nimium excalfactum doleat conveniunt ea quæ refrigerant & humectant [19] ut eſt frigidæ aſperſio, vel applicatio aquæ lactucæ, vel etiam roſarum cum oleo roſacea, violaceo, aut nenupharino. Gal. ol. roſaceo frigido caput perfundere jubet. Paulus poſcam admovet cum oleo roſaceo. Poſſunt verò & capiti applicari lactucæ, vel violariæ, vel portulacæ, vel ſempervivi folia, per ſe, vel, cum oleo aliquo ex ſuperiorib. contuſa. Avicenna cataplaſma ex hordei farina cum ſemine pſyllij laudat. Admovenda autem hæc ſunt ſyncipiti ſive anteriori capitis parti non autem occipiti, ut [20] Gal. ſuadet. & quidem initio ipſius doloris. Vbi dolor inveteraverit adjicienda ſunt ſuperioribus quæ aliquantũ frigiditatem aliorum reprimant & ſimul vim quandam habeant doloris ſedativam: [21] ut eſt chamæmelum & ex floribus ejus compoſitum oleum.

Si autem à nimio frigore [22] caput doleat, calfacientibus ol. caput ungendum eſt: ut rutaceo, laurino, vel ſi fortiore opus eſt etiam ex euphorbio compoſito. Aut utendum eſt cal. & ſiccis fomentis. ut ex milio, panico, vel etiam malto [23], frixis & ſacculo impoſitis & capiti calidè admotis. vel floribus chamomæli cum ſale [24] frixis & ſimiliter admotis. Gal. uſum vini & corporis motum commendat.

A malis odoribus ſi caput doleat refert cognoſcere qualis fuerit odor offendens, an videlicet fuerit

fœtidus veluti à cadaveribus corruptis vel à calidis caput implentibus; vel à frigidis torporem inferentib. Si igitur odor à quo caput dolet fuerit fœtidus veluti à cadaveribus mortuorum vel alijs similibus theriaces aliquid exhibendum est [15], vel alterius alicujus alexipharmaci. aërem verò etiam alterare conducit ut accensis juniperi lignis, aut baccis ejus super carbones positis; vel aromatum suffitu. acetum verò & sæpius naribus admovere utile est. Si autem ab odore calidorum caput doluerit ut moschi, ambræ, croci, castorei, ocymi & similium offerenda sunt naribus frigida odorata ut violæ, rosæ, flores nenupharis, camphora, santali lutei, & aqua rosarum. Frigida verò si odore nocuerint ut sunt hyoscyamus, papaver, opium; offerenda erunt calida ut crocus, semen nigellæ, caryophylli & similia aromata, addito si libuerit aceto.

Ab ebrietate dolor capitis natus si somno quiete & abstinentia non fuerit curatus, neque vomitione consulendum est ventriculo. admittit Gal. vinum tenue & aquosum, sed dilutum. nos verò etiam non dilutum tale permittimus. prodest verò & serapium ex absinthio. Quod si verò nec sic dolor capitis conquiescat ad quietem corpore composito capiti quædam applicari possunt ut brassicæ folia in aquam calidam, ut Paulus ait, immersa. item & oleum rosaceum cum succo hæderæ [16] vel brassicæ & aceto permistum vel aliquid eorum quæ capiti ad insolatum adhiberi solent.

Ab ictu aut percussione capitis dolor inunctione olei rosati cũ exiguo aceti calefacti curatur, si ictus magnus non fuerit. nam major diligentiorẽ curam requirit. de qua non est hoc loco dicendum.

## *Dolor ex cauſa antecedente.*

### *Lect.7. Sept.13.*

Dolor capitis à cauſa ortus antecedente diligentiorem curam quam cæteri requirit.[27] Cognoſcere autem cauſam inprimis refert,& anne ſola ſit intemperies,vel cum humore,rariſſimum autem eſt ſolam intemperiem cauſam præbere dolorum, ut plurimũ humores conjuncti ſunt, qui ſunt vel ſanguinei, vel biliosi,vel pituitoſi,vel melancholici.

Sanguineorum humorum redundantiam oſtendit habitus corporis plenus ac temperamentum calidũ & humidum. ſenſus doloris cum tenſione & quandoq; cum quadam pulſatione, faciei cum rubore tumor, pulſus magni, urinæ vel rubentes, aut perturbatæ. Superveniunt autem ex ſanguine dolores frequentius veris tempore & cum cæli conſtitutio calida eſt & humida:ut flante auſtro. Promptiſſimi autẽ ad hujuſmodi capitis dolores ſunt qui liberalius vivunt & multo cibo ac potu præſertim [28] vini utũtur.

Bilioſi humoris redundantiam oſtendit dolor capitis cum [29] puncturis, & corporis habitus extenuatus ac bilioſus, ad iracundiam promptitudo, facies pallida ac flaveſcens , ſomnus rarus aut exiguus & quandoque cum inſomnijs de pugnis , contentionibus, ſanguinis profuſione, vel incendijs. adeſt ſæpe oris amaritudo, linguæ quandoque ſiccitas vel aſperitas,& ſitis.Ex bile autem capitis dolores fieri magis æſtate contingit & quum aer cal. ac ſiccus eſt quam alio tempore,præſertim poſt multum laborẽ ac corporis exercitium & calidorũ frequentẽ uſum.

Transit autem hujuscemodi dolor quandoque in maniam, phrenitidem, vel cerebri erysipelas.

A frigido ac pituitoso humore 30 si caput laborat dolor gravans est & non intensus apparet, sed veluti alicujus ponderis sensum affert. præsertim si materia fuerit copiosa. adsunt non raro humorum per nares distillationes, & quandoque ad palatum quæ linguam & os humectant. adest & somnolentia vel somnus profundior, facies tumet & ex albido colore pallet. urinæ cruditatem ostendunt. pulsus tardi sunt. Promptissimi autem ad hujuscemodi dolores sunt frigido ac humido temperamenro præditi. anni verò tempus maximè idoneum quod frigidum est ac humidum. hujuscemodi autem capitis dolori quandoque lethargus succedit, aut carus, aut etiam catochus.

Ab humore autem melancholico crasso frigido & sicco dolores nulli fiunt, 31 nisi flatus sint permixti qui tensivum aut gravantem dolorem inferant. talis dolor cum vigilijs, aut gravib. & molestis insomnijs accidit, & facile in melancholiam, aut epilepsiam, aut in lycanthropiam mutatur.

Dolores ex sola intemperie, si fieri contingat, non
32 diu durant, accidunt enim illis qui temperata habent corpora, & neque plenitudine neque cacochymia laborant.

Dignoscitur autem causa ex ipsius intemperaturæ sensu. calida intemp. caput reddit calidius: frigida frigidius. siccitas & humiditas dolorem non adferunt. sed siccitatem comitantur quandoque vigiliæ & subinde falsæ imaginationes quodq; melancholicum est. humiditas oblivionem quandoque parit
& me-

& memoriam offendit, veluti non raro & ipſa frigiditas.

## *Curatio capitis doloris ex ſanguine.*

### *Lect.8: Sept.15.*

Capitis dolor qui ex ſanguine vel ſolo vel alijs humoribus permixto factus eſt quandoque remiſſior eſt, quandoque verò vehementior. mitiorem cephalalgiam: vehementiotem cephalæam appellat. Cephalæa autem adeò gravis ac vehemens dolor eſt ut neque ullum ſtrepitum, vel nimium ſplendorem [33] æger perferre queat, cui ſuperveniens febris continua meningum ſive membranarnm cerebri inflammationẽ adeſſe oſtendit quam Paulus cerebri [34] inflammationem appellat. Dolores quidem continui in cephalæa ſunt, ſed tamen frequenter per intervalla exacerbationes ſuas habent, adeo ut ipſe æger caput ſibi malleo tundi vel frangi vel diſtendi exiſtimet. ad oculos quoque ipſos quandoque dolor extenditur.

In utroque dolore [35] ſanguis mittendus eſt ex vena brachij media aut exteriore quam cephalicam aut humerariam vocant, habita ratione & virium ægrotantis & vehementiæ ipſius doloris. ſi enim dolor vehemens fuerit & ægroti validæ vires iterata ſanguinis detractio ex [36] altero brachio utilis fuerit. Alvo etiam providendum eſt, & magnopere curandum, ne illa dura ſit. convenit itaque illam aliquo enemate etiam ſæpius eluere [37] quod feces educet & humores etiam aliquatenus evacuet. quod ſi verò æger enema admittere recuſet exhibendum erit ali-

quod

quod medicamentum clementer alvum dejiciens ut est infusum rhabarbari cum manna vel cum serapio ex infusione rosarum &c. faciunt verò ad diversionẽ etiam frictiones & ligaturæ crurum, balnea pedum tum & ea quæ sub pedibus ligantur, de quibus ubi de dolore capitis in febribus, dictum est.

Iam & sanguis derivandus est per cucurbitulas circa cervicem vel in dorso positas cũ scarificatione si copiosus fuerit. Venas etiam in naribus secandas est qui consulat, vel in fronte. Paulus verò etiam venas sub lingua secare [38] jubet. spontè autem è narib. sanguinẽ profluere bonum est, nec reprimendus ullo est modo nisi superfluat. Continendi autẽ sunt ægri in tenebris & in quiete semoti ab omni strepitu. Victus ratio humida [39] esse & frigida debet, & in maximis doloribus tenuis, in mitioribus verò dolorib. plenior. [2] A carnibus & ovis in maximis doloribus est abstinendum. in mitiorib. verò non usque adeo. Vinum in neutro admittendũ dolore. fugienda quoque omnia sunt quæ caput implere possunt, ut sunt nonnulli odores, & cerevisiæ. [40] Lac etiam caput dolentibus autore Hipp. malum. Potus sit aqua hordei, vel aqua simplex ijs qui illa uti consueverunt, vel tenuissima omnino cerevisia. Cibus ptisanæ cremor, vel lactuca, oxalis, intybum aut similes herbæ decoctæ sicut in curatione ardentis febris dictum est.

Topica remedia fronti ac syncipiti admovenda sunt humectantia ac refrigerantia, talia qualia in dolore capitis ab insolatu. Periculosissimus autem morbus Cephalæa est si superveniat febris. ostendit enim hæc cerebri membranarum inflammationem adesse ut dictum est.

*Curatio*

## *Curatio capitis doloris ex bile.*

### *Lect. 9. Sept. 19.*

A bilioſo humore capitis dolor mox ab initio vacuationem & humorum contemperationem requirit. Venæ ſectioni parcendum eſt, niſi ſimul cum bile ſanguis redundantis adſint ſigna & æger venæ ſectioni aſſuetus, annique tempus propitium. quo caſu ſanguis ex vena humeraria detrahi poterit & præſertim dextri 41 bracchij. Inter purgantia admodum familiare eſt rhabarbarum 42 quod cum decocto herbarum refrigerantium, vel ſtillatitio liquore exhiberi poteſt. addito vel ſerap. ex infuſ. roſarum, vel manna. 43 potentius eſt ſcammonium cum quo compoſita diaprunus & elect. ex pſyllio, robuſtis corporibus conveniunt. poteſt verò & exhiberi decoctum foliorum 44 ſenæ additis herbis refrigerantibus & aliquo ſupra dictorum purgantium. 45 Prodeſſe verò & enemata poſſunt qualia in dolore cap. ex ſanguine. Herbæ contemperantes ſunt lactuca, intybum, malva, cichorium, borago, violaria. atque ipſæ violariæ, & nymphææ flores albidi. Serap. contemperantia ex violis, ex intybo, ex floribus nymphææ, ex infuſione roſarum, ex cichorio, & ſimilia. Victus ratio frigida & humida eſſe debet, ut in dolore à ſanguine. Aerem verò & ipſum refrigerari convenit per arborum 46, & præcipuè ſalicum, viventes ramos, gramen recens decerptum & aquæ frigidæ frequentem aſperſionem, ut in curatione febrium ardentium dictum. 47 Naribus infundi vel per ipſas attrahi ſuccus betæ poteſt aqua

tamen

tamen hordei admixta [48], in qua vel violæ vel malva, vel illarum herbarum ſimiles incoctæ ſint. Proſunt verò & lotiones pedum ex herbis refrig. & humectantibus ſupra dictis in aqua decoctis; atque hujuſcemodi decocto & [49] manus lavari & caput rigari utile eſt. capiti ſiquidem & quæ refrigerant, ac humectant admovenda etiam ſunt. ut prædictarum herbarum decocta vel aquæ deſtillatæ. poſſunt verò ex ijſdem fieri cataplaſmata addito oleo ex violis vel floribus nymphææ. vel unguento ex populo nigra, quæ etiam fronti & temporibus applicari poſſunt, præſertim addito [50] ovi albo vel lacte [51] muliebri.

Quod ſi verò vigiliæ moleſtæ ſint, neque ſomnus his remedijs ſuccedat, ſupradictis herbis addi poterunt folia [52] aut [53] capita papaveris, aut oleis addi aliquot grana opij, & tantundem ferè croci, [54] vel in cremore ptiſanæ unum aut alterum capitulum incoquendum eſt. vel omnino ſomni tempore ℥ ß. aut ad ſummum ℥ j. ſerapij de papavere [55] ſive diacodij exhibendum veluti latius dictum eſt ubi de vigilijs in febribus ſomnum enim omnino provocare refert, illo ſiquidem non ſuccedente ſupervenire huic dolori maniam [56] valde malum eſt.

## *De [57] gravitate cap. ex pituita.*

### *Lect. 10. Sept. 20.*

Quando autem pituitoſus frigidus humor caput aggravat exhibenda ſunt quæ hunc expurgent & per alvum deducant ut ſunt ex compoſitis diaphœnicon, diaturbith, elect. Indum, pil. aureæ, cochiæ,

& ex

& ex aloë Gal. omnium † fortissimæ. & si quidem gravitas diururna fuerit sæpius exhibenda hæc sunt sed tamen in minori quantitate. ad quod plurimum conducunt [58] pillulæ quæ licet infra dosin exhibitæ alvum [59] tamen movent, quam singulis diebus officio suo fungi maximè refert. Possunt verò & mitiores pillulæ dari ut ex hiera picra vel alephanginæ dictæ. Intermedijs diebus exhibere convenit quæ calefaciant [60] & resiccent. ut est serap. ex stœchade, conserva florum rosmarini, conserva majoranæ, vel florum betonicæ, rad. enulæ campanæ conditæ, item elect. pleris archonticon. item diambra, diamuscum pro ditioribus. Convenit verò & [61] quandoque nonnihil mithridatij, vel theriaces Andromachi, manè jejuno ventriculo sumere. Aerem verò quo æger utetur ad cal. & siccum mutari conducit, ut hyeme accenso luculento [62] foco. [63] Ab oleribus & fructibus fugacibus abstinendum est. Cibos condiri refert aromatis; vel hyssopo, salvia, thymo, origano & hujuscemodi calidis herbis. In cibo verò [64] & parcum esse convenit, præsertim cœnæ [65] tempore. Vinum [66] non admittendum nisi tenue admodum. sic nec cervisia alia quam tenuis. Aqua decoctionis cinnamomi vel seminis anisi conducit. Naribus offerenda sunt odorata & præsertim melanthij sem. tostum & in nodulo colligatum. Sternutationes quandoque provocari utile est pulvere piperis vel. veratri albi. mandere quoque cubebas [68] vel masticem subinde conducit vel rad. pyretri, aut pimpinellæ saxifragæ.

Frons verò illinenda & aurium nariumque meatus oleo rutaceo vel chamæmelino, vel nardino vel consi-

consimili calido. Gal. etiam sedem [69] sive anum & pedum vestigia oleo rutaceo quosdam inungere refert. lib. 2. κτ τόπυς. Caput quoque [70] mediocriter contegendum est, ne à frigore lædatur. conducunt ad hoc sacculi, cucuphas vulgò nominant, in quibus simul cum gossypio pulveres [71] insuti sunt nonnullorum calefacientium. ut betonicæ, majoranæ, florum stœchados, florum rorismarini, seminis anisi, sem. amios, cardamomi & similium, & si lubet species etiam pleris archontici. [72] Somno autem non nimis indulgendum. excitandus sæpius est æger & ad labores, exercitia, deambulationes ducendus est. præsertim corpore [73] jejuno. [74] Meridianus somnus etiam omnino fugiendus nisi admodum consuetus sit, cui tamen detrahendum quantum possibile. Gravitas autem ista capitis cum somnolentia si in lethargum transeat lethalis est.

*De dolore cap. ex melanch. hic nil dicemus, nam nisi ratione flatuum dolorem non excitat. tunc autem melancholia est de qua pòst.*

## DE HEMICRANIA.

*Lect. 11: Sept. 22.*

IN hemicrania una capitis pars tantummodo dolet, dextra videlicet vel sinistra. dolor verò quandoque mitior est, aliquando vehementior, nec cephalæa minor sic ut nec lucem nec strepitum æger perferre queat. mitiores dolores à causis externis vel etiam per consensum non raro fieri contingit. possunt tamen & ab antecedentibus causis etiam provenire.

Curatio

Curatio autem hujusmodi doloris est, pro causarum efficientium diversitate, veluti Cephalææ. Vehementiores dolores ex causis nascuntur antecedentibus. videlicet ab humorum influxu, qui vel sponte sua ad caput ascenderunt, vel per causam aliquam externam attracti sunt. Curatio hujus à sanguinis quoque missione auspicanda. secanda autem est humeralis brachij illius, quod è directo est partis dolentis. reliqua deinde facienda, quæ in curatione Cephalææ dicta sunt.

## *De dolore capitis circa musculum temporalem.*

Contingit verò & in altera capitis parte dolorem fieri, non tamen per totam dimidiam partem, sed 2 circa musculum temporalem, & supra aurem. talis dolor sæpe in initio non magnus est, sed cũ tempore intenditur. pars verò affecta citra doloris intensionem contingi nequit, & calor circa locum affectum sentitur. adest quandoque febris, sed exigua admodum, & urinæ aliquando nonnihil rubent. talis autem affectus est inflammatio musculi temporalis, quæ ferè semper ad suppurationem convertitur, pus autem per aurem erumpit. In principio hujuscemodi inflammationis sanguinem detrahere ex vena humeraria partis dolentis utile est. sed suppuratione facta & pure per aurem effluente parum prodest 3.

Purgantia etiam med. exhibenda & præsertim pilulæ quales supra dictæ, quas etiam per vices sumi expedit non tam purgationis, quã diversionis causa.

Locus dolens mox initio ungendus oleo rosaceo

vel cataplasma ei admovendum, partim reprimens [4] partim resolvens, ut ex farina hordei vel vulgarium fabarum & rosis rubris, floribus chamæmeli, & floribus meliloti in aqua decoctis, addito [5] oleo rosaceo & chamæmelino. Quod si dolor hujusmodi cataplasmate non minuatur, vel jam diuturnior factus fuerit, applicandum erit catapl. quod suppurationem adjuvet: ut ex [6] far. hordei, sem. lini & fœnugræci, additis rad. althææ decoctis & cum ipsarũ decocto cataplasmate formato, addita axungia porcina vel oleo amygd. dulcium & ung. dialthæa.

Posteaquam [7] verò dolor cessarit & puris fluxus minor factus, addenda sunt cataplasmata quæ resiccare, roborare, astringere & nonnihil resolvere queant. ut sunt absinthium, rosæ rubræ, flores chamæmeli, ol. chamæmelinum, unguent. dialthæa.

Posteaquam autem dolor omnino conquieverit & pus per aurem fluere desierit, à cataplasmatis cessandum, locus tamen à frigore defendendus. Auri aliquando quid infundi potest mellis rosati diluti cum vino. deinde imponi gossipium aut lana succida, imbuta [8] ol. amyg. dulcium. ne in auribus sordes concrescant, quæ auditum impediant.

Victus ratio moderata esse debet, veluti in leviore cap. dolore ex causa calida.

### *Dolor capitis unam aliquam partem occupans.*

*Lect.* 12. *Sept.* 23.

Sunt verò & alij capitis dolores, qui unam aliquam vel plures partes occupant, sed tamen exiguas

sic

ſic,ut locus dolens pollicis aut digiti extrema parte contegi queat. tales contactu depræhenduntur,& ſæpe circa verticem capitis, quandoque etiam circa frontẽ conſiſtunt Cauſa eſt humor aliquis vitioſus, collectus inter membranam os contegentem & ipſum capitis os. Si materia non fuerit acris & mordax valdè, excitantur etiam ſucceſſu temporis tumores, os verò diuturnitate quod ſubeſt exeditur & carioſum efficitur 9. Vbi verò materia valdè acris, os etiam citò ad tumorem corrumpitur.

Crebò autem hujuſcemodi cum oſſis corruptione dolores accidentia ſunt lues Venereæ, poſſunt tamen & ex alia cauſa fieri.

Initio autem generalibus præmiſſis utile eſt empl. aliqua admoveri loco dolenti quæ humorem reſolvant ac diſcutiant : ut eſt empl. ex meliloto quod vel ſolnm, vel addito empl. oxycroceo applicari poteſt.

Er ſiquidem humor non diſcutiatur, nec dolores hoc remedio ceſſent, ad alia tranſeundum eſt remedia. & ſiquidem os nondum vitiatum eſſe videatur utile erit ſudorifica 10 aliquot diebus exhibere, ut eſt decoctum zarzæ perillæ, vel ligni guajaci.

Vbi verò diuturnitate os cranij vitiatum fuerit, ad manus opus veniendum erit, & tumor vel locus dolens aperiendus, ſectione in cute facta, & humor vitioſus expurgandus, oſſiſque pars carioſi eximenda. Tumore verò exiſtente magno ſtatim ad ſectionem veniendum. Victus ratio moderata eſſe debet, ex cibis boni ſucci etiam, quo tempore zarzæ aut ligni decoctum bibitur.

## *Dolor partis posterioris capitis.*

De dolore posterioris partis capitis scribit Hipp. lib.6. epid. & in aph. sed non alibi. ait autem, sectionem rectæ venæ in fronte 1 profuisse. Rarum autem est, dolorem in occipite fieri, & quum fit, citius à causa externa quam ab antecedente originem habet, veluti à casu, aut percussione. Vbi autem contigerit vel ab hac causa vel ab alia cui sanguis conjunctus est, dolorem fieri, sanguinis missio ex vena frontis per modum revulsionis prodesse poterit. si modo corpus laborantis plethoricum non fuerit. nam repleto corpore prius sanguis è bracchio erit detrahendus, quam ad hanc localem venæ sectionem veniendum erit. Detrahendus autem erit sanguis ex recta frontis vena, hoc est, illa quæ à fronte rectè deorsum descendit versus nasum. quæ confluens ex ijs est quæ utrinque naso adjacent, ut ex anatomicis cognoscere licet. Non sola autem ista venæ sectio prodesse poterit, sed & alia facienda quę doloris postulabit conditio. veluti si ab ictu aut percussione adhibenda quoque quæ ad ictum & percussionem remedia requiruntur.

### *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Partem eam intellige quæ pilis tegitur, præcipuè syncipur. aurium, oculo. &c. non dicuntur capitis dolores.

2. Circa aures, circa tempora aut alibi. Avicenna clavum vocat.

3. Maximè laborant interiores, sin exteriores laborent

borent, ad tactum etiam ſentitur dolor. difficilè tamen hæc diſcernuntur.

4. Talis fuit cephalalgia filij Sunamititis.2.Reg. c.4.v.19.& Ionæ, quum Euro flante ſol illius caput percuteret. v. 8. c. 4. Herbæ male olentes gravant caput. ut ocymum, ex cujus odore quandoque ſcorpius in capite enatus fuit. Cephalæa vehementius fœminas tenet, ob diligentiam capillorum. Cæl. Aurel. c. 1. chronic. dum enim comuntur frigido aeri, ardorive ſolis, aut ignib caput exponunt; illudque madefaciunt. Atqui cerebro perniciem etiam cujuſlibet ſynceri humoris aſſiduitas reſervat, tum ſolis animando ſimul & ſiccando capillos exoptabilis ardor. Tertull. de cultu fœminar. Nimietas lachrymarum Apuleio cauſa doloris acris capitis. l. 3. aſini aurei. Ad lunam dormire, aut diutius in illa morari. 3. De Criſib.

5. Ut ſanguinei humores.

6. Quando multi biliosi ac acres humores.

7. Ut quum mali cibi aut humores in ventriculo ſunt: vel quum alioqui per ſe eſt infirmus.

8. Eſt enim mirabilis horum ſympathia. ſic vulnerato cerebro vomitus ſequitur.

9. Ut ijs quibus alter ramus à folliculo bilis in fundum ventriculi inſeritur.

10. Tolerare enim famem (ut ait Avicenna) ventriculum humoribus putridis implet.

11. Sic vinum potens etiam mediocriter hauſtum. allium, cæpe &c. Spiritus naturaliter ſuperna petens ex inferioribus trahit corpora per arteriam atque ſtomachum, quæ ſunt corporis velut majora fumaria. Themiſon apud Cæl. Aurel. c. de Cephalæa.

12. Quæ fit ratione inflammationis circa meſenterium, diaphragma, jecur aut pulmones conſiſtentis, vel, collecto ſanguine in mammillis. aph. 40. ſect. 5.

13. Ab utero fiunt dolores capitis, qui poſt partum ſuperveniunt. 1. De Euporiſt. Gal. Fiunt autem in ſyncipite potiſſimum.

14. In his regionibus non ſunt ita proclives ad vomitum, ideo præſtat reprimere, moleſtum præterea eſt, ac multa ſequuntur incommoda eſtque magis naturæ aptum ad inteſtina humores peccantes deducere.

15. Curavi adoleſcentem, qui geminum meatum, habeb t aſſiduo uſu ſingulis aut alternis diebus unius pilulæ ex hiera. R. Dod.

16. Si venenati cibi, ſtatim vomitu rejiciendi. commune hoc veteribus, ut non dent alexipharmaca niſi veneno vomitu rejecto. Hinc quum Commodus veneno exhibito multum vomuiſſet, veriti qui exhibuerant, ne reſtitueretur, ſtrangulandum curarunt. Herodian, l. 1.

17. In calidis corporibus ut Italorum potus frigidæ convenit. nos libentius actu & potentia utimur quod fortè humor debilitari poſſit.

18. Quam venam matricis vocant.

19. Cavenda tamen, ut Gal. ſuadet, narcotica. atque etiam aſtringentia, niſi in pauca quantitate. 2. κατὰ τόπων.

20. Qui nulla ratione permittit occiput perfrigerari. neque etiam facilè à calore dolet.

21. Poſſet & anethum admoveri, niſi calidius eſſet.

22. Ut à vehementi flatu ventorum.

23, Vel deficiente milio ex ſemine phalaridis quod vulgo Canari-zaet.

24. In vaſe mundo nullis odoribus infecto. rarum hoc genus, doloris, tamen quum incidit magnum in fomentis his uſum reperi.

25. Nam ſi contingeret hunc ſœtorem ad cor ferri in peſtem inciderent. Qui aerem à cadaveribus ad Neoportum Anno 1600. Iulij 2. cæſorum infectū hauſerat, in icterum lethalem incidit.

26. Liberum eundem apud Ægyptios Oſirin Harpocration induſtria hæderatum argumentatur, quod hæderæ natura ſit cerebrum ab heluco defenſare.

ſare. Tertull. de corona milit. Eidem mitra vinciri caput,propter dolores qui fumante vino caput aggrediuntur. Euſeb. 2. præpar. Euangel.c.2. refert. Arcta ſane per faſciam capitis dolentis conſtrictio, levamen affert.

27. Sic Hipp. lib. de arte inquit, Medicum eum ſufficere ad curandum, qui ſufficit ad cognoſcendam cauſam.

28 Vinum ſi foris applicetur eſt cal: & ſiccum. intus actuali ſuo humore humectat.

29. Ab hac autem cauſa dolor valde magnus atque excedens in cerebri inflammationem quandoque tranſit.

30. Non infert dolorem niſi ſua copià.

31. Quod vel ex ſolo poteſt colligi ſchirro.

32. Quia dolor ſemper attrahit ad ſe.

33. Non enim ſolum pericranium ſed & meninges afficiuntur.

34. Quin & eſſe nihil prohibet. cerebrum enim non minus quamMeninges, ſua vaſa habet, venas inquam, atque arterias, per quas alimentum accipit. omne autem quod alitur etiam inflammari poteſt, etiam oſſa ipſa. raro tamen id fit,ob frigidam & horum, & illius intemperiem.

35.Non enim fit niſi in corpore repleto ſanguine.

36. Nam ſæpe dextra vena ſecta dextram tantum partem levat. nam dextræ rami demittuntur per dextram tantum partem, ſunt interſepti ſepimento à ſiniſtris Sic cuidam laboranti inflammatione tonſillarum ſecta dextra vena, dextra tonſilla ſubſedit.altera non prius ſubſedit quam & è ſiniſtro bracchio detractus eſſet ſanguis. R. D.

37. Alvus adſtricta ſemper exacerbat Capitis ſymptomata. 2. Prophet. comm, 55.

38. Practicis quidem ob capitis dolorem venam ſub lingua ſecare uſitatum non eſt. Anatome tamen id omnino ſuadet, aliarum venarum ſectione præmiſſa.

39. Quamvis ſanguis ſit humidus, tamen, ratione caloris excitati à ſanguine humidus fit victus ſiccitas enim lima coloris eſt.

2. Sanguinem enim generant qui dolorem majorem reddit.

40. Vel illa ratione quod augeat ſanguinem. in alijs doloribus prohibetur quod butyroſæ partes facile in bilem vertantur. 5. Aph. 64.

41. Quia ſedes bilis in dextro potiſſimum latere.

42. Quia ſiccum eſt valdè per ſe hic non exhibetur.

43. Inter purgantia quæ ſolum habent ſcammonium eſt & el. de ſucco roſar. verum illa ob ſantalos nimium reſiccat in hoc caſu.

44. Poſſunt tanquam commune med. ad omnes purgationes adhiberi, ut Gal. de hiera picra dicit adhibitis ijs quæ caſus requirit. ne autem tormina excitent ſyr. addendus.

45. Quia in nullo dolore cap. prodeſt feces retineri.

46. Quercuum rami non ſunt inutiles, non tamen graveolentes ſunt adhibendi.

47. Çucurbitulis magis ſanguis quam bilis trahitur, frictiones ſiccant ideo his non utimur hoc caſu.

48. Ad retundendam acrimoniam.

49 Nam & hoc dolorem capitis lenit.

50. Ut diutius maneant humida, & retineantur.

51. Quia humectat & lenit.

52. Æſtate.

53. Hyeme.

54. Si nimirum capiti quid apponi æger non ferat vel ex cerevisia cui ſit capitulum papaveris incoctum ſorbitiuncula cum farina hordei, tritici aut ſecalis componi poteſt.

55. Non eſt aliud diſcrimen quam quod diacodion fiat cum melle. ſerap. cum ſaccharo cujus uſum eximium reperit Dodon. quamvis alij à diacodio recedere nolint.

56. Cui

56. Cui si febris accesserit jam phrenitis est, nihilque est aliud discriminis maniæ & phrenitidis.

57. Est enim magis gravitas quam dolor. non est mittendus sanguis quia crudi humores aggravant caput.

† Fortiores pill. illæ de quibus in Alopecia.

58. Quia cum diutius teneantur in ventriculo ideo trahunt è longinquo.

59. Alia med. in minori quantitate data conficiuntur à natura nec quicquam agunt. pil. ob substantiam duram non possunt.

60. Non tantum potentia, sed & actu.

61. Non quotidie. ratione opij quod tuto quotidie exhiberi non potest.

62. Ex ligno cedrino, juniperino & similibus si haberi possunt.

63. Nam succos crudos generant.

64. Nam carnes habenti humidas fames debetur Hipp.7.Aphor.59.

65. Quoniam cœna potissimum gravatur caput.

66. Nam humoribus crudis caput implent.

67. Resiccat potenter. unde in distillationib utile.

68. Extrahunt humores è capite & relinquunt qualitatem qua cerebrum siccant.

69. Est Archigenis quem scivisse sympathiam esse inter anum & caput est necesse. de qua dictum in defluvio capill. ex lue Venerea.

70. Nam nimia contectio attrahit humores. Erit locandus æger si totum caput doluerit, supinus: si autem ex parte, ea parte quæ patitur. mitigatur enim quodam blandimento straminum, pars in dolore constituta. Cœl. Aurel. l. 1. chron. c. 1.

71. Non nimium odorati. nam omne odoratum gravat caput. 3. Probl. Aristot. 13.

72. Paroptesis etiam adhibenda, inquit Cæl. Aurelianus, ex carbonibus æquali vapore medentibus. l. 1. Tædar. c. 1. Sed vehemens nimis auxilium nisi prudenter administretur,

73. Tunc enim reficcat: alias humoribus distribuendis magis humectat.

74. In sanitate non est prohibendus assuetis nisi lædat. ut qui parci potus sunt. qui autem multum pro more bibunt ad potum illum digerendum, egent aliquo tempore. aliam causam cur alijs noceret, aliis minimè reperire non potui.

1. Quod frequentius fit. nam si sponte influant, in utranque ut plurimum partem incumbunt. Sic quidam remedijs Cephalææ debitis (eadem enim fere remed. hemicr. & cephalææ sunt) qui surditatem qua laborabat ab alijs persuasus fumo seu vapore quarundam herbarum per inversum infundibulum in aurem recepto, qui hoc recepto omnes propemodum corporis humores in caput attraxerat. unde gravissima hemicrania tentabatur.

2. Pauci hunc attingunt aut potius nulli. Avicenna autem hunc nominare videtur sodam temporalem. jubet lanam succidam & mazam appliari. per quam intelligo cataplasma ex farina.

3. Sola tum topica adhibere convenit.

4. Quum non possit sanguis per os repelli.

5. Ne cito reficcetur & nihil efficiat.

6. Omelysis Græcis sine epitheto dicitur. omelysis triticea cum farina tritici adhibetur. fit autem nullum cataplasma sine farina. substantia enim ex hac quæritur, quam pulti similem habere debet. nullæ autem herbæ eam sine farina habere possent.

7. Nondum neglecto cataplasmate cum adhuc possit aliquid circa locum hærere quod in pus converti debeat.

8. Prohibet concrescere oleum sordes in auribus.

9. Et cutis mollior osse non exeditur ob naturam humorum. si exedatur os sine tumore conferri potest cum meliceride. tamen illa non exedebat os.

10. 13. 14. aut 15 diebus continuis.

11. In aph. prodest. dicitur quasi tum ex multis singularibus animadversis regulam constituerit.

quum ante in paucis tantum hoc observasset. Ego aph. corruptum puto. ut & alij. sunt enim mea sententia aph. ex scriptis Hipp. collect. ab alijs; non ab Hippocrate quod & apparet in aph. Autumnus tabidis malus. cui alibi additur apud Hipp. & ver quũ folia fici cornicum pedibus similia sunt.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio II, ad Caput II.*

Nota quod dolor in anteriori capitis parte provenit, ut plurimum ex sanguine, docente *Avicenna 3. can. tex. 7.*

Sed, in dextra, ex cholera. In sinistra, ex Melancholia. In parte posteriore, ex phlegmone.

Inquit [*ut plurimum*] quia non semper verum, & necessarium est.

Causa primi est, quia in parte anteriori est rete mirabile, contextum, multis cum venis, & arterijs; in quibus sanguis continetur.

Causa secundi est: quia in dextra parte est Hepar calidissimum, & cistis fellis receptaculum, seu Choleræ.

Causa tertii, quia ibi Splen est, receptaculum Melancholiæ, â quo fumi elevantur versus partes sibi oppositas.

Causa quarti, quia illa pars alijs frigidior, & humidior est, ideo, si ibi dolor oriatur, is fiat à phlegmate. Secundo quia videmus phlegmaticos esse pessimæ memoriæ.

[*In utroque dolore sanguis mittendus est, ex vena brachii media, aut exteriore, quam Cephalicam, aut humerariam vocant.*]

Ad hæc inquit *Averhoes. 3 coll.* Si sit in parte superiori dolor, fiat de Cephalica, quia ista à capite rectius attrahit.

Quando in inferiori, fiat de Basilica, & quando in utraque fiat in Mediana.

*Viaticus* ait: venam frontis scissam multos capitis, dolores, & oculorum ægritudines curasse, & scite: nam illarum venarum apertio, nempe frontis: & narium, evacuat materiam magis conjunctam dolori capitis.

Si quis abhorret à venæ sectione in fronte; provocare licet setis fluxũ sanguinis ex doctrina priscorum, aut calamo in stellæ effigiem parato, naribus indito, cujus circumrotatione venæ aperiuntur narium.

Addit [*in Hemicranio*] puto Cephalalgiam, & Hemicraniam minime diversos esse affectus, sed tantummodo in una parte laborante differre: unde certum est *Galenum* dixisse eadem remedia utrique affectui convenire,

[*Et decoctum sarsæ parillæ, vel ligni Guajaci.*] Hoc modo concinnatum.

℞ Ligni Guajaci. lib. S.
Sarsæ parillæ, ℥ ij.

Macerentur per horas duodecim supra cineres calidos, in lib. viij aquæ hordei; postea coquantur ad lib. iiij. consumptionem, & tunc adde,

Herb. Fumariæ,
Betonicæ,
Melissæ, ana M. j,
Epythimi. P. j. S.
Pass. exoss. ℥ ij.
Glycirrh. rasæ ℥. S.

Quæ omnia denuo coquantur, & Col. detur usui.

DE

# DE PHRENITIDE.

## CAP. III.

*Lect. 13. Sept. 26.*

PHrenitis sive delirium duplex est. quædam enim per consensum fit. altera verò cerebro primaria affectione laborante. Per consensum facta paraphrenitis, sive [1] παραφροσύνη dicitur. & talis ardentibus febribus aut partium internarum inflammationibus ut pleuritidi vel [2] peripneumoniæ aut [3] diuturnis vigilijs, aut quandoque ilij doloribus, aut capitis vel quandoque aliarum partium vulneribus, vel etiam osse aliquo [4] insigniter læso supervenit.

Delirare autem sive phrenitici esse ægroti tunc dicuntur quando aliena loquuntur, quando clamitant, vociferantur, irrequieti sunt, vel quando floccos in veste, aut festucas legunt. Futuri autem in febribus vel internarum partium inflammationibus delirij signa sunt vigiliæ, vel insomnia perturbata, & urinæ prius crassæ [5] & rubicundæ postea tenues & albidæ factæ.

Curantur autem hujuscemodi, paraphrenitides in febribus quidem vel propter internarum partium inflammationem factæ, viribus adhuc valentibus per revulsiones. ut per frictiones, ligaturas, cucurbitulas, & per ea quæ sub pedibus ligantur. de quibus in curatione cap. doloris in febribus dictum est.

Quod si autem propter diuturnitatem vigiliarum delirium factum fuerit somnus provocandus erit sicuti in vigilijs quæ febribus accidunt, & veluti

luti in curatione dol. cap. à bilioſo humore dictum eſt.

Ex alijs verò occaſionibus deliria ſupervenientia curari convenit pro conditione affectuum ad quos conſequuntur.

Interim deliria ſive paraphrenitides quæ propter magnos dolores fiunt veluti [6] ilij, vel magnas [7] ſanguinis profuſiones, vel alias immoderatas vacuationes conſequuntur, vel capitis [8] aut aliarum partium gravibus vulneribus ſuperveniunt, lethalia habentur viribus jam dejectis ac debilitatis. Sed quæ in febrium & nonnullorum morborum initijs fiunt viribus ægroti adhuc valentibus minus periculoſa ſunt.

Phrenitis autem quæ cerebri humani affectio eſt, membranarum ejus inflammatio [9] eſt. non tamen pura. ſed eryſipelatodes. neque enim ex ſanguine ſolo, ſed ex ſanguine bili permixto originem habet. differt verò à mania quod hæc abſque [10] febre fiat, phrenitis verò febrem habeat conjunctam, eamque continuam & ardentem.

Eſt autem inter phrenitides quædam mitior leviter tantummodo mentem permovens: aliæ vehementiores pro conditione videlicet & qualitate bilis. tenuis ſiquidem bilis ac [11] pallidior mitiorem parit phrenitidem. à flava ſive ruffa bile malignior ac vehementior fit. quæ verò ex bile ruffa, adeo præaſſata ut ferè in nigram degenerarit, graviſſima eſt, & ferinam quandam dementiam conjunctam habet [12], ſic ut coerceri ægroti debeant.

*Lect.* 14. *Sept.* 27.

Acutiſſimus autem & periculoſiſſimus affectus phrenitis eſt, [13] quem non ſolum acuta febris aut inquie-

quietudo comitatur, ſed adſunt quoque capitis dolores, vigiliæ, aut inſomnia admodum turbulenta, linguæ aſperitas, ſitis inexhauſta, oculi ſubinde ſunt terribiles, venæ illorum rubent, quandoque ſponte illachrimant, vel læmis gravantur. [14] ſanguis etiam aliquando è naribus ſtillat.

In urinis autem & dejectionibus frequenter febris nulla ſigna apparent. quod tamen valde malum Hipp. affirmat. læditur autem ſubinde imaginatio tantummodo, quandoque ſola ratiocinatio, aliquando verò utraque facultas, ut Gal. 4. de locis affectis exemplis oſtendit [15].

Curatio autem phrenitidis à ſanguinis miſſione initium habere debet. ex bracchio revulſio facienda; ex vena frontis derivatio.

Secanda autem erit vena media ex Aetij præcepto ſi adſit ſangvinis redundantia. illa non præſente, ex humerarijs ſanguis ducendus. Quod ſi ex bracchio commode fieri nequeat propter magnam ægri inquietudinem, tunc, inquit Paulus, ex frontis vena tantum auferendum quantum ſatis erit [16].

A ſanguinis miſſione injicienda ſunt enemata emollientia ac lenientia. vel illorum loco aliquod leviter alvum deducens & ſimul alterans exhibendum. quale eſt ſerap. ex roſis aut ex violis, fortiora med. [17] fugienda ſunt. Diuerſiones etiam leves faciendæ ſunt per frictiones, per pedum & manuum balnea, ut aliquo modo humores deorſum revellantur. Continendus æger in quiete [18] & ab omni corporis motu arcendus, & in loco quidem continendus nec obſcuro nec nimium lucido ab omnibus picturis libero. non calido, nec tamen omnino frig.

ſed

ſed moderatè frigido [19]. Victus tenuis refrigerans humectans, potus aqua hordei. [20] cibus priſanæ cremor, aut panis ex aqua, vel lactucæ vel cucurbitarum aut peponum carnes coctæ, &c.

A frigidæ aquæ potione omnino abſtinendũ eſt. Somnus [21] provocandus eſt vel odoribus, vel unctionibus ut ex oleo violarum. nymphææ, unguento ex populo naribus & temporibus admotis. vel capitulis papaveris ſorbitioni incoctis ut in curatione cap. dol. ex bile dictum. à multo tamen narcoticorum uſu abſtinendum eſt præſertim quum longior factus fuerit morbus.

Inter localia med. laudatur oleum roſaceum, vel oxyrhodinum quo frons & ſutura coronalis inungenda eſt, non tamen frigido [21], ſed æſtate tepido. hyeme verò calido. cui in progreſſu morbi oleum chamæmel. vel anethinum admiſcendum erit.

Vbi autem delirium ceſſaverit, vires reficiendæ & idonea victus ratione reparandæ ſunt. & tenue, aquoſum, dilutumque vinum concedendum.

Cavere interim debet æger ab [23] ebrietate, ira, à ſolis æſtu, à nimijs laboribus & ciborum corruptione.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Ita ſæpe Hipp. appellat. interpretes ſæpe deſipientiam vertunt, quum poſſit delirium propriè dici.

2. Meminit Hipp. 12. aph. l. 7. A peripneumonia phrenitis malum.

3. Aph. 7. 18. Propter vigiliam convulſio aut deſipientia malum,

4. 7. Aph. 24. Ab oſſis vulnere deſipientia, ſi in vacuum

cuum penetraverit. i. ut Gal. ait, si cranio aperto detegantur membranæ.

5. Signum, enim est quod materia rapiatur ad caput. Si ante judicationem superveniant, sine dubio delirium significant. Si autem post judicationem urinæ albæ multæ, significant sordes retineri quas ad caput raptum iri verisimile post judicationem non est, sed circa viscera hepar aut alibi hærere possunt Hipp. in epid. Xenophanem & Critiam dysentericos post judicationem hac apparente factos, refert.

6. Ab ileo vomitus, & singultus, & desipientia, & convulsio malum. lib. 7. aph. 10.

7. A sanguinis profusione delirium aut convulsio malum. 7 aph. 9.

8. Propter plagam in capite stupor aut delirium, malũ. 7. aph. 14. Fit etiam ex multa potione. 7. aph. 7. Ex multa potione rigor & delirium malum. Quidam ita mutus factus ex plenitudine videlicet phlebotomia vocem recepit.

9. Non est tamen possibile quin ipsa cerebri substantia etiam calore præternaturali incalescat, 1. Prophet. comm. antepenultimo.

10. Quod licet permistus sit humor melanch. humoribus capitis non tamen tumorem aut inflammationem alicujus partis excitarit quæ nunquam sine febre est.

11. Quæ quodammodo est tenuior pars sanguinis.

12 Ubi deferbuit melancholicus succus in melancholiam facile transit phrenitis.

13. Difficillimæ phrenitides in abortientibus. 3. Epid. 3. sect. Ægyptum quotannis invadunt Phrenitides quæ paucis, duabus, tribusvè horis perimunt. Prosper. Alpin. de med, Ægypt. c. 14.

14. Quod est signum magni fervoris in capite. neque enim ob copiam erumpit, sed calore rarefactus ebullit.

15. Quum anterior pars afficitur cerebri, non

M poste-

posterior in qua memoria eâ integra manet quod liquet ex versibus & cantilenis quas recitant.

16. Hæc enim vel si maximè sese jactitent tum empl, etheocollo seu glutinoso, tum ligatura, sic obturari seu occludi potest, ut à sanguinis proruptione metuendum non sit.

17. Quod humores conturbent & vires dejiciant. morbo satis afflictas.

18. Motus enim acriores humores reddit.

19. Quod inflammationes non solum repelli, sed aliquo modo etiam simul discuti, necessum sit.

20. Paulus potiones aliquot ex melle habet quod quum facile in bilem vertatur posteri hæc reprobarunt. potest vero aquæ hordei in fine decoctionis aliquid syr. rosati addi. ita boni saporis fuerit.

21. Phreniticos somnus sanat. Plin. 26. c. 11. Omnibus phrenitide affectis somnus & difficilis, & præcipuè necessarius est. sub hoc enim plerique sanescunt. Cels. l. 3. cap. 18.

22. Quod nec inflammatio, nec pars princeps valdè frigida ferat.

23. In Heræa Arcadiæ vites sunt ex quibus vinum sanam mentem aufert atque ecphronas seu dementes Arcadas; fœminas verò fæcundas reddit. Ælian. l. 13. variar. histor.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio III, ad Caput III.*

Hæc nihil aliud est, quam delirium continuum cum febri acuta, meo judicio, contra *Vallesium* errantem 3. *Epyd. part.* I. *commento ultimo.*

In hac Phrenesi non est expectanda digestio, quia materia est furiosa, in qua, sicut in cæteris acutis purgatio illico administranda, ut totum vacuemus cerebrum, hoc etiam fit expellentibus bregmati adhibitis,

hibitis, nam ut inquit *Galenus* 13. *Meth. cap.6.* vacuatur quod impletum eſt, non ſolum digerentibus, ſed ijs quæ refrigerant. & aſtringunt.

Ergo. ℞ Aquæ Roſarum,
Olei Roſacei, ana, ℥ ij.
Aceti Roſacei ℥ j.
Miſce fiat Oxyrhodinum.

# ERYSIPELAS CEREBRI.

## CAP. IV.

*Lect. 15: Sept. 29.*

Ad Phrenitidem quoque referendum eſt quod eryſipelas cerebri à Paulo appellatur nam & in hac affectione ægroti deſipiunt & aliena loquuntur. caput univerſum dolet ac frequenter etiam calet. facie tamen ſæpenumero pallent 1. os ſiccum eſt & lingua nigra & valde aſpera, febris adeſt lenta in qua etiam exteriora frigent. in urina nullæ apparent febris notæ. Eſt autem hic affectus non tam cerebri quam membranarum ejus primarius morbus, qui à ſola & puriore tenui bile gignitur. Perículoſus verò ac difficilis hic morbus eſt. Germani dē brupn appellant, nonnulli Latinè morbū Hungaricū. Initium curationis fit per ſanguinis miſſionem non tamen copioſam; neque ex brachio, ſed ex venis tantummodo ſub lingua per quas & revulſio & derivatio humoris fit. 2 Alvum lubricam eſſe convenit. itaque ſi non ſponte profluat adjuvanda erit.

Victus ratio frigida quoque ac humectans eſſe debet. arcendus autem eſt æger non modo à frigida potione, ſed etiam ab aere frigidiore, ne eryſipe-

las introrſum repercutiatur. Linguæ verò & ea adhibenda quæ in febribus ardentibus adverſus linguæ aſperitatem dicta ſunt. Fronti verò ac temporibus ol. viol. aut nymphææ illiniri poteſt : vel cum lacte muliebri calide ³ apponi. addito quandoque ung. ex populo nigra ⁴.Narcotica med. & hic fugienda ſunt.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Imò etiam frigent. Paulus. ob caloris introrſum retractionem.
2. Per med. non poteſt trahi materia quod id nimis forte foret ſi ex cerebro trahere poſſet.
3. Si ſomnus provocandus, provocantia ſint valde tenuia nam narcotica nocent.
4. Quod Ung. populeum officinis dicitur.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio IV. ad Caput IV.*

[*Localia autem medicamenta*] Illa non laudo quia humor ex *Galeno* faciens *Eryſipilas*, tenuis cum ſit, facile diſſipatur; & timor eſt ne ob raritatem cutis recedat humor ad cerebrom, & ſæviſſima damna, vel ipſam mortem, concitet, nam pars hæc eſt juxta membrum princeps; ideo *Hippocrates* monet ut Eryſipelas vertatur ad exteriora.

Id etiam notandũ ſequentibus duobus capitibus.

## ERYSIPELAS FACIEI.

### CAP. V.

Est verò & aliud eryſipelas quod extrinſecus & præſertim in facie ¹ exoritur. rubet autem & tume-

met facies, cutis ejus tensa levis ac relucens apparet. erumpunt etiam quandoque exiguæ vesiculæ. in declinatione laxiore facta cute albidæ quædam ac tenues instar furfurum decidunt squamulæ. In hujuscemodi autem erysipelate sanguis, ut inquit Gal. non necessario mittitur, sed ventrem per inferiora purgare sufficit med. quod flavam bilem ducat. [2] si tamen erysipelas [3] phlegmonodes esset sanguinem quoque mittere utile foret. Localia autem med. faciei adhibere oportet quæ non repercutiant [4] ac non multum refrigerent, sed temperata quæ discutiant ac digerendi vim habeant, ut est lactis serum in quo [5] fumus terræ & nonnihil chelidoniæ sint incocta. cujusmodi decoctum sæpius admoveri convenit, telis etiam lineis in hoc madefactis superpositis tepidis aut calentibus. Summopere cavendum est ne frigidum aliquod admoveatur & ne frigidus quidem aër admittatur. per frigus enim erys. introvertitur quod lethale esse Hipp in Coac. ait [6]. Signum autem quod introversum sit erysip. est, quod desinente faciei rubore difficilior [7] reddita sit respiratio. Victus ratio in hoc affectu qualis in superiore, sed tamen minus tenuis esse debet.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Vel natura quod pravum est expellente; vel natura propter vulnus etiamsi magnum non sit attractam.

2. Vidi med. forti quale diaprunis est uno die subsedisse tumorē eaque fortibus adhiberi possunt. mobilis enim propter tenuitatem & calorem humor est; ideoque vel ex remotis partibus, facillimè versus alvum retrahitur.

3. Si adsit tumor ac rubor magnus; ac signa redundantis sanguinis adsint.

4. Vid interfectos imposito succo plataginis quæ astringit. Gal. utitur frig. non tamen astringentibus verum neque frigida nostra corpora ferunt. cui illitum Nutritum in phrenitim cum periculo devenit.

4. Quæ frigida est herba quando viridis existit, & leviter discutit.

6. 6. Aph. 25. Malum tantummodo dicitur. unde magis confirmor aph. non ab Hipp. editos. est autem revera lethale.

7. Materia ad pulmones & cor delata. Quod si ad Cerebrum ejusque membranas repellatur Phrenitis, & Convulsio succedunt.

## ERYSIPELAS CRURUM AUT ALIARUM PARTIUM.

### CAP. VI.

Contingit verò & aliquando erysip. & in alia corporis parte ut in cruribus fieri & frequentiss. post aliquot dierum febrem. [1] sed neque tali refrigerantia adhibenda sunt, sed temperata & aliquo modo discutientia. veluti supra dictum. Vel serum lactis solum. Fiunt autem hujuscemodi erysipelata à natura quod pravum est expellente, veluti in crisi, atque idcirco nullo modo repercutiendum.

### *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Estque crisis ac terminatio febris. Fit & per se, maximè in sexu fœmineo. in quib. ichores sæpè miscentur aquei. tumque Erysipelas album vocare solent

lent mulierculæ. nos Oedematodes appellare possemus.

# DE MANIA.

## CAP. VII.

MAnia insania est & delirium absque febre, in quo, ut dictum est, à phrenitide differt. Causa quandoque est biliosus humor sanguini permixtus ad cerebrum perlatus: quandoque capitis vehementes ex bile dolores: vel vigiliæ: vel labores: vel etiam inedia. Biliosus autem humor aliquando mitior, aliquando malignior, ut supra dictum est: sic & mania quædam minus vehemens est & quandoque cum risu; alia verò vehementior, veluti quæ à bile russa assata gignitur, omnium autem gravissima est ac molestissima quæ à melancholico humore præassato ac adusto originem habet. præsertim si talis humor multus ac copiosus fuerit. sævissima siquidem & maximè ferina mania ab hoc procedit, quæ & sæpe diuturna ac curationi rebellis evadit, cum qua & frequenter malignos 2 spiritus commisceri contingit. Transit verò mania quandoque in melancholiam quando videlicet biliosus aut mel. humor assari desierit. & jam calor deferbuerit, quod quidem quum non multus fuerit vitiosus humor citius accidit. quàm quum copiosus. Differt autem mania. à melancholia accidentium magnitudie & sævitia. nam in mania adest vel multiloquium, vel clamores, motus & jactatio 3 corporis inordinata, temeraria audacia, aspectus torvus & inverecundus. In melan-

cholia verò metus aut tristitia absque causa, taciturnitas, & quandoque amor solitudinis.

Curatio autem maniæ initio quidem quum per se incipit & redundantis signa sanguinis adsint fit per sanguinis è dextri brachij vena detractionem. sed si post diuturnas vigilias, labores, vel inediam supervenerit sanguinis [4] detractioni parcendum erit.

Somnus verò omnibus modis in utroque casu provocandus. deinde & reliqua facienda quæ in curatione capitis doloris à bile , & in curatione phrenitidis dicta sunt [5].

Quando autem mania aliquandiu duraverit curatio instituenda est qualis in melancholia. de qua suo loco.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Quare neque acutus morbus, ut phrenitis est. De mania per consensum non dicitur. quod illa nisi in morbis febrilibus non oriatur.

2. Quod non solum Christiani sed & Iulius Firaucus scibit. Aggrippa nullos facilius à dæmonibus obsideri quam melancholicos.

3. Furiosi non dormiunt propter perpetuam mentis agitationem, qui quum in alia ex alijs jugiter cogitando transiliant torvè impudenterque aspiciunt, sicut insomnes dracones. Philostr. l. 2. de vita Apoll. Erga medicum potissimum exacerbari maligni ac lethalis morbi inditium est. Lucian. in abdicato.

4. Non detrahendum donec viderimus sanguinis redundantis signa. sunt qui nullo modo secari volunt: verum hoc probandum non est : quum sanguis una cum pravis humoribus peccet.

5. Mandandum ministris ut eorum errores quodam consensu accipientes corrigant, ne aut omnibus consen-

consentiendo augeant furorem eorum visa confirmantes; aut rursum repugnando asperent passionis augmentum; sed inductivè nunc indulgeant consentientes, nunc insinuando corrigant vana, rectá demonstrantes. Cæl.Aur.l.tædar. c. de Mana.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio VII, ad Caput VII.*

Duæ sunt *Maniæ* differentiæ. Una, quæ Melancholica dicitur, altera, vero, hæc est, quæ *Latinis* dicitur furor, & Auctore *Galeno* 2. *de caus. sympt.* 5. est mentis alienatio citra febrem.

[*Quandoque cum risu*] Hæc *Mania* est longe securior, eâ, quæ fit cum studio, Auctore *Hippocrate Aphor.* 53. *lib.* 6. Pituitosus humor eam numquam parit, sed sanguineus.

Pulchra de hac re proposuit *Thomas à Veiga* 3. *de Locis cap.* 7.

Amorem insanum adjicio, & est etiam Maniæ species, quæ accidit frequentius juvenibus, ac medijs ætatibus, difficile autem senibus, difficilius pueris, & mulieribus, affirmante *Aureliano lib.* T. 1. χρονιῶν. *cap.* 5. in cujus descriptione & curatione strenue insudavit *Valleriola.* 1. *observ.*

## DE CARO.

### CAP. VIIII.

*Lect.* 17. *Octob.* 6.

CAros 1 sive subeth profundus 2 est sopor cum sensuum & motus cessatione, illæsa permanente respiratione absque febri. in quo à lethargo & ca-

taphora differt. nam 3 Cataphora febribus ſupervenit. Lethargus verò febrem habet ab initio conjunctam. Differt verò & ab apoplexia quod reſpiratio libera ſit & non impedita. in apoplexia enim reſpiratio læditur ac impeditur. deinde per apoplexiã membrum aliquod, vel pars corporis 4 reſolvitur: in caro verò nulla pars. Differt verò etiam à Catocho quod catocho laborantes oculos habeant apertos, & vigilantibus ſimiles appareant : in Caro verò oculi ſunt clauſi ſicuti dormientium. Accidit autem Carus quandoque per conſenſum à vaporibus ad cerebrum perlatis. quandoque verò propter nimiam cerebri refrigerationem , quæ fit vel citra humorum affluxum, vel cum humorum affluentia. Accidit autem & carus cranio contuſo , vel ſic percuſſo ut cerebrum vel meninges lædantur. Supervenit verò & aliquando carus à virium imbecillitate 5.

Per conſenſum fit carus veluti ab ebrietate propter vapores ad cerebrum perlatos. aliquando verò propter vermes , ut in pueris, ex humoribus putridis generatos, præſertim frigidis ac pituitoſis, unde vapores ad cerebrum craſſi ac frigidi perferuntur. Fit 6 verò & nonnunquam carus per conſenſum mulieribus ex utero laborantibus.

Refrigeratur autem cerebrum & quidem citra humorum affluxum per narcotica med. vel intro aſſumpta, vel foris applicata : ut ſunt opium, mandragoras, hyoſciamus, cicuta. coriandrum recens & ſimilia , quæ intro aſſumpta gravem ſoporem adducunt, & ſimiliter cum oleis, unguentis aut cataplaſ. permixta capiti temporibuſque admota. & nonnunquam etiam ex ſolo & frequenti odore. Poteſt verò

& ce-

& cerebrum refrigerari à frigido aëre ventoſo vel nivoſo, [7] vel ſimili [8] de cauſa. Cum affluxu autem humorum refrigeratur cerebrum quando ad caput multi pituitoſi frigidi humores perferuntur, atque hinc factus Carus facile in lethargum tranſit. quando videlicet humores putreſcunt & febris accedit.

Ad Carum autem ab ebrietate non prius remedium adhibendum quam præterierit tempus quo ebrietas ſolvi ſolet [9]. atque ſi tunc patiens non expergefiat cuncutiendus & agitandus eſt, ſternutatioque provocanda aliaque facienda quæ infra dicentur.

Si ex vermibus factus Carus fuerit adhibenda erunt quæ adverſus eos conducunt, excitato tamen prius puero. niſi ſint quæ ventriculi regioni vel umbilico admoventur. quæ etiam puero ſopore detento applicari poſſunt.

Ab utero autem ſi Carus factus fuerit adſunt repletionis ſigna [10] & facies rubet. ac in iſto caſu, ſi quæ ab utero laborantibus adhiberi ſolent, non profuerint, ſanguinem ex vena pedis interiore detrahere multum prodeſt.

*Lect.* 18. *Octob.* 10.

Si ab uſu narcoticorum & ſtupefacientium in carum quis inciderit & tempus præterierit intra quod narcotica concocta eſſe potuiſſent [11] temporibus ac fronti admovenda erunt excalfacientia ut oleum de euphorbio, de caſtorio, de piperibus rutaceum, vel ſimile aliquod. Naribus etiam admovenda odorata calida ut calamenthum in aceto decoctum, crocus cum aceto acerrimo. Aceti etiam vapor ac fumus per nares receptus aut attractus multum excitat, &

ſom-

ſomnolentiam expellit. Excitatur fumus quando ſuper laminam vel lapidem acetum funditur. [13] Sternutatoria quoque naribus indenda. Poſſunt Theriaca vetus [1], aut mithridatium vetus temporibus admoveri, & naribus illiniri, vel ori infundi diſſoluta in aqua vitæ aut pulegij. Affigere verò & cucurbitulas cum ſcarificatione humeris, convenit, non multum tamen ſanguinem detrahere, ſed loca ſcarificata aceto & ſale abluere ut dolor excitetur. Ligaturæ quoque doloroſæ conveniunt & acres glandes cum ſalis gemma ſuppoſitæ [14]. Quod ſi hoc modo patiens excitari nequeat de vitæ agitur periculo.

Vbi autem excitatus fuerit ſunt nonnulli qui putent provocandum eſſe vomitum ut narcoticum aſſumptum rejiceretur : vel ad minus enema injiciendũ ut deorſum pertrahi poſſet. ſed fuſtra hoc fit quando tamdiu narcoticum in corpore hæſerit, ut concoqui potuerit. quia poſteaquam jam concoctũ fuerit à natura ſuperatum & evictum nocendi vires amiſit. poſſunt tamen nihilominus exhiberi calefacientia ut vinum generoſum [15], piper [16], & compoſitiones ex pipere, Theriaca vetus cum aliquot granis [17] caſtorij. convenit verò & ſinapeos ac naſturtij uſus, quæ dantur ut ſi aliqua mala qualitas à narcoticis relicta fuerit emendetur & corrigatur.

Quod ſi verò à ſola frigiditate cerebri Carus ſupervenerit velut à frigido aëre vel ſimili cauſa externa, utilis quoque erit calidorum oleorum & unguentorum uſus, ſed ab aceto abſtinendum.

Conveniunt verò & fomenta ſicca veluti ex milio [18] & panico in ſartagine munda frixis, capiti admotis.

Quando verò capite multis frig. humoribus impleto carus factus fuerit, ut quam minimum æger dormire permittatur omnino expedit. Corpus vacuandum est, & omnino ijs remedijs utendum quibus in capitis dolore ex frig. humoribus. contracto. neque cessandum est à remediorum illorum usu.

A [19] contusione autem cranij carus aut propter vulnera capitis factus requirit ut benè vulneri aut contusioni consulatur. Carus autem hinc factus subesse magnum indicat periculum & meninges cerebri læsas aut cerebrum ipsum sphacelo laborare.

A virium autem debilitate propter corporis defatigationem ab exercitatione aut vigilijs aut vacuationem aut à morbi [20] comitialis accessione si gravior aut profundior sopor obrepat periculo caret: nam ab exercitationibus aut vigilijs subinde longior somnus succedit. Si verò propter caloris naturalis paucitatem vires debiles fuerint [21] ut valde senibus contingit, tunc gravis sopor imminere vitæ exitum ostendit. neque datur occasio multa tentandi aut faciendi propter virium debilitatem nisi quis velit Theriacen cum aqua vitæ rectificata, vel aquam vitæ solam ori infundere, & ex eadem tempora & nares illinire, aut aliquo oleo ex prædictis tempora inungere.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Sequitur ut de morbis ex causis frigidis capitis agamus. Quidam & Coma appellant verum generalius. nam Carus coma somnolentum: Catochus vigilans.

2. Atque per hoc à naturali differt. ac sopor quid

magis

magis quam somnus videtur. Unde Virg. Tum consanguineus lethi sopor.

3. De qua egimus quum de sympt. febrium ageremus.

4. Ut quandoque vidi solos oculorum musculos resolutos, vel etiam musculos masseteres.

5. Post vigilias ac labores diuturnos, vel in senectute extincto calore naturali cum pulsus parvitate, & est signum lethale.

6. Rarum quidem est, vidi tamen & curavi. R.D.

7. Non statim, sed diuturnitate.

8. Veluti si quis frigidam multam aquam frequenter infunderet capiti.

9. Nisi fortè placeat, aut necessum sit, remedium quod Amphis apud Athenæum probat: nempe tristitiam incutere. ἐξελαύνει γὰρ σφόδρα λήθαργος &c. 1. Dipnosoph. in fine.

10. Pulsus est magnus, & menses sistuntur.

11. Difficile est enim aliquem excitare antequam concoquatur. Quod exemplo mulieris quam Mechliniæ vehementer tortam nullum doloris signum dum torqueretur edidisse memini, confirmari puto. vehementer autem tortam collegi quod sanguinem & in urina & in fecibus, & vomitu rejecisset, quæ si ante concoctum narcot. excitari potuisset doloribus excitata fuisset.

12. Quamvis meliora fumus aceti & reliqua præcedentia.

13. In qua vis opij jam fermentatione non ita elucet,

14. Exactius enim anus sentit quam reliqua omnia intestina. Tum si mandrogoræ siccus in balano suppositus hypnoticus est & somnum inducit, quid contrariæ facultatis remedium ano submissum dormientem præter naturam excitare poterit.

15. Præcipuè contra cicutam valet.

16. Maximè contra hyosciamum, papaver & reliqua.

17. Quod

17. Quod præstans ad omnia narcotica remedium.

18. Aut ejus loco semen phalaridis vulgo canarijzaet. his fomentis quendam curavit R. D.

19, Memini 4. aut 5. sic mortuos leviter vulneratos.ita tamen quod membrana cranium tegens & pars ossis essent læsa ; interior enim pars ossis porosa. unde facile frigus penetrat ad interiora.

20, In primis enim accessionibus est morbus acutus ut ait Celsus. nihil tentandum, quod natura tum se colligat.

21, Sic quendam Antwerpiæ & quandam Mechliniæ mortuam fuisse vidit Dodon. remedia producunt sed non restituunt vitam.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio VIII, ad Caput VIII.*

[*Caro, sive Subeth*] primo loco posuit deinde prosequitur *Lethargum*.

Utrobique peccat materia phlegmatica frigida & humida ; ideo cura amborum una est , & eadem medicamina debent apponi supra diversa loca.

In *Subeth*, supra anteriorem partem cerebri; quia passio est anterioris.

In *Lethargo*, supra partem posteriorem , quia est apostema partis posterioris.

## DE LETHARGO.

### CAP. IX.

*Lect.19. Octob.11.*

LEthargus quem Latini Veternum appellant gravis & altus etiam sopor cum febre, [1],non tamen acu-

acutà,ſed lenta. Ceſſant in hac affectione principes animæ functiones, imaginatio, & memoria. corpus ſegne eſt. facies ſæpe pallet. extrema refrigerantur. Decubitus eſt ſupinus. urina ſponte ignorantibus effluit. & quum moriturus [2] eſt,inquit, Hipp. multum liquidum infernè egerit.

Duplex autem eſt lethargi origo, ut Archigenes, apud Aëtium refert. Vel enim ſeptum tranſverſum & viſcere malè affecto cerebrum per conſenſum afficiunt [3], vel cerebrum primaria affectione laborat. Et incidit quidem primaria affectio vel ſtatim & ab initio,vel ex alterius morbi [4] mutatione ſuccedit: veluti à phrenitide quando per ſtupefacientia medicamenta nimis refrigerati ſunt ægrotantes. tunc enim tranſitus fit ad lethargum. Læditur autem in primaria affectione cerebrum,non quidem ſecundum ventriculos [5], ſed ſecundum ſuam propriam ſubſtantiam,& quidem cerebri pars [6] anterior.

Origo autem ejus quando ab initio invaſit ex frig. hum. pituitoſo eſt humore corrupto ac putreſcente. Avicenna [7] tumorem eſſe vult œdematis & partim inflammationis naturam referentium .i. eſſe œdema plegmonῶdes ex pituita parte plurima, & ſanguine collectum.

De lethargo autem per conſenſum facto videtur ſcripſiſſe Hipp. in lib. de Coacis prænotionibus. Quicunque,ait,ex lethargicis [8] ſervantur plerunque pectore ſuppurati fiunt. nam idcirco ſuppurati fiunt quod circa ſeptum tranſverſum & præcordia affectio conſtiterit.

Gravis autem & acutus [9] morb. lethargus eſt. nam,ut Hipp. in lib. de morb. Lethargicus in 7. diebus

bus moritur, si verò hos effugerit, sanus evadit. lethalis autem & quidem citissimè est qui ex alterius morbi permutatione per stupefacientia ac nimium refrig. med. factus est.

Quando igitur lethargus non ex alterius morbi permutatione successit, sed per se incepit, tentanda erit curatio [10], per venæ sectionem si vires permittant. sunt & injicienda acria enemata [11] in quibus hiera diacolocyn. vel similes compositiones addendæ. Cucurbitulæ etiam humeris ac lumbis admovendæ, & sanguis extrahendus. Frons & tempora oleis calefacientibus ungenda sunt ut in caro à narcoticis facto, vel cum oxyrhodino [12] addito castoreo. castoreum verò & naribus admovendum, idem quoque ori, si fieri potuerit, infundendum cum aqua pulegij; vel sinapeos semen tritum cum melle.

Istis non proficientibus pili capitis abradendi erunt. & applicanda calida fomenta ex milio & sale, vel cataplasma [13] ex stercore columbino cum oleo rutaceo aut simili aliquo. aut cataplasma ex euphorbio, castoreo, pipere, semine rutæ, semine sinapeos cum eodem aut simili oleo. Si æger assumere aliquid potuerit detur ei [14] oxymeli per se, vel cum oxymelite scyllitico.

Parcè autem ac modicè cibandus [15] est. & sufficit jus pulli gallinacei in quo rosmarinus, thymus, hyssopus vel similes herbæ incoqui poterunt. Si ad sanitatem morbus inclinaverit largius cibandus erit, pro potu [16] hydromeli exhibendum [17].

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Humoribus putrescentibus. non autem putrescit humor in parte principe ut febris non succedat, in parte tamen ignobili potest.

2. Quia significat naturalium facultatum extremam debilitatem.

3. Quomodo hæc distinguenda non repperi, sed curatio ostendit. soli enim sanari videntur qui per consensum laborarunt.

4. Contrarij ß. ut ex erysipel. cerebri vel phrenitide. nam si ex caro succedat non est ita periculosum.

5. Nam si ij afficerentur apoplexia fieret.

6. Non omnes consentiunt. verum quum in eo consentiant quod med. omnia fronti sint adhibenda & anteriora affici concedant oportet. Vidi præterea lethargicum cui cum caput post mortem dissectum esset anterior cerebri pars erat corrupta R. Dodon.

7. Verum non probatur omnibus quia videtur sensisse non posse humores nisi in tumore putrescere. tamen contrarium in tabidis quibus sine tumore putrescit, videmus. concedi tum hoc Avic. potest quum non faciat ad curationem.

8. Eosque solos curari videtur indicare. ac si ex humida peripneumonia fiat paucam spem superesse ait Hipp. nisi suppurati fiant. multò minus igitur in primaria affectione.

9. Gal. 1. epid. sect. 3. in fine; in definit. Cæl. Aurel. & Herod. itaque in l. qui Medic. inscribitur, quum inter chronicos recenset Lethargum voce hac impropriè est usus. Magis ac plus Lethargici quam phrenitici periclitantur. nam phrenitici plus gravati lethargicos faciunt : lethargici verò relevati in phreniticos revocantur. Theod. Priscian. 2. logici. c. 3. Vt lethargicus quum sit pugil, & medicum urget.

10. Prop-

10. Propter morbi magnitudinem, febrem, & quod nulla vacuatio promptius tollat humorem peccantem.

11. Non ſemel, ſed ſæpe. ad revulſionem. non enim fit niſi ex multitudine humorum.

12. Paulus toſtum vult admoveri quod tenuis ita reddatur ad penetrandum. valde autem commodat caſtoreum in hoc caſu.

13. Phœnigmus, qui ex alto trahit humores.

14. Incidit ac attenuat craſſos ac frig. humores.

15. Ob humorem multum. & morbum brevem. ptiſana frigidior quam ut hic conveniat.

16. Satis calidum & expurgat pectus.

17. Motus animi in avaris per affuſionem nummorum, ut Horat. refert, aut corporis, ut ab ictibus à phrenitico illatis, de quo verſus in Authologico extant, convenit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio IX, ad Caput IX.*

[*Gravis autem & acutus eſt Lethargus*] Niſi, (*inquit. Cornelius Celſus lib.* 3. *cap.* 20) ſtatim ſuccurritur, celeriter jugulat, quia eſt morbus acutus, & poſt eum *Galenus* 4. *de cauſ. pulſ. cap.* 13. *Lethargum eſſe longè Lethaliorem peripneumonia.*

[*Sed per ſe incipit*] ut ſæpe ex morbo morbus naſcitur, ſic *Lethargus* multis morbis ſuccedit, ſed ſæpiſſimè ex phrenitide humore bilioſo frigidiore. & crudiore facto; alias, ex immodica vacuatione, alias, ex longo uſu medicamentorum frigidorũ intra ſumptorum, aut capiti admotorum, ex *Galeno lib.* 2. *de cauſ. Sympt. capite ultimo.*

# DE CATOCHO.

## CAP. X.

*Lect.20. Octob.13.*

CAro aut lethargo similis esset 1 catochus, nisi oculi non clausi sed aperti permanerent qua de causa & coma vigilans dicitur; à nonnullis etiam Catalepsis sive deprehensio. in ea enim qua apprehensus est figura æger permanet, nullam corporis partem movens. hac enim affectione correpti 2 motu & sensu privantur. interrogati non respondent. palpebras habent apertas, oculos fixos, & penitus immobiles, sic ut & admota manu non claudantur. subito 3 autem invadit & quandoque in febrium intermittentium accessionibus ut in Tertianis non exquisitis.

Quandoque verò sine febre apprehendit & per se incipit. Periculosus est morbus, & quàm lethargus, ut inquit Aëtius, periculosior.

Causa, ut idem Aëtius ait, sanguinis est multitudo 4 confertim caput occupans & ipsum superimplens. Paulus causam ad pituitam refert, bilem ipsam superantem, & ad humorem frigidiorem & sicciorem quam is sit, ex quo carus 5 oritur. & quando ab hujuscemodi humore posterior cerebri ventriculus obstruitur ubi 6 memoriæ sedes, tunc catochum excitari ait. non fit tamen ex pituita sola, sed etiam ex pituita sanguini permixta. neque etiam semper ab humore, sed quandoque ab ipsis vaporibus eo perlatis. atque ita in febribus fieri contingit, in quibus

tempore accessionis vel paulo post catochus supervenit & una cum declinatione desinit.

Quando igitur catochus una cum febris accessione apprehendit pulsus sæpenumero parvi & langui-di sunt. Durante autem ipsa accessione frictiones, ligaturæ & similes diversiones faciendæ sunt. ab alijs verò remedijs donec febris accessio præterierit abstinendum.

Die verò intermissionis præsentibus plenitudinis & sanguinis redundantis signis, sanguis mox detrahendus erit, vel illis non apparentibus purgans medicamentum exhibendum quod pituitosos expurgat humores, neque ab alterutro remed. cessandum. nam si subsequente accessione catochus iterum redierit valde lethale habendum. non posse enim naturam, per febrem præsertim debilitatam, hujus affectionis vim bis sustinere apparet.

Vacuationibus factis reliqua curatio instituenda quam febris cui supervenit postulabit.

Quod si verò citra febrem, catochus subitò aliquem invaserit corpore existente repleto, vel non omnino extenuato, mox sanguis pro virium robore educendus erit citra cessationem.

Deinde acria enemata injicienda, & ubi æger ad se redierit humores præparandi & amplius vacuandi sunt & victus ratio instituenda, veluti in curatione doloris & gravedinis capitis à frig. humoribus.

Si autem Catochus citra febrem supervenerit macilento alicui gracili & extenuato, præsertim seni, aut decrepito, sola sufficiunt quæ caput calfacere & calidis vaporibus implere & frigidos discutere queant. ut sunt aqua vitæ rectificata & deficiente illa

aqua lavendulæ vel pulegij cum theriaca veteri aut
8 croco, aut ſimili aliquo.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Non tam rarus eſt affectus quam lethargus aut carus.

2. Eſt enim Imaginatricis veluti quædam paralyſis. l. de differ. ſymptom. Condiſcipulus tamen ille Gal. cujus ſect. 2. Prorhet. 1. aph. 59. meminit obſcurè ſe audire correptum dicebat. quorundam meminerat, ſed nec linguam, nec ullam partem movere poterat.

3. Quia ſubito ventriculi cerebri poſteriores humore aut vapore implentur.

4. Ut in adoleſcente illo qui à triduano paroxyſmo hæmorrhagia ſuccedente liberatus eſt.

5. Quod aliquo modo vigilare videantur. vigiliæ autem ex ſiccitate.

6. Quod inde liquet quia nullorum meminerunt quæ circa ipſos facta ſunt. Catochus enim condiſcipuli Galen. fortè minoris vehementiæ fuit.

7. Quod facile animadvertitur. nam 1. acceſſione non invadit ſed quando ſibi jam quandoque reſtituti videntur poſt hebdomadas duas aut tres.

8. Qui multum facit ad confortationem capitis.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio X, ad Caput X.*

*Catochus* eſt congelatio. Homines hoc vitio correptos, vulgus loqui putat cum *Deo*, quaſi ab illo raptos.

Sed rogabis cur oculi ſunt aperti? dic. ob ſiccitatem: ſicut humiditas eſt cauſa clauſionis, ſic, ſiccitas cauſa apertionis.

Eſt

Eſt ergo ibi corruptio ſenſus, & motus: & niſi excitentur, mortis imminet periculum.

Differt à *Lethargo* materiâ: hujus enim eſt phlegmatica, faciens apoſtemata in poſteriori parte cerebri, illius vero frigida eſt, & ſicca in eâdem parte.

## DE MEMORIA LÆSA.

### CAP. XI.

***Lect.21. Octob. 14.***

MEmoria læſa [1] aut deperdita dicitur quando quis non recordatur eorum quæ ſibi antea nota fuerunt. Accidit autem hoc dupliciter, vel enim per ſe nullo alio morbo præſente, vel aliquando cum aliqua alia affectione, ut cataphora, catocho, caro, phrenitide, apoplexia, morbo comitiali, vel [2] ſimili.

Vbi igitur memoria perijt vel inſigniter læſa eſt nullius alterius morbi occaſione frigida cerebri intemperies in cauſa eſt, ut Galenus ait.

Fit autem quandoque ut per ſolam intemperiem frigidam memoria lædatur: aliquando verò ſimul adſit, vel humiditas † vel ſiccitas. Humiditatem ſimul cum frigida intemperie cerebri adeſſe oſtendit ſomnolentia, & profundi ac longi ſomni præſertim ſi multi per nares ac os humores ex capite defluant. Siccitatem oſtendunt vigiliæ, ſomni & excrementorum paucitas [4].

Læditur autem cerebrum & quidem poſterior ejus pars. per proprium corpus, ut Gal. ait, non autem ventriculus ipſius.

Vbi igitur propter frig. & humiditatem [5] memoria læſa eſt redundantes humores vacuandi ſunt

ad quod conducunt pillulæ ex [6] hiera cum agarico vel his fortiores cochiæ vel aureæ, & ea quæ in dolore capitis à causa frigida ac humida dicta sunt.

Exhibenda quoque omnia quæ excalfaciunt ac resiccant: ut majorana, stœchas, betonica, rosmarinus, & ex his conservæ. item & cubebæ, cardamomum, pyretrum [7]. quæ & in ore sumi ac mandi possunt. Ex compositis laudantur elect. pleris, diamuscum, diambra, & Arabum confectio anacardina. Aëtius eboris ramenta memoriæ opitulari tradit. prosunt autẽ non qualitate, sed substantiæ suæ [8] proprietate.

Iam & capitis posteriori parti & calida [9] admovenda sunt ut ol. ex castoreo, ol. laurinum & similia. Æstate, inquit Aëtius, oleum per se [10] calidum: hyeme irinium cum aceto. aliquando serpillo vel calamintha in ipso decoctis.

Victus rationem cal. quoque & siccam esse oportet. Ab oleribus fructibus præsertim crudis omnino abstinendum. item à caseo & lacte, & ab omnibus quæ crassum succum [1] ingenerant, & flatus gignunt, ut sunt legumina. Vinum utile est tenue & album, mediocris ætatis, moderatè sumptum. nam nimium sumptum caput implet & humectat.

Quando verò propter solam frig. vel siccitatem simul memoriæ detrimentum factum est; veluti post labores, vigilias, vacuationes immodicas, aut post affectionem aliquam cerebri frigidam, reficiente diæta [2] uti, inquit Aëtius, convenit: neque aliud curiosius agendum. viribus enim reparatis memoria restituitur.

Eodem modo si propter senectutem, memoriæ offen-

offenſam ſola conveniente diæta contentum eſſe oportet.

Quibus autem ſubitò, addit Aëtius, & derepente
13 memoria deficit, in his comitialem ſucceſſurum morbum, vel reſolutionem timere oportet vel omnino aliquod magnum malum.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Morbi de quibus jam dictum circa cogitatricem ac imaginatricem memoriæ partem fuerunt. ſequitur is qui circa memoriam. Non aliud æquè fragile in homine quam memoria morborum, & caſus injurias, atque etiam metus ſentiens, alias particulatim, alias univerſa. ictus lapide oblitus eſt literas tantum. Plin. l. 7. c. 20. Valer. maxim. l. 1. c. 6. Meſſala Corvinus poſt morbum, proprij nominis oblivione percuſſus eſt. Solin. c. 6.

2. Eratolai filio dyſenterico hujuſmodi oblivio oborta eſt ut eadem paulo interpoſito ſpatio iterum percontaretur, ſeque deſidere niſi admonitus obliviſceretur. Ipſe autem ſibi conſcius erat hujus affectionis, neque ignorabat. 7. Epidem. Hipp.

† Præmium ſumunt ebrietatis rerum omnium oblivio morſque memoriæ. Plin l. 14. c. 22.

3. Non eſt tamen ſignum παθογνωμονικὸν, nam & ab imbecillitate cerebri proveniunt, ut in ſenibus.

4. Tum cauſæ ſiccantes, ut labor, vigiliæ literariæ, tenuis victus. Gal. 3. de loc. aff.

5. In his autem maximè remediorum occaſio eſt.

6. Aëtius utitur hiera Ruffi. utuntur & alijs verũ cum vel ſcammonæam vel colocynthida recipiunt libenter ab ijs abſtinemus.

7. Quod duplici ratione confert. qualitatis videlicet calidioris, & quod capitis humores tanquam apophlegmatiſmus expurget, Utuntur & pæonia

quam capiti proprietate prodesse experientia docet.

8. Nullam enim habet qualitatem. Vsto quidam utuntur, at tum non nisi resiccando convenire poterit, etenim proprietatem amittit.

9, Ac potissimum suturæ lambdoidi.

10. Maturum tamen fit, non omotribes, hoc subviride, illud magia flavum est.

11. Qualia omnia opera quæ è lacte conficiuntur.

12. Ut sunt ova, & generosum vinum, quale malvaticum quod aliquibus senibus aliquando consului ut his manè uterentur qui senectutis frigiditatem istis temperari quodammodo senserunt. R.D.

13. Necesse est ut hoc fiat ex influxu humorum in ventriculos. qui si post ad principia nervorum decumbant, epilepsia oritur.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XI, ad Caput XI.*

Dicunt Anatomici memoriam in posteriori parte cerebri locatam, & ideo decumbentem fortiter humi, omnia, quorum antea meminerat, ob vehementissimam agitationem, oblivisci, ut proprio experimento attestor de quodam juvene Orphano, qui postquam in occipitio concussus esset, memoriæ omnimodam jacturam fecit.

Sic alterum habui Iohannem cognomine de Koninck hujus civitatis civem, qui ex frigiditate, & humiditate cerebri in *Paralysim*, & hoc malum incidit: Hic quamvis literator, nec verbum intelligebat, nec recitare poterat.

DE

# DE MELANCHOLIA.

## CAP. XII.

*Lect.22. Octob.27.*

MElancholia [1] à causa efficiente nomen accepit ab humore videlicet melancholico. Delirij est species absque febri cum metu & mæstitia. melancholici siquidem frequenter absque causa mæsti sunt. hominum consortia quandoque etiam vitant. timent, & vix ullo tempore metus illos deserit. non est tamen omnibus idem modus. sunt etenim & qui non metu, sed & alia quadam imaginatione [2] detineantur. Depravatur autem per hanc affectionem imaginatio. ratiocinatio verò & memoria non læduntur.

Accidit autem melancholia uno modo, cerebro per essentiam sive primariò affecto: alio modo per consensum cerebro laborante. idque dupliciter. vel enim à toto corpore venis scilicet sanguine melancholico plenis, vel ab hypochondrijs malè affectis, quæ flatuosa & hypochondriaca melancholia dicitur.

A toto corpore melancholiam fieri ostendit habitus corporis macer extenuatus & hirsutus, venæ latæ. præsertim si accesserit victus ratio crassum & melancholicum sanguinem ingenerans. deinde & sollicitudines, mærores, vigiliæ. hæmorrhoidum ac mensium suppressiones. Hypochondriacam verò melancholiam præter metum & tristitiam testantur cruditates, acidi ructus, flatus, ventriculi dolores, &

quan-

quandoque in hypochondrijs ardores, & circa splenem tumores. quum verò neque circa ventriculum aut hypochondria prædictorum aliquod apparuerit, neque redundantis in toto corpore sanguinis melancholici adsunt signa, metu tamen & tristitia æger torqueatur cerebrum primariò affici existimandum erit.

*Lect.23. Octob.18. I.A. Corpore toto.*

Si itaque melancholia fiat ab 3 atro humore in toto corpore redundante sanguis ex sinistri brachij vena media detrahendus est. & si quidem valde niger fluxit copiosus. si autem 4 pulcher & rubicundus non multus.

Si verò atri sanguinis copiosam vacuationem æger non sustinuerit una vice, post aliquot dies, aut post purgationem, sanguinis detractio iteranda erit. Misso sanguine exhibenda sunt quæ humores ad purgationem idoneos reddant, quæ ex differentibus facultatibus permista esse convenit, ita ut quædam sint quæ crassos humores attenuare queant, alia quæ siccitatem eorum contemperent, & cordi prosint. Attenuantia sunt cort: rad. capparorum, cortices tamaricis, fraxini, & rad. mori. chamædrijs, thymum, 7 epithymum, asplenium sive ceterah, adiantum, polypodium.

Contemperantia verò sunt fumus terræ, borago, buglossum, violæ, succus pomorum dulcium, & hujuscemodi ex quibus vel syr. vel decocta parari possunt. Decoctis addendi sunt 8 syr. ut de epithymo, fumo terræ, buglosso, vel de pomis Mezuæ.

Præparatis humoribus exhibenda sunt quæ ipsos expurgent 9 ut folia senæ, epithymum, & quod efficacissi-

cacissimum veratrum nigrum. Ex compos. confect. hamech diasen, pill. de fumo terræ, pill. indæ, præsertim quæ sunt descriptæ à Guilhelmo de Saliceto quæ recip. aloes ʒ 1. agarici ℈ 2. salis indi ° aut gemmæ ejus loco ʒ ß veratri nigri ℈ 1.

Commendantur & pill. de [11] nitro Alexandri præsertim ab ipso descriptæ in cap de cura quartanæ. Repetere autem hujuscemodi purgantia subinde, utile est. Medio tempore poterunt exhiberi quæ cordi prosunt & ad hilaritatem faciunt: ut sunt elect. de gemmis, elect. lætificans, aut diamargariton vel simile aliquod aut syr. supradicti dandi sunt vel syr. de pomis regis [12]. Saporis qui omnibus præferendus alijs est. cui si veratrum nigrum addatur multo erit futurus efficacior.

Post purgationes factas, balneo aquæ dulcis utendum in quo malva & violæ, & flores chamæmeli incoqui poterunt.

Hæmorrhoides si fluere desierint conandum est ut iterum fluant, vel sanguisugæ ipsis sunt admovendæ. Menses etiam præter naturam suppressos provocare refert. non tamen per assumenda [12], sed potius per externa remedia ut balnea, fotus, olea vel emplastra.

*Lect. 24. Octob. 20. II. Hypochondriaca.*

Originem habet melancholia hypochondriaca ab atro humore circa ventriculum, mesenterium, hypochond. & lienem [13] ut plurimum consistentem, ubi collectus non modo cruditates aut flatus excitat, sed & vapores melancholicos procreat qui ad cerebrum transmissi imaginationem lædunt ac depravant. Non est autem hæc melancholia adeo vehemens

mens

mens ut aliæ,ſed mitior, & quæ per certa intervalla remittitur.

*Lect.25. Octob.21.* *III. Primaria.*

Qui hac affectione laborant vacuatione opus habent,ſanguinis miſſio non [14] requiritur , niſi vel menſium retentio,vel hæmorrhoidum adſit ſuppreſſio,[15] vel omnino corpus ſanguine redundet,vel lien inflammationem minetur , ſed purgantia medicamenta exhibenda ſunt. Habita tamen ventriculi ratione. quia in hac affectione ſæpe cruditate laborant. idcirco à fortibus initio medicamentis abſtinendum,& ſena,epithymo, polypodio & ſimilibus contentum eſſe oportet. [16] utilis verò & aloës uſus, [17] etiam ſingulis diebus in exigua quantitate ſumptæ. facit enim ad alvi dejectionem quam utile eſt non aſtrictam eſſe. ventriculum non perturbat. ſed magis corroborat. hæmorrhoides aderit , menſes provocat.ex hac formatæ pill.leviores exhiberi poſſunt. Perſeverante malo & non proficientibus iſtis ad fortiora tranſeundum qualia ſupra dicta ſunt.

Exhibere & quandoque ad humorum præparationem ſyr.expedit.inter quos de epithymo reliquis præſtat.

Exhibenda verò & quæ ventriculi concoctionem [18] adjuvent & flatus diſcutiant ut diatrion , diagalanges , vel aromaticum roſarum pro delicatis. tum & ipſum piper per ſe in cibo ſumptum.

Vſus quoque ſeminis aniſi,ammios,carvi, & ſimilium etiam à cibo non eſt improbandus. Ventriculo verò & hypochondrijs externis quoque remedijs providendum.veluti fomento ex ruta,anetho, [19] abſynthio,pulegio,origano,meliſſa,ſem. aniſi,cumini,

in

in sacculo consutis qui deinde in aqua decoctus ventriculo & hypochondrijs calens est admovendus. Possunt verò & hæc in oleo decoqui cum quo ventriculus & hypoch, ungenda. Ventriculus etiam seorsim ungi poterit oleo nardino, [20] & de absinthio: Sinistrum verò hypochondrion, si lien tumeat, oleo [21] capparorum, [22] liliorum, addito [23] ammoniaco vel ex ammoniaco emplast. admoveri.

Quando verò melancholia cerebrum primariò & per essentiam afficitur initiò non [24] medicamentis, sed idonea & nonnihil humectante victus ratione curatio instituenda. & paucis externis remedijs. ut inunctione frontis & temporum ex oleo violarũ vel nenupharino si somnus nõ succedat. Sed ubi diuturnior facta fuerit hæc melancholia ad majora remedia veniendũ est. & talia quando ex toto corpore melancholia procedit, & crebro balneis, utendũ est.

Ad melancholiam verò & referenda quam Paulus [25] Lycanthropiam vocat quæ ex humore melancholico in toto corpore redundante originem habet. fugiunt qui hac laborant hominum consuetudinem. tenebras amant. circa monimenta mortuorum libenter versantur. Curandi autem hi sunt veluti qui melanch. totius corporis vitio laborant.

Huic verò & affinis videtur Incubus [26] licet non nisi dormientibus superveniat [27]. Comitatur hos in somno suffocationis & veluti à re quapiam gravante atque ipsis incumbente, oppressionis [28] imaginatio. & subinde voluisse clamare ac non potuisse sibi videntur. & tanta quidem est hujuscemodi falsa imaginatio ut expergefacti præ sudore madidi quandoque reperiantur. Causa sunt crassi & melancholici humores pituita subinde admixta †. Cu-

Curatio verò hujus etiam veluti melancholiæ à toto corpore.

Melancholia autem sæpe, in morbum transit comitialem 29 quod Hipp. 6. epid. affirmat: Melancholici, inquit, magna ex parte morbo comitiali afficiuntur. & è contrà morbo comitiali 30 laborantes fiunt melancholici. Incub. etiam, si sæpe & continuò accidat morbum aliquem magnum 31 superventurum præsagit. vel apoplexiam ß. vel comitialem morbum, vel maniam, autore Paulo.

Melancholici autem in tenebris aut locó obscuro non sunt continendi, nec in solitudine relinquendi 32, sed inter amicos versari eos convenit, & omni decenti animi recreatione delectari: ut cantibus, instrumentis musicis, fabulis, ad deambulationes deducendi sunt per loca amæna. ad ludos quoque & spectacula ludicra & ad gaudia & hilaritatem omnibus modis excitandi 33. & ita quoque cum ijs agendum qui nimio amoris affectu languent. Victus sit ex optimis cibis. Vitanda sunt sale aut fumo durata. caro item bubula, cervina, aprina. pisces in cœno viventes, legumina omnia & inter olera maximè fugienda est brassica. Caro autem vervecina, caponũ, gallinarum, & omnium volucrium quæ non circa aquas versantur, commendatur. & præstat subinde magis elixis uti quam assis.

Inter olera buglossum, borago, lactuca, cichoriũ non reprobantur. Fructus crudi non admittuntur. Vvæ passæ non sunt inutiles. Vinum album & tenue 34 conducit. rubrum & crassum non probatur. multò minus mustum. Sic neque etiam cerevisia potens & crassa.

In

In vigilia & somno modus servandus. Curæ & solicitudines omnes excutiendæ.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Melancholiæ participes fuere viri clari ut Hercules, Bellerophon. Empedocles qui se in Æthnam præcipitavit. deniq. Socrates, & Plato absque atra bile non fuere. Volater. At hæc illa Mania est. Θείᾳ δόσει διδομένη, per quam optima quæque nobis contingunt. Plato in Phædro.

2. Vt qui cimices per aures irrepsisse, ac copiosa prole auctos, totum sub cute habitum occupare, ingentesque sibi molestias facessere conquerebatur. Plerunque tamen deliria ista avaritiam, aut superbiam conjunctam habent, ut in illo juvene qui Reginæ nuptias somniabat.

Melancholia fit vel
- Per consensum.
  - A toto corpore.
  - Ab hypochondriis.
- Primaria cerebri affectione.

3. Fæce sanguinis, vel humore ex adustione nato.

4. Sic scribunt autores. id tamen vix fieri potest. & tam ijs quos primò invaserat melancholia, quam illis quos post maniam adoriretur omnibus atrum fluere sanguinem animadvertit. R. Dodon.

5. Ne ex incidentibus quæ calida valde, adurantur & ex humore atro naturali, in non naturalem, & ægro damnum majus inferatur.

6. Quia raro aut nunquam fit melancholia absq; communitate cordis.

7. Dioſcor videtur florem thymi ſic appellare, recepta tamen pro hac caſſutha quæ thymo innaſcitur.

8. Quidam deſtillata aqua utuntur quæ vim non habet niſi novo modo ut aqua vitæ, tubis per aquam frig. tranſeuntibus diſtelletur.

9. Decoctio purgans in melancholia. ℞. Rad. polypodij. cort. rad. fœniculi, cort. rad. cappar. ana ʒ 2. paſſul. glycyrh. ana ʒ ij. ſ. aniſi ʒ 1. chamæd. beton. meliſſæ ana p. 1. flor. cord. p. ß. veratri nigri ʒ 2. miſce. f. omnium ad ℥ iij. decoctio. adde ſucci pom. dulc. ℥ ij. in quib. infunde ſenæ, epith. ʒ 2. ſyr. de epith. & bugl. ana ℥ ß. miſce. f. hauſtus.

10. Credo cum imitatione Tralliani nitrum intelligi voluiſſe.

11. Nitri loco ſumendus ſal gemmæ. non ſal petræ. A compoſ. Alkermes & omnibus lap. lazuli habentibus quod valdè venenoſus ſit lapis lazuli niſi ſæpe abluatur, libenter abſtinemus. Quidam quum frequenter hac uteretur pro cordiali, tandem in morbum incidit, ex quo mortuo effluxit ſanguis multus putridus. quod ſi corpus apertum fuiſſet ſine dubio viſcera corrupta fuiſſent inventa. quum enim in pauca quantitate uteretur non potuit hinc purgari. at ſi pro cordiali uti quis volet omittat lazuli lap.

12. Ad cujus imitationem ſyr. hunc compoſui quem utilem inveni. Rec. rad. bugl. aſparagi, ruſci ana ℥ ß. chamædrios, cuſcutæ, hepatorij vulgaris, meliſſæ ana manipulum ſemis. cort. myrobal. indorum ℥ ß. ſenæ, epithymi ana ℥ 1. vel ß. veratri nigri ℥ ß. ſeminis aniſi ʒ 1. paſſularum ℥ 1. f. decoctio ad pond. 1. colato addantur ſucci pomorum dulc. ℥ iiij. ſacc. 12. & fi. ſyr. R.D.

12. Etenim valde calida qualia ſunt quæ provocant menſes, metus eſt ne adurant humores.

13. Imo, ſecundum Arabes, etiam hepar atque uterum. Non in venis. Inflatus autem ratione caloris naturalis intumeſcit quamvis effuſus foras non

fermenti

fermenti modo radat terram ut adusta melancholia. maxime autem flatus excitat quando adest pituita unde in quibusdam locis palpitatio fit.

14. Quia humor peccans in venis non continetur.

15. Quia circa hypoch, hærere solet regurgitans sanguis.

16. A cassia & ea quæ cassiam habent (nisi confectione hamech quæ paucam recipit) abstinendum, quod & ventriculum perturbet & flatus augeat.

17. Vel in satis magna quantitate, ut purget: vel in minima ut tantum sit ἐκκοπρωτικόν.

18. Paulus exhibet absinthium ratione ventriculi sed non admodum rectè. nam crudi humores eo non perducuntur ad concoctionem; quin magis astrictione in ventriculo retinentur, bilem tamen abstergit.

19. Solum ad roborationem. reliqua ad flatus discutiendos.

20. Simul mixtus.

21. Dissolvit.

22. Mollificat.

23. Ungent. spleniticum. ℞ Olei liliorum ℥ I. ammoniaci dissoluti in aceto & ad spissitudinem cocti ʒ I. S. ceræ. qu. s. f. ung. molle.

24. Quia non potest esse magnus morbus, nisi & reliquum corpus afficiatur.

25. Nihil nisi intensa melancholia est. Apud Marcellum & Cynanthropia inter Melancholiæ species recensetur.

26. Plin. videtur Faunorum in quiete ludibria appellasse. l. 25. c. 4. & nocturnam limphationem. l. 34. c. 15. Pnigaliona Themison. quidam veteres Ephialten, vel Epibolen. Neque Deum, neque semideum, sed Epilepsiæ tentationem, h. e. præludium Soran. probavit. Cæl. Aur. Babutycarius posterioribus Græcis. Suid.

27. Sæpe contingit in puerperis si non benè à crassis succis purgatæ fuerint post partum.

28. Atque huic quum vitiata sit imaginatio ad

melancholiam tanquam genus referendum, quum in hac lædi imaginationem in definitione dictum sit.

† Quæ ex ciborum repletione, & cruditatibus in caput effertur anathymiasis, Ephialtes dicitur. Suid.

29. Herculem quod melancholiæ particeps esset. sacro morbo obnoxium fuisse dicit Volateran. Non raro admodum hoc fit. est autem comitialis gravior incurabilis si post 24. annum incidat. fit autem si tamdiu remaneat morbus donec cerebri ventriculi in quibus comitialis, corrumpantur.

30. Hoc quomodo fieri poterit non video nisi in morbo comitiali puerorum mutatione ætatis, temporum &c. Unum habui sub manibus melancholicum qui in pueritia comitiali dicebatur laborasse. Remb. Dod.

31. Capitis sensum, aut motum auferentem.

32. Helenam Ægyptijs medicamentis in cratere mixtis, h.e. philosophicis sermonibus quos in Ægypto vino interpositis, mæstitiam discutere solitam vetustas credidit. Philostr. 7. de vita Apollonij. Iræ tristitiæque remedium etiamnum reperiri apud Diospoliticos solos, testatur Diodor. Sicul. l. 1.

33. Expedit quandoque ut decipiantur. sic quidam costam sibi confractam imaginabatur. cui exhibita purgatione ac in excrementis costa bovis aut alterius animalis confracta reposita, quum se excrevisse eam opinaretur, à morbo melius dein habuit.

34. Sic etiam cerevisia tenuis convenit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XII, ad Caput XII.*

Ad sonitum frondis enim venticulo agitatæ diffugiunt, perpetuo lugent, plangunt, quiritantur, amicos, & familiares aversantur, cunctos oderunt, & solitudines captant, qualem *Bellerophontis Homerus* describit:

*Post-*

*Post quam autem invisus superis est factus, in agro*
*Hærebat miser ipse suo, solusque dolorem*
*Consumens animo, atque hominum vestigia vitans.*

Quærat quispiam, quibus notis discernatur *Melancholia à phrenitide*, quibus à *Mania*? Dic: quod phrenitis sit alienatio mentis cum febre, & cum quodam furore, aut incomposito metu. *Mania* vero furor sine febre, timore, & mæstitiâ. *Melancholia* vero, dementia, aut si mavis desipientia, sine febre cum metu, & mæstitia. De hisce lege *Galenum* 2. *de sympt. caus. capite ultimo.*

[*Vel ab Hypochondrijs*], per Hypochondria, intelligo partes omnes sub costis sitas, sive affectio sit in ventriculo, sive in jecore, seu in venis lienis, vel Meseraicis.

[*Sive primario affecto cerebro*] Hoc ostendit *Galenus* 3. *de locis affect. cap.* 7. dicens: *Vbi in ipso cerebri corpore melancholicus succus abundat, eam insaniæ speciem (quam Græci Melancholiam vocant) efficit, quo fit ut neque subito, neque affatim solvatur, &c.*

Ex quibus liquet cerebrum ut similarem partem, & non ut instrumentalem in *Melancholia* læsam esse. Sed cum meatibus obstruuntur ut instrumentalis, cum vero temperamentum ut similaris pars læditur.

[*Hæmorrhoides ut iterum fluant*] quod attestatur *Hippocrates. lib.* 6. *aph.* 11. *& eodem.* 21. per hæc verba: *Malancholicis, & Nephriticis Hæmorrhoides supervenientes, bonum. Et insanis si varices, vel Hæmorrhoides supervenerint, insaniæ, seu Melancholiæ solutio.*

[*Lycanthropian Paulus vocat*] Hæc Lycanthropia, vocatur in qua propter corruptam imaginationem depravate imaginatur homo se in Lupum mutatum esse, & deinde diu absconditus in agro, noctu ad monumenta, & sepulcha recurrit: alij opinantur se in canes conversos, & hujusmodi alia.

Sicuti etiam ex melancholicis quidam se in, feras Gallos, aut reges fuisse conversos putant.

[*Huic vero affinis videtur Incubus*] De Incubis, &

succubis multa essent pertractanda cum *Divo Augustino lib. 15. de civitate Dei*, sed cum medici simus medica tractamus.

Dicimus hoc esse symptoma Thoracem opprimens ponderis instar, inter dormiendum subortum, ex fumis nimirum & flatibus, qui tunc excitantur pulmonem, & septum transversum infestantibus, præsertim cum non tam libera sit respiratio per somnum, quam inter vigilandum.

Quod autem in eo lædatur imaginatio, quæ est in prioribus ventriculis, id fit per consensum, ut in *Malancholia Hypochondriaca. ex Galeno lib. 3. de Locis. aff. cap. 4.*

## DE COMITIALI MORBO.

### CAP. XIII.

*Lect. 26. Octob. 24.*

COmitialis [1] morbus sive epilepsia est universi corporis convulsio cum principum operationum læsione ac oppressione, sed non diuturna, in quo à reliquis convulsionum generibus differt [2]. Contingit autem hic morbus frequentissimè ipso cerebro primario laborante & in ipso affectu consistente. interdum verò ab ore ventriculi cerebro per consensum laborante. fit etiam sed rarò, ut Gal. ait, morbi comitialis species quum à parte aliqua (cui id fortè accidit) [3] incipit affectus, qui sentiente ægro ad cerebrum usque ascendit. Causa primariæ affectionis est humor pituitosus [4], vel multus vel crassus. [5] interdum verò crassus melancholicus. quales si in [6] meatibus ventriculorum cerebri sive is medius, sive postremus sit, retineantur, comitialem morbum efficere solere Gal. testatur.

Pri-

7 Primario autem cerebrum affici cognoſcitur quando non propter oris ventriculi ſenſibilitatem, aut non propter alicujus partis magnum dolorem vel non ab aliqua parte vaporoſus ſpiritus aſcendere ſentitur.

Corripiuntur autem hoc morbo facillimè 8 pueri. deinde adoleſcentes ac juvenes. rarius ætate 9 majores. Pueris 10 autem planè infantibus à naturali intemperie hic provenit, quando cerebrum valde humidum eſt. deſinit verò in his cito ac facilè ætatis converſione. ſed qui in ætate aliquouſque progreſſa vexare inceperit ob peccata in victus ratione commiſſa, vel aliam quampiam cauſam 11 externam exortus eſt. atque in his ætatis converſionem expectare, non convenit, ſed morboſum affectum diſcutere & idonea adhibere remedia priuſquam invaleſcat. Gal. quoque autore. Qui autem in majore ætate ſupervenit & poſt 25. annum ferè ad mortem uſque 12 comitatur. nam, ut Hipp. quibuſcunque morbi comitiales ante pubertatem fiunt, mutationem accipiunt: quibuſcunque autem in 25. commoriuntur. Quicunque verò ſenes apprehendi incipiunt maxime 13 moriuntur.

Graviſſimus autem & difficillimus eſt morbus qui à capite oritur & cerebro primaria affectione laborante. qui verò ab alia parte veluti 14 à ventriculo, aut à manu, aut à pede initium ſumunt maximè ſanari poſſunt. 15 Quum autem primum morbus iſte aliquem apprehendit acutus & magnus eſt, & ſubinde diuturnam habet acceſſionem, nec cito ad ſe homo redit. quando autem frequentius invadit minus gravis eſt & acceſſionem minus diuturnam habet.

## *Curatio.*

### *Lect. 27. Octob. 25.*

Si [16] itaque puer recens natus hoc morbo corripiatur nulla opus eſt curatione. ſpes etenim eſt ætatis mutatione ceſſaturũ. interim radix pæoniæ collo appendi poteſt, quæ pueris geſtata maxime prodeſt.

Quod ſi verò alicui majoris ætatis morbus hic ſupervenerit cura & diligentia major requiritur. ad [17] aërem calidiorem & ſicciorem perducendi ſunt & ad exercitia & labores, jejuno corpore. In victus ratione abſtinendum eſt ab omnibus quæ craſſum, frigidum, lentum ingenerare ſuccum queant. Attenuantia conveniunt ut carnes volucrium quæ non in aquoſis aut circa aquas verſantur. inter olera ſinapi, naſturtium, eruca probantur. ex herbis hyſſ. orig. majorana, roſmarinus, thymus, betonica. Quod ſi verò & ætas ſanguinis detractioni & purgationi ſuffecerit non erit hæc prætermittenda. Et ſtatim poſt morbi invaſionem vel vere aut autumno hæc facienda

Quando verò poſt 25. annum morbus hic primũ invaſerit frequenter initio morbus acutus eſt. atque tunc ſi vires ferant ſanguis [18] quoque detrahendus. aut acri enemate alvus irritanda. & quando æger aliquantum ad ſe redierit purgans medicamentum non negligendum.

Victus ratio ad calidam & ſiccam mutanda ut ſupra dictum.

Prodeſt verò non raro his tum & junioribus [19] cauterio ulcus in cervice procurare, idque diu apertum

tum retinere. poteſt verò ſimile in uno brachio [20] aut uno crure facere. quod & diu apertum manere expedit. Laudat Rhazis lib. 9. ad Almanz. elect. quoddam quod valde utile eſt in morbo comitiali, cujus loco ſumi poteſt aliud compoſ. ex Mithridatio & conſerva majoranæ additis cubebis, cardamomi, pyretri radice, & pæoniæ radice aut ſemine cum ſyr. ex ſtœchade permixtis.

Geſtare vero & ex [21] ungula alcis vel annulum vel aliud quiddam ſubinde tum his tum & alijs utiſe eſt.

In ſenectute autem ſi quis hoc morbo corripiatur & ab hoc convaluerit idonea victus ratione continendus eſt, & danda quæ cerebrum reſiccant & corroborant, veluti quæ jam diximus.

Quod ſi verò ab ore ventriculi morbus comitialis fiat [22], id quod ex oris ventriculi dolore & ſenſu roſionis præſertim ab inedia ac fame cognoſci poteſt, ventriculi ac oris ipſius ratio habenda erit. cibus tempeſtivè exhibendus qui ut bene concoquatur curandum. Si aliquo humore gravari ventriculum contigerit exhibendá erit hiera picra. exterius vero & admovenda ventriculum roborantia.

Si autem propter alterius partis affectionem vel [23] dolorem acciderit parti laboranti curatio debetur. Si ex crure vapor aliquis efferri ſentiatur qui ad cerebrum perveniens affectum ingeneret mox vinculo priuſquam aſcendere vapor queat membrum ſtringendum. deinde parti calfacientia & exulcerantia adhibenda ut ſunt medicamenta ex thapſia, ſinapi, euphorbio.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. ἱερὸν νόσημα, ἡρακλεῖον νόσημα ob difficultatem dicitur. item ἐπιληψία quod ſubito apprehendat: vel quod ſenſum atque mentem pariter apprehendat. Cælius Aur. Sacer, quod divinitus immittatur, ſeu quod ſacram animam; vel ſacrum templum partis animæ in corpore dominantis, contaminet; ſive ob magnitudinem paſſionis. Cæl. Aurel. Vide Apulejum 2. apolog.

2. Contagioſum vetuſtas credidit. hinc illum deſpuebant, h.e. contagia regerebant. Plin. Eo laborantes fugiebant. Horat. & ne familiam inficerent rus ablegabant. Apul. 1. apolog.

3. Sic ab uteri ſuffocatione comitialem ortum vidit. R. Dodon. Ego etiam in parturientibus. Vide Cæl. Aurel. l. 1. Tard. c. 4.

4. Ad quem ſemper refert Hipp.

5. Ad quos etiam refert Gal. & Plato in Timæo.

6. Ab uno ventriculo ad alium.

7. Qui comitiali vitio ſolent corripi jam adventare valetudinem intelligunt ſi calor ſumma deſeruit. & incertum lumen nervorumque trepidatio eſt. ſi memoria ſublabitur, caputque verſatur. Seneca de ira. c. 10. Splendores inſtar iridis oculis obverſantur odorem fœdum ſentiunt, aures ſonant, bilis præter rationem accenditur. Aretæus. l. 1. c. 5.

8. Hinc puerilis paſſio dicitur. Cæl. Aurel.

9. Ætatib. melioribus & pulchrioribus viget. cum ætatis flore ſæpe evaneſcit; ſed & tum abiens, quaſi pulchritudinis invidia quoſdam deformat, aut manum inutilem reddens, aut faciem torquens, aut ſenſum aliquem auferens, quod apud Aretæum repertum in praxi verum eſſe aliquoties vidimus.

10. Potiſſimum tamen illi quibus cerebri ſenſus exactior; ut maximi quique hanc paſſi ſint Livius Druſus,

Drusus, Iul. Cæsar alijque. Mahumeth fortè arreptitius, h. e. Deo plenus videri voluit. De Carolo V. hostis Galli commentum puto.

11. Ut ex Lunæ radijs. quos Anthyllus medicus apud Stobæum. serm. 100. dicit καρηβαρείας & ἐπιληψίας ἀνακινεῖν quod humidius reddent cerebrũ. idem etiam Gordonius asserit.

12. Quia oportet causam esse magnam quæ cerebrum jam per ætatem siccius humectarit. Quod si familiæ propria, non ætas, non medicus discutere illam valent. Pallad. 6. epid. s. 1. aph. 4.

13. Aut aliqua parte leviter syderati fiunt, aut si non moriantur cito liberabuntur.

14. Ac talem in quadragenarijs quandoque curavi. R. Dodon.

15. Ita ut quandoque per triduum jaceant, ac quandoque diu manent in sopore seu caro soluta convulsione. fit autem hoc ob magnitudinem causæ quæ sanum ante hac potuerit afficere.

16. Elasij dicebantur qui hunc propulsarent, Argis. erant autem ex posteris Alexidis filiæ Amphiarai. Plutarch. in Hellenic. Menecrat qui se pro Iove gerebat, quos à sacro curabat morbo variorum deorum habitu circumducebat. Athenæus. l. 7.

17. In Oasi non solum nulli comitiali morbo corripiuntur; sed & qui aliunde illuc veniunt, ab illo morbo liberantur; propter aeris maximam temperiem. Olympiodor. apud Photium in bibliotheca. Belgio nostro contrà frequens; quod frigida humidaque regio sit, quam auster, ventus minimè salubris perpetuò afflat. Læm l. 2. c. 3. Adde quod cibis crassi succi ut plurimum utamur.

18. Metui enim posset ne in apoplexin fieret transitus.

19. In morbo recenti in quadragenarijs vidi profuisse. in inveterato non tantum prodest. dicitur vulgo fontanella. videtur Appulejus meminisse quum dicit rapum rannunculi collo alligatam curare comitialem.

23. Non

20. Non primò, ante ulcus in cervice. nec illud claudendum antequam in brachio vel crure apertum, quod diu, imo quandoque per totam vitam, apertum retinendum.

21. Exteriore dextri posterioris pedis. Parac. post alios Viscum commendat. qui suo more Viridellum appellat.

22. Ut in Diodoro Grammatico, de quo Gal. l. contra Erasistratæos.

23. Dolorem calculi vel etiam coli intestini.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XIII, ad Caput XIII.*

*Epilepsia*, quæ invasio seu comprehensio est, etiam appellatur, *morbus Caducus*, à causa quæ fit in paroxismo.

Secundo, vocatur *Peditio*, ab immoderato motu pedis, in paroxismo.

Tertio, vocatur *Hieranoxium*, ab Hiera, quod est sacrum, & noxium quod est nocens.

Quarto modo dicitur *Commensalis*, vel *Convivalis*, quia multoties in convivijs, plusquam in alijs locis venit propter saltum, tinnitum, qui fiunt in talibus: quare tunc mala materia incitatur; & ab illa fumi pravi elevantur.

*Epilepsia Hæreditaria* est. Hæc non suscipit curationem.

Si non hæreditaria, & cerebrum primo afficitur difficilis est curatu, præsertim si æger sit nactus xxv annum ut rectè ex doctrina *Galeni* notavit Auctor.

# DE VERTIGINE.

## CAP. XIIII.

*Lect.28. Octob.27.*

VErtigo, [1] ſive ſcotoma inordinatus eſt ſpirituũ in cerebri ventriculis motus, propter [2] quem omnia quæ quis videt ſibi in orbem converti, ac circulariter rotari, falſo apparet, adeo ut ſtans nequeat [3] conſiſtere atque in terram concidat niſi aliquo fulciatur quemadmodum ſanis poſt multas corporis circumgirationes accidit. Non ſolum autem ſtantibus aut euntibus, ſed ſubinde & in lecto decumbentibus ac quietis hujuſmodi accidens ſupervenit quod & quandoque adeò magnum eſt ut & tenebras oculis offundat, quod [4] σκοτόδινον Græci nominant. Contingit verò & hanc affectionẽ quandoque per conſenſum fieri, quandoque verò cerebro primariò laborante.

Per conſenſũ fit quando ex ventriculo acres [5] calidique vapores efferuntur, cujus ſignum ventriculi atque ipſius oſtij morſus ac roſio, & quandoque nauſea. Cerebrum verò primaria affectione ſive per eſſentiam laborare oſtendit dolor capitis, & præcipuè aggravans, & cum ſomnolentia, ſtupor ſenſus odoratus, aurium tinnitus, quæ in capite frigidos redundare humores teſtantur, unde craſſi vapores generantur ſpiritus cerebri perturbantes, ac inordinato motu concitantes.

Quando igitur vertigo propter ventriculi ac ipſius oris affectionem acceſſerit providendum eſt ven-

ventriculo ut ſupra dictum eſt, & ſi multo humore vitioſo gravatus fuerit [6] hiera picra exhibenda.

Sed quando propter crudos humores in capite redundantes vertigo facta fuerit, citò ad corporis vacuationem feſtinandum; & aut ſanguis detrahendus, aut purgans medicamentum exhibendum; prout conditio ægrotantis ſuaſerit, aut poſtulaverit. deinde verò & apophlegmatiſſimis ac ſternutatorijs utendum. Quod ſi verò etiam ſæpius recurrat neque factis vacuationibus ceſſet [7], cauterium etiam cervici admovere utile fuerit, veluti in comitiali morbo.

Tempore verò acceſſionis cum vertigo moleſta eſt ſi non cito ceſſaverit frictiones, ligaturæ, ſimileſque diverſiones faciendæ, & odore aromatum æger reficiendus, ut cinnamomi, caryophyllorum, &c.

Non eſt autem hæc affectio negligenda. nam ut Hipp. in Coacis; Quibus capitis ſunt dolores & ſonitus aurium [8] citra febrem & vertigo, & vocis tarditas, & manuum torpor, eos aut [9] apoplecticos, aut lethargicos, aut epilepticos fore, expectandum.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Scotomata & Ilinges, congeneres Epilepſiæ ſunt, ex ijſdem cauſis, & circa eadem loca fiunt. ſuperficie tenus tamen inhærent tantum. unde & facilius curatur. In l. Medico. c. de humoribus. Hinc veteres parvam Epilepſiam vocarunt. Cæl. Aurel. c. 2. l. 2. Cronicor.

2. Nihil enim refert τὴν ὄψιν, an, quod videtur, in orbem vertas. 3. Probl. 9. & 2. de cælo. c. 48. & 3. Meteor. c. 3.

3. Quod ſpiritus animalis perturbatus, & cum humoribus confuſus, ineptus fiat ad ſuſcipiendam facul-

cultatem ſenſum,motumque ſuppeditantē. Aphrodiſ. 1. problem. 131.

4. Leviorem Græci ſolum δῖνον vocant. Differt autem hic morbus ſola magnitudine ab epilepſia hic enim perturbantur ibi prorſus impediuntur ſpiritus.

5. Ut in πικροχόλοις. & in ebrijs. 3. Probel. 9. Efferuntur autem vel per arterias quæ circa aures; vel illas quæ interius ad Retiformem adſcendunt plexū. l. 3. de cauſ. ſympt. Gal. Alienus autem hic ſpiritus internum cum humoribus in girum pellit ut ſimile quid fiat ac ſi quis caput in girum vertiſſet; nihil enim intereſt, aut quod movet intus, aut foris ſit. Theophraſt. l. de vertigine.

6. Quod non ſolum pituitoſos ſed & bilioſos humores evacuet.

7. Quoſdam vertiginoſos ac jam convellendos atque ad epilepſiam pronos cauterium liberavit, nec unquam fefellit, inquit Dodon.

8. Nam quæ cum febre fit criſeos per hæmorrhagiam futuræ prænuncia.

9. Si in ventriculos fluat humor.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XIIII, ad Caput XIIII.*

In hac imaginatio eſt primario depravata, viſiva facultas quandoque, à qua ſæpe *Vertigo* ſumit originem.

Differt ab *Epilepſia*, materiâ, & Symptomate. In hac, materia eſt vaporoſa, eaque maligna & atrox. In illa, materia eſt craſſa, turbida, & caliginoſa, & ſenſim fit, & nulla eſt convulſio.

Hic morbus ſenibus familiaris eſt, teſte *Hippocrate 3. aphor. aphor. ultimo : Vertigo mortem comminatur ſæpe, præſertim ſi diuturna ſit.*

DE

# DE APOPLEXIA.

## CAP. XV.

APoplexia [1] eſt ſenſus & motus univerſi corporis privatio [2] ſubitò & derepente ſuperveniens ſervata tamen aliqua ex parte reſpiratione quę tamen difficulter admodum [3] procedit, ex quá periculi magnitudinem intelligimus. quando enim reſpiratio adeo eſt exigua ut nulla eſſe videatur fortiſſima ac vehementiſſima eſt apoplexia [4], ubi verò vel liberior vel minus impedita eſt reſpiratio minus fortis apoplexia habetur quam Hipp. debilem vocat.

*Lect.29. Octob. 28.*

Cauſæ autem apoplexiæ ſunt humores crudi ac pituitoſi, quandoque ſoli, ſed frequenter cum ſanguine [5] permixti, in ventriculos cerebri ſubito incidentes eoſdemque implentes ac obſtruentes, ſic ut nullus aut vix ullus, ſpiritus animalis nervos ſubire queat.

Affligitur autem in hac affectione cerebrum primariò ſive per eſſentiam, & non modo ventriculi ipſius, ſed & [6] ſubſtantia ejus ſuperfluo humore imbuitur, citra autem febrem & humorum putredinem in quo à lethargo differt.

Ceſſante autem apoplexiæ vigore, & excitato utrumque ægroto, facultatibuſque animalibus aliquo modo reparatis, ſuccedit paralyſis ſive reſolutio, vel dimidij corporis, vel alicujus unius [7] partis, ut maxillæ cynico [8] ſpaſmo, vel linguæ, vel vocis inſtrumentorum vel alterius membri, mens etiam in

non-

nonnullis læſa manet, præſertim poſt fortiſſimam apoplexiam.

Fiunt autem apoplexiæ ut Hipp. ait maxime [9] à 40. uſque ad 60. annum. Supervenit verò & non raro ſenioribus ac majorem ætatem habentibus. Sed his potiſſimum ex ſolo pituitoſo humore: illis verò ex pituitoſo humore cum ſanguine permixto. nam ut Gal. apoplexia ſenili ætati familiaris: quoniam in ea cerebrum pituitoſis repletur ſuperfluitatibus.

Quum itaque alicui mediæ ætatis apoplexia ſupervenerit ſive illa fortis, ſive debilis ſit, à ſanguinis miſſione curatio incipienda eſt, quæ etiam repetenda, ſi repletio magna eſt, morbus vehemens, & vires conſtant. [10] Enemata deinde acria injicienda, aut glandes ſimiles ſubjiciendæ; neque ceſſandum ſi fieri potuerit donec æger excitetur; frictionibus & ligaturis etiam adhibitis, alijſque diverſionibus ut cucurbitulis cum ſcarificatione † dorſo admotis.

Senioribus verò & præſertim macilentis non [11] temerè ſanguis detrahendus erit, ſed enemata injicienda vel glandes ſubjiciendæ, diverſioneſque quales jam dictum eſt faciendæ.

Reſtituti aliquo modo ægroti ſive juniores, ſive ſeniores, mox purgandi ſunt ſi vires ferant, medicamentis quæ pituitoſum humorem ſubducant ut ſunt diaphœnic. elect. indum, [12] diaturbith, pill. aureæ, pill. cochiæ, vel ſimiles; vel ex ſena & agarico decocta.

Præmiſſis autem generalibus vacuationibus ad particularia veniendum, ut ſunt apophlegmatiſmi, ſternutatoria, odoramenta, unctiones & ſimilia.

Exhibenda quoque ſunt quæ cerebrum reſiccent

ac roborent: ut confer. majoranæ, conf. florum rosmarini, elect. pleris archonticon, diambra, [13] cubebæ, cardamomum, pæoniæ radix, aut semen; ex quibus cum syr. de stœchade permixtis, conditum efformari potest, ex quo mane jejuno corpore aliquid exhibendum. Prodest veró & ipsum el. plerisarcont. vel diambra si in tabulis formatum sumatur.

*Lect. 30. Octob. 31. Apophlegmatismi.*

Apophlegmatismi fieri poterunt ex radicibus [14] pyretri, rad. pimpinellæ, saxifragæ, thymo, origano, hyssopo, semine erucæ, in aqua decoctis, addita tertia aceti parte, vel ejus loco oxymelite simplici, aut, quod fortius est, oxymelite scyllitico, quo sæpius gargarizandum & os colluendum est. Lac quoque ex amygdalis amaris, aut ex nucleis persicorum cum aqua pulegij factum non inutiliter apophlegmatismi loco usurpabitur nam & pituitam detrahit & linguam expedit frequenter in ore detentum, præsertim erucæ aut sinapeos semine addito. Possunt verò rad. pyretri & solæ manducari vel cum sem. erucæ & cubebis, tritæ in nodulo colligari.

Sternutatoria [15] facienda ex [16] pipere & veratri albi radicibus, quibus addi poterit nonnihil castorei. atque his etiam in ipsa 1. morbi accessione uti licet. ad ipsos videlicet apoplecticos excitandos, sed tamen post purgationem tutissimus horum usus.

Semen [17] melanthij. i. nigellæ per se vel cum majoranæ folijs in nodulo colligatum, sæpiusque naribus admotum, & odoratum, ad cerebrum resiccandum etiam confert.

Quod si verò post sanguinis missionem vel enemata adhibita apoplecticus excitari nequeat & pituita

tuita vel ſola, vel plurima cauſa morbi fuerit, calfacientia etiam capiti opportune admoventur. qualia in curatione lethargi dicta.

Membris autẽ ac partibus exterioribus reſolutis cujuſmodi remedia adhibenda ſint in curatione paralyſeos dicendum. Ad linguæ autem reſolutionem conveniunt gargariſmi jam dicti, tum [18] & venæ rectæ in fronte ſectio, præmiſſis generalibus. Poſſunt verò & circa collum ſuperiores partes proximæ [19] capitis oſſi, inungi oleo aliquo calfaciente, ut de caſtoreo, de euphorbio, coſtino quod deſcribitur à Rhazi nono ad Almanz. quæ ad linguæ expeditionem etiam conducunt.

Victus ratio in apoplexiæ initio [20] tenuis eſſe debet poſtea paulo plenior, ſed attenuans, & ad calidũ & ſiccum inclinans, veluti in curatione comitialis morbi. Ab omni vino toto curationis tempore abſtinendum & ab omni potione inebriante. hydromelite utendum aut [21] apomelito in quo ſi incoctũ fuerit [22] nonnihil ſalviæ vel betonicæ, utilius erit. neque etiam exhibenda eſt aqua vitæ aut aqua lavendulæ, vel cum ipſis compoſita, niſi in valde ſenibus. nam uſu iſtorum humores funduntur & caput magis impletur. In valde tamẽ ſenibus quibus venæſectio aut purgatio non convenit & vires debiles ſunt & univerſum corpus perfrigeratum, convenire poteſt ex aqua [23] lavendulæ vel ſola vel addita aqua vitæ, cum theriaca & mithridatio ac exiguo croci, mixtura; ex qua mane & ante cœnam dimidij cochlearis inſtar exhibendum.

Cæterum ſuperveniens apoplectico febris, ſignum eſt malum: ſignificat enim humorum in cere-

bro putrefactionem quod absque periculo contingere nequit.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Dicitur morbus attonitus. & sideratio quod pars aliqua ferè siderata relinquatur.

2. Una cum principalium actionum læsione. Aëtius. estque, ut idem ait, morbus toto genere acutus.

3. Læsis instrumentis voluntarij motus à quibus & respirationem quodammodo perfici certum.

4. Non interficit Apoplexia, nisi quum respirationem lædit.

5. Apoplexia fit multo sanguine in principium animalis incurrente. Gal. de phlebot. c. 5. Sic Verus Antoninus dum cum fratre in Vehiculo veheretur subito sanguine ictus est casu morbi quem Græci Apoplexin vocant Eutrop. l. 8. & S. Aurel. Victor. Valentinianus dum Quadorum legationi responderet subito effusione sanguinis quæ Græcè Apoplexis vocatur, voce amissa, sensu integer exspiravit. Paul. Diacon. l. 11.

6. Primum oportet ut sint humores in substantia cerebri ex qua in ventriculos subito influant. Vide Pallad. 6. sect. 6. epid. com. 7.

7. Quando materia non est copiosa.

8. Non est convulsio, sed est resolutio. unde oppositus musculus ad principium suum retrahitur. Quod in nobili fœmina clarissimè advertimus ex eo quod qui oculum claudit musculo, uno cum alijs faciei resoluto palpebras arcte conducere non posset.

9. Quod humoribus maximè tunc abundantibus, dominari calor nativus non amplius potest, utpote qui jam declinare incipiat. Videtur autem Gal. in comm. hujus aph. sui oblitus referre ad melancholiam quũ alibi semper pituitam causam ejus statuat.

10. Detractio fiat è dextra manu & copia ejus qui detra-

detrahitur, dividatur. commovere enim oportet, non exolvere vires, & calorem extinguere.

† Vel pedibus, ut in Iohanne Imperatore Constantinopol. factum narrat Georg. Logothet. Scarificationibus autem inditum Epholbion (fortè ἐφόλκιον vel εὐφόρβιον) addit. ut major fieret attractio.

11. Obstat temperamentum & virium debilitas.

12. Quod valde commodum præsertim si in pulvere dari posset.

13. Quæ singularia in affectibus capitis.

14. Utebantur veteres etiam rad. staphidis agriæ qua abstinemus quod strangulationem afferat.

15. Quod educant humores & excitent ægros.

16. Struthio seu condysi utebantur olim, nunc incognitum est.

17. Sic cuidam cui sensus odoratus perierat ex humorum decubitu ad nervos odoratus sensum restitutum memini melanthij odore.

18. Quod fortuito fuit observatũ. etenim quandam mihi cognatam ex apoplexia balbutientem curabam quam delapsam per gradus quum ex vulnere frontis vena rupta multus sanguis effluxisset post expeditè loqui animadvertit. R. Dodon.

19. Quod 7. par nervorum ibi ex calvaria excidat quod linguam & labia movet.

20. Quod morbus acutus, & quod fames morbum humidum juvare poterit, siccando.

21. Pro quo exymelite uti nil prohibet.

22. Tantum quantum additum saporem non reddit ingratum.

23. ℞ Mithridatij, & theriacæ veteris ana ℈ I. croci g. 5. aquæ lavendulæ ℥ ij. vel aquæ laven. & aquæ vitæ ana ℥ I.

# NICOL. FONTANI.

## *Annotatio XV, ad Caput XV.*

In *Apoplexia* aliquando ſervatur reſpiratio, aliquando non: & inde ortæ ſunt differentiæ Apoplexiæ à *Galeno, traditæ, 2.lib. aph.com.42.*

[*à ſanguinis miſſione curatio incipienda*] Fiat ſemper copioſa ſanguinis miſſio, & magna ſolutio, ne ſanguis tenuis, relicto craſſo, effluat.

Ego ſequor doctrinam *Galeni* ſemper ſecando Cephalicam; & merito, quia hac ratione ex loco affecto, cito, & multum vacuo.

Secundo averto à capite mali originem acribus Clyſteribus pituitam vacuantibus, ut

℞ Salviæ,
Roſmarini,
Rutæ,
Centaurei Minoris, ana, M.j.
Furfuris ping.
Summit. Anethi, ana. M. S.

Coquantur ex ſ. q. aquæ mulſæ ad ℥ ix. Col. fort. expreſſæ admiſce,

El. Hieræ Logodionis ℥j.
Benedictæ lax. ℥ S.
Maſſæ pil. Cocchiarum,
pil. fætidarum, ana ʒ S.
Olei Rutacei, ℥ ij.
Salis gemmæ, ʒij.
Et fiat Clyſter.

Cur fortiter ſtertit in hac æger? quia adeſt major malitia morbi, ſcilicet major obſtructio.

Cur non facile curatur & perfecte? Quia multa & craſſa ejus eſt materia, & virtutes debiles ſunt ad eam expellendam.

Cur cito interficit? propter ſubitam caloris ſuffocatio-

cationem. Cum ſtupor & tremor eandem cauſam habeant ijſdem medicamentis ſanantur, quorum ſeriem doctè noſter auctor propoſuit capite de Apoplexia, & Paralyſi.

# DE PARALYSI.

## CAP. XVI.

*Lect. 31: Nov. 1.*

PAralyſis eſt potentiæ voluntariæ motus privatio & quandoque ſimul ſenſus tactus. & talis quidem paralyſis exquiſitiſſima & difficillima, ſed rarò accidens. frequentius ſiquidem non niſi voluntarij motus deperditur.

Contingit autem reſolvi quandoque dimidiam corporis partem, ut in hemiplexia; alias inferiorem: aliquando unam ſolam partem, veluti manum, pedem, veſicam, anum &c. [1] Cauſæ autem reſolutionis duplices ſunt, quædam externæ ſive procatarcticæ, aliæ antecedentes ſive internæ.

Externæ cauſæ ſunt, ut fortis alicujus membri ligatura, diuturna, fortis, præſertim primis annis, quando corpus adhuc incrementum ſumit. item nervi aut principij ejus attritio, contuſio, vulneratio, præciſio, durities; refrigeratio, [3] vel veterebræ [4] alicujus luxatio. Inferiorés cauſæ ſunt humores; nervorum principium, aut ipſos nervos nimia [5] humiditate imbuentes atque relaxantes, & ſubinde quoque obſtruentes; tunc videlicet quando ſenſus tactus abolitus eſt. humores autem qui nervos ipſos humectant, pituitoſi & tenues ſunt: vel tenuis & pituitoſus ſanguis [6].

 Succe-

Succedit autem paralyſis quæ non ab externa cauſa accidit frequentiſſimè apoplexiæ. Contingit verò & quandoque citra interiorum ſenſuum & facultatum principum offenſa, nulliuſque partis quæ ad faciem & caput pertinent actione amiſſa, ſervata etiam reſpiratione, omnes tamen partes inferiores reſolvi. Fit verò & paralyſis critica quadam permutatione ex alio morbo, & frequentius per colicum dolorem.

Sunt [7] verò & qui diuturnis febribus & uteri ſuffocationi nervorum reſolutionem quandoque ſuccedere affirment.

Quando igitur propter cauſam aliquam externam aliqua corporis pars reſoluta fuerit parti primario læſa & affecta eſt, & unde reſolutarum partium nervi dimittuntur, præmiſſis generalibus ſi opus fuerit, topica erunt remedia adhibenda, ut Gal. 1. de loc. affect. docet, modo talis ſit affectus, qui curationis ſpem admittat. nam ex cauſis externis quædam reſolutiones omnino ſunt incurabiles, ut à præciſione nervi [8]. & ſæpè [9] etiam à vertebrarum luxatione.

Reſolutis autem ab apoplexia partibus factis univerſalibus, obſervata victus idonea ratione, non prætermiſſis his quæ cerebrum reſiccant ac roborant, localia erunt adhibenda remedia. ut ſunt olea, unguenta, & adipes nervos calfacientia, reſiccantia, ac confortantia. veluti oleum lumbricorum, ol. vulpinum, ol. terebinthinæ, & quæ his fortiora ac potentiora ſunt ol. de caſtoreo, ol. de euphorbio, ol. coſtinum Rhazis, ol. laurinum, ol. juniperinum, ol. [10] benedictum. quibus addi poſſunt adipes vel leonis, vel urſi, vel taxi.

Poſſunt

Possunt verò & ex ijsdem & ungventa componi storace, vel myrrha vel, castoreo, vel euphorbio, vel pipere, vel aliquot horum simul cum cera additis. Vngendæ autem sunt istis unguentis & oleis calentibus partium resolutarum juncturæ [11], & dorsi spina quæ spinalem medullam continet unde nervi oriuntur. & initio quidem levioribus utendum postea ad fortiora veniendum.

*Lect.22. Nov.3.*

Quando autem membra corporis subito resolvuntur nulla præcedente externa causa principibus facultatibus non læsis, neque ulla circa caput aut faciem parte resolura, servata etiam respiratione ab humoribus ex capite in spinalis medullæ principium defluentibus affectionis origo est.

In hac affectione vacuatio mox facienda est. vena secanda est, si sanguinis redundantis adsint indicia. deinde purgans exhibendum erit quod solum satis erit, non redundante sanguine. modo tale sit quod pituitosos expurget humores. qualia in apoplexia curatione dicta sunt.

Post vacuationes factas ungenda, [12] si opus fuerit dorsi spina aliquo supradictorum oleorum observata victus ratione, & exhibitis caput roborantibus remed ijs ut in apoplexia.

Quod si verò pertinacior & istis remedijs curari nequeat [13] (veluti dum non solum motus voluntarius amissus, sed & simul tactus sensifica vis abolita est) tunc enim pluribus erit remedijs utendum. Balneum parandum erit ex rosmarino, lauri folijs, serpillo, origano, betonica, calamintha, pulegio, salvia, thymo, majorana, hyperico, floribus chamæ-

 meli,

meli, floribus ſtœchados, &c. addito etiam [14] ebulo & ſeminibus calfacientibus ut ſemine aniſi, ſem. ſeſeleos, ſem. cumini & ſimilibus, quæ in aqua decoquenda ſunt [15] ad dimidiæ, aut ad minus 3 partis aquæ conſumptionem, quæ deinde calens in vaſe fundenda. in quo patiens jejunus ita ſedere debet diligenter contectus ut aquam decoctam non contingat, ſed vaporem ejus tantummodo recipiat, in quo aliquo tempore permanere debet. Vbi verò ſatis [16] corpus incaluerit & ſudaverit in lecto collocandus erit ac diligenter contegendus, exhibita vel theriace vel mithridatio, vel aurea Alexandrina, vel confectione Anacardina ʒ vel ℈ duorum pondere. Poſtea ubi æger requieverit oleis aut unguentis ungendus erit. Non ſemel autem hujuſcemodi balneo utendum, ſed ſæpius & bis vel ter in hebdomade æger in balneum mittendus erit, habita virium ratione.

Quod ſi verò nec iſtis balneis paralyticus ſanari queat, confugiendum ad naturalia balnea calida & ſulphurea, ut ſunt Aquiſgrani. adhibitis cautionibus quæ talia balnea poſtulant.

In Cynico [17] ſpaſmo factis generalibus in apoplexiæ curatione fricare cervicem & partem reſolutam initio expediens eſt. Admovenda deinde ſunt fomenta calida ex ſalvia, majorana, floribus ſtœchados, chamæmeli & ſimilibus in ſacculo conſutis. Poſtea cervicis vertebræ, & pars reſoluta oleis ſupra-dictis ungendæ [18].

Veſicæ verò muſculis reſolutis & urina præter [19] voluntatem effluente admovenda erunt topica remedia pubi, imo ventri, & regioni quæ inter anum & ſcro-

& ſcrotum. Paulus etiam olea in anum infundi jubet qualia ſupra dicta.

Cole autem ſive pene reſoluto & ijſdem partibus tum & lumbis remedia adhibenda.

Recto autem inteſtino reſoluto,& fecibus præter voluntatem excidentibus fovendus erit anus decocto calfacientium ſimul & aſtringentium, ut ex herbis ſupra dictis & gallis, nucibns cupreſſi, glandium calicibus, ſemine myrti,roſis rubris, balauſtijs & ſimilibus aſtringentibus. Oleum verò maſticinum vel myrtinum etiam alijs admiſcendum, quibus anus foris inungendus,immiſſis etiam in ipſum inteſtinum per ſyringem hujuſmodi oleis.

Qui ex permutatione colici doloris reſolutas habent manus [10] & brachia facile & ſubinde abſque remedijs curantur. modo ceſſet cauſa colici doloris, neque opus [21] habent purgantibus medicamentis. à vino [22] etiam abſtinere non debent, bona victus ratio ſervanda. Partes reſolutæ ungventis & oleis ungendæ.

Proſunt verò & his balnea naturalia ſulphurea.

Similis curatio adhiberi debet ijs qui ex permutatione aliorum morborum reſoluti ſunt.

Qui autem ex tractatione argenti vivi [23], plumbi & aliorum [24] metallorum paralytici facti ſunt difficile curantur. balnea & unctiones ipſis conveniunt. purgantibus med. non adjuvantur; idcirco nec ipſis danda, niſi corpore repleto & ante balneorum uſum,& ea quidem admodum levia.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Cæl. Aurelian. etiam interiorum singula paralysi vitiari credibile putat pulmonem, cor, diaphragma, lienem, hepar. & Herophilum ex cordis paralysi repentinam mortem, nulla ex causa manifesta fieri credidisse refert l. 2. At emissus harum partium sensus repentè haud perimit. Cordis motus animalis non est. Diaphragmatis tantum suffocare posset.

2. Ut in puero in quo à sagitta cervicis nervus læsus erat. unde stupor in crure, cum atrophia, & incrementi privatione. Vide Niceph. Greg. comm. in Synes. de insomnijs.

3. Ut à plumbo, argento vivo aut alijs metallis.

4 Luxatio ex casu, ictu vel tumore fit. casus aut ictus si magnus sit resolutionem inferiorum omniũ inducit. Sed à tumore ut in gibbosis paralysis non fit quod sensim fiat, & proximæ vertebræ una quodammodo cedunt.

5. Aëtius Sanguis, detrahendus verũ moderate, ne refrigerentur, frigiditas enim cum siccitate morbi causa. i. ut ante dixit, frig. crassi ac viscosi humores.

6. Bilis licet tenuis tamen quum omnes partes resiccet quas attingit paralysin non efficit quod vult Fernelius, sed potius convulsionem induceret, atque in hoc accedo. Ronde.

7. Gordonius. Nos Uteri suffocationib. frequenter tentatam, apoplecticam demum mori vidimus. Terminari autẽ solebant hujus suffocationes in cataphoram; quod cerebrum utero συμπάσχειν ostendebat.

8. Imò difficilis etiam curatio si vel à duritie nervi solum fiat.

9. Si diuturna fuerit luxatio, quod si ab egressu nervorum vitium fuerit illæ tantum resolvuntur ad quas partes illæ dimittuntur.

10. Seu de lateribus.

11. Quod ibi à musculis liberi quodammodo nervi, quodque etiam ligamenta ibi sunt quæ una afficiuntur.
12. Quia sola purgatione multi curantur.
13. Rarum.
14. Quod tenuium sit partium & exsiccet.
15. Ut tota facultas herbarum in aquam transferatur. nam actuali humiditate magis noceret.
16. Quia tunc facilius ad nervos penetrat vis medicamenti omnibus poris apertis.
17. Non fit sine mentis aliqua perturbatione, ac sola resolutio est in quam apoplexia debilis desinit, ut fortis in hemiplegiam.
18. Vel insuper etiam empl. similis facultatis imponenda. quibus aliquam euphorbij partem addi quandoque necessarium est.
19. Sine dolore. Contingit ex sola refrigeratione ferè in senibus nec opus vacuationibus terminatur autem lentè.
20. Quod Langius male per sextum par nervorum quod ad ventriculum pervenit fieri. id enim ad manus non pertingit, sed 6. par quod è vertebris oritur. numero forte deceptus.
21. Quod non sint humores in causa, sed debilitas partium.
22. Quum colicus dolor vinum requirit.
23. Quorum talis est affinitas ut plumbum impositũ argento vivo liquescat & simile ei fiat. dolus agnoscitur quod hoc evanescat igne, plumbũ minimè.
24. Difficulter curantur quod spiritus metallorum tenuissimus musculis impressus nõ extrahatur facile

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XVI, ad Caput XVI.*

*Paralysis* duplex est, universalis, & particularis, Universalis, quæ occupat dimidiam corporis partem-

tem, ſecundum longitudinem, ſcilicet à capite ad pedes uſque, & eſt morbus in cerebro, aut in principio ſpinalis medullæ.

Particularis, quæ in uno menbro veluti in manu, pede, veſica, ano (ut ait Auctor) eſt.

Ad Cynicum Spaſmum hoc utere linimento.

℞ Olei Laurini,
Vulpini, ana, ℥ ij.
Axungiæ urſi,
Ungventi Merciaton, ana ℥.S.
M. f. Linimentum.

Vel. ℞ Olei de Euphorbio ℥ ij.
Olei Rutæ, ℥ j.
Pulv. Caſtorei.
Pyrethri,
Trionpipereon, ana ʒ j.

Ebulliant leviter in præſcriptis oleis, & Unguentis, & detur colatura ad omnes paralyſis affectus.

Interdum ſupercilia oculi, & labia reſolvuntur, ſed raro, quæ eodem curantur linimento.

[*Cole ſive pene reſoluto*] penis ex varijs cauſis reſolvitur, hic curatur oleo, & decocto Guajaci, & radicum Chinæ.

[*Recto autem inteſtino reſoluto*] addo veſicæ reſolutionem, quæ quandoquidem ex eadem cauſa ſcaturit nempe Sphinctere reſoluto, ambo ſimili modo curantur.

In his venæ ſectio inutilis, niſi corpus eſſet juvenile & valde plethoricum.

Vomitus utilis, ſic & cucurbitulæ extremo oſſis ſacri hinc inde admotæ.

Fomentum hoc eſt optimum.

℞ Rad. Tormentillæ,
Rad. Symphiti majoris,
Nucis Cupreſſæ, ana, ʒ vj.
Foliorum. Verbaſci,
Abſynthy,
Roſarum Rub.

Roſ-

Rosmarini,
Stæchados, ana. M. j.

Coquantur ex vino rubro stiptico usque ad libram unam, ex quo fomento hæ partes foveantur.

Si forte anus procidat, validiora astringentia sunt præscribenda, quibus utendum erit post alvi dejectionem, & non ante.

## DE STUPORE.

### CAP. XVII.

STupor sive torpor est imminutio [1] sensus & motus in partibus sensu præditis. non enim in omnibus contingit, sed in ijs tantum membris quæ suos affectus sentire queunt & pro arbitrij voluntate moveri [2]. Neque etiam sentiendi vis omnino amittitur, sed sensus obscurus fit & hebes, & motus redditur difficilis, mediam autem quandam inter paralysin & sanitatum dispositionem torporem esse Gal. ait, & viam quandam ad paralysin.

Causæ autem torporis sive stuporis quædam externæ, aliæ internæ. Externæ sunt frigus & compressio nervosorum corporum. item & marinæ torpedinis viventis contactus, & narcoticorum applicatio, & usus. Internæ sunt crassi & frigidi humores, vel [3] consuetæ alicujus vacuationis suppressio.

Torpore autem quando cerebrum laborat si non ab externa causa vel propter narcoticorum usum acciderit, successuram vel apoplexiam, vel carum, vel catochum, aut lethargum significat, nisi sibi in tempore æger providerit.

Torpor qui ab externa causa factus est solvitur frica-

fricationibus & calidorum adhibitione. ſed qui ab humore redundante natus eſt, vacuationem poſtulat,quæ inſtituenda veluti in apoplexia & paralyſi dictum ſervata ſimili victus ratione.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Ideoque ejuſdem cum Paralyſi ſpeciei quidem, ſecundum verò magis & minus ab illa differt.

2. Privatio enim præſupponit habitum. Oſſa ſtuporem non patiuntur(dentibus fortè exceptis)quod ſenſum, motumque qui imminui poſſit à natura non habeant.

3. Quod idem. nam ſi ſupprimatur bilioſa vacuatio non fiet torpor. Atque hæc quidem congeſtionis cauſa. Generationis autem talium humorum vita deſes, efficiens: cibi verò craſſi, & lenti, materialis cauſa exiſtit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XVII, ad Caput XVII.*

Hâc de cauſa, *Taranta lib.11. cap. de ſtupore*, inquit Stupor eſt obdormitatio cum aliqua inſenſibilitate, cujus cauſa externa,eſt ventus frigidus,compreſſio, fortis ligatura,torpedo piſcis, morſus animalis venenoſi,& nimia mora in balneo.

Interna cauſa eſt paucitas ſpirituum,& innati caloris, ſiccitas magna nervos corrugans,& conſtringens ab humoribus craſſis,& viſcoſis.

Via eſt ad paralyſin.

# DE CONVULSIONE.

## CAP. XVIII.

*Lect. 34. Nov. 7.*

CONvulſio eſt affectio per quam voluntarij motus inſtrumenta ad principiũ ſuum contra voluntatẽ & cum dolore ttahuntur. Accidit autem vel propter repletionem inſtrumentorum, vel propter eorundem inanitionem & ſiccitatem. adeſt & tertia cauſa mordicatio ab aliquâ qualitate acri.

Convellitur autem quandoque univerſum corpus, ut in epilepſia quando cerebrum laborat, quandoque verò quædam ſolummodo partes. Inter convulſionum genera & ea eſt quam rigorem nervorũ Celſus vocat, ejus 3. ſunt ſpecies: modo enim caput ad ſcapulas, trahitur, modo mentum pectori annectitur, modo recta & immobilis cervix intenditur, ſic ut nec antrorſum, nec retrorſũ flecti queat. priorem affectionem ὀπισθότονον, alteram ἐμπροσθότονον, tertiam τέτανον Græci appellant. Acutus autem morbus tetanus eſt. nam, ut Hipp. ait, Quicunque à tetano corripiuntur in 4. diebus pereunt: ſi verò has effugerint ſani fiunt.

Ab inanitione autem fit convulſio quæ ſequitur vacuationes immoderatas, ut vomitus aut purgationes vehementes, [2] alvi fluores ſpontaneos modum excedentes, ſanguinis profluvia immoderata ſive per [3] vulnus ſive alio modo, ſudores copioſos. Item & illæ quæ ſuccedunt vigilijs diuturnis, fami ac inediæ, & continuis laboribus. hæc enim omnia

nervos & voluntarij motus instrumenta ficciora reddunt & contrahi faciunt.

A qualitate autem acri fiunt [4] convulsiones quando vaporosus aliquis spiritus acrimoniam habens, vel venenosa aura, cerebrum & nervos infestat, ut fit à morsu phalangiorum, & canis rabidi, vel aliorum similium. Tales autem convulsiones non sunt constantes, [5] nec membra rigida permanent, sed per exigua intervalla, veluti quiete aliqua intermedia, assiduè molestantur, quales in febribus ardentibus & phreniticis [6] frequenter accidunt.

Acres æruginosi humores os ventriculi infestantes hujusmodi convulsiones etiam inducunt, ut Gal. testatur.

Quando verò à nulla tali causa sano alicui subito & derepente convulsio supervenit, ob repletionem hanc fieri necessarium est.

Replentur autem ac distenduntur nervi aliquando à vaporoso spiritu frigido, sed hinc facta convulsio non est perpetua & confestim solvitur: veluti in comitiali morbo & convulsione ab utero. sed quæ subito quidem quoque invadit non citò autem & confestim solvitur, ex humore fit nervorum meatus obstruente qui crassus ac viscidus est.

Contingit verò & nonnunquam propter inflammationem [7] alicujus partis nervosæ convulsionem fieri, quando videlicet in nervorum principio, aut prope admodum constiterit. [8] Hipp. autem etiam frigidum convulsiones facere scriptum reliquit.

Facta igitur convulsione ab inanitione laborandum est ut cessent causæ: corpus verò etiam mox humidis & idoneis quæ citò & facile nutriant alimen-

mentis, reficiendum, ut sunt sorbitiones ex jusculis caponum vel aliarum similium carnium. item & sorbitiones ex carnibus contusis caponum, gallinarum, perdicum, aut similium, cum amygdalis dulcibus quibus placent, vel cum nucleis nucum pinearum, cum earundem carnium jure apparatæ. nisi obstet [9] alvus fluida. quandiu enim illa liquida permanet à carnium jure abstinendum & illius loco aqua simplici ad sorbitiones faciendas utendum. Prosunt verò etiam ova sorbilia atque ex his cum vino factæ sorbitiones. Vina etiam dulcia utilia sunt. cito. n. vires & humidum reparant. Sic & cerevisiæ potentes modo non sint acidæ, nec inutile hydromeli est.

Partes verò convulsæ ungendæ sunt vel oleo amygdalarum dulcium, vel pinguedine porci, vel butyro insulso, vel simili aliquo. fovere verò & easdem convenit vel decocto malvæ, bismalvæ, sem. lini, additis floribus chamæmeli, vel cerevisia crassa recenti adhuc [10] calente priusquam lupulus incoctus fuerit. Vel jure [11] omasorum & pedum boûm. Balnea verò aquæ dulcis etiam utilia sunt addita si placet malva aut bismalva. Extrema autem sive calor sive frigus [12] vitanda sunt. nec est ab his remedijs cessandum nam ab inanitione convulsiones periculum minantur, & lethales eas non uno loco Hipp. pronuntiavit.

Quod si verò ab acri aliquo convulsio orta fuerit, aut à venenosa aura veluti à morsu phalangij vel [13] canis rabidi curatio adhibenda, qualem affectus postulat quem comitatur. In febribus autem ardentibus, & morbis acutis hujuscemodi convulsiones

pro lethalibus & pernitiosis signis habentur.

Si verò propter æruginosam bilem in ventriculo hærentem convulsio fiat mox vomitione expurganda erit, quæ aqua tepida sola, vel cum addito oxymelite, provocari poterit.

Ex plenitudine convulsione facta (si non ex vaporoso spiritu) mox corpus vacuandum est, & præcipuè purgante medicamento, quod crassam pituitam expurgat, qualia [14] dicta sunt in curatione Apoplexiæ. neque expectanda est, aut præmittenda est humorum præparatio aut concoctio, propter morbi violentiam.

Venæ sectio, si [15] sanguis cum frig. humoribus redundare videatur poterit initiò admitti.

Post purgationem ad particularia veniendũ qualia sunt unctiones & balnea, veluti in paralysi ex humorum in spinal. medull. defluxione facta, adhibita simili victus ratione, attenuante, & calida.

Balnea sulphurea in hujuscemodi convulsione etiam prodesse possunt.

Si verò convulsio fiat propter inflammationem principij nervorum aut partium vicinarum, sanguine ex opposita parte detracto, curatio adhibenda est qualem inflammatio requirit.

Sic & convulsiones à vaporoso spiritu veluti in epilepsia, vel ex utero; non aliam requirunt, quam affectiones quas comitantur, curationem.

Si tamen aliquod membrum sæpius ex aliqua [16] occasione hujuscemodi convulsione corripiatur, humores etiam frigidi erunt expurgandi, sicuti in convulsione à repletione, servata eadem victus ratione.

A fri-

A frigore nata convulſio calfacientibus curari debet.

Sic & qui convulſione aut tetano detinentur ſuperveniente febre liberantur. 17 aph.57.lib.4.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Tetanum ſemel vidiſſe ſe, reliquas ſpecies nunquam. R. Dod. narrabat. Opiſtotono ſæpiſſime recurrente laborantem puellam 12. annorum vidimus quam incantationibus læſam adſtantes credebant. dorſi enim ſpina in arcum veluti convulſa ſupra ventrem prona in lectulo ſuo volvebatur. ac muſculi faciei contracti riſum mentiebantur Læviorem aliquoties obſervavimus.

2. Magis convulſiones ſequuntur ſpontaneos fluores, præſertim in cholera, quam arte factos. Ex uſu autem hellebori albi reſolutiones fiunt ob malignitatem ejus.

3. Vulnus convulſionem infert vel ratione vacuationis, vel ratione inflammationis ex vulnere natæ.

4. Vocant hanc convulſionem per conſenſum: vel etiam convulſionem non proportionatam ad materiam morbi.

5. Convulſivi potius motus, quam convulſiones ſunt.

6. In morbillis etiam, ſeu Variolis, quum nondũ ad cutem prorupere ſæviſſimas convulſiones aliquando vidimus, quæ tamẽ materia peccante ad circumferentiam habitus expulſa ſtatim deſinunt.

7. Gal. de ſympt. cauſis lib.2. cap.2. ad repletionem refert.

8. Convulſiones, tetani, palpitationes, torpores, reſolutiones, comitiales morbi, attoniti, frigiditatis ſunt vincentis effectus. Gal. de palp. trem. rigore, &c.

9. Ut in cholera. Omnia enim jurulenta movent

alvum. jus Gallinarum astringere dicit Gal. quod minus moveat quā jus galli veteris, sed tamē movet.

10. In qua non fuerint incoctæ herbæ. quod apud quosdam fit.

11. In enemate ad colicos dolores juvat, impotentes ob duritiem nervorum ex vulnere vel alias restituit, ac ad multa utile est.

12. Quia valde lædunt nervos.

13. Si possit inveniri remed, erit quod conveniat hydrophobiæ antequam convulsio jam supervenit ex morsu canis.

14. Ut pilulis cochijs,

15. Potius tamen utendum purgatione.

16. Ut ex flatu, quod tamen ex frigido humore elevatur, ideoque purgandus ille homo.

17. Sic juvencula quædam gravida, ex utero in comitialem morbum, atque ex eo in convulsionem incidit, superveniente verò febre continua, quæ post in intermittentem mutata est, ac tandem desijt, liberata fuit. Verum puellam novi 6. annorum quæ in rigore convellebatur, accedente calore restituebatur, eaque ratione per febrem liberata aliquo modo dici potuit. R. Dodon.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XVIII, ad Caput XVIII.*

Id probat *Avicenna Fen.2.lib.3.cap.5.* quo inquit: *Spasmus est ægritudo nervosa, qua moventer Lacerti ad principia sua.*

Convulsio ex siccitate, est pene insanabilis, juxta illud 12.*Meth.* & 5. *Aphor.1.* & 5.*aph.70.* *Convulsio ex evacuatione acutissima, & pernitiosissima, sed ex repletione sanabilis, 2. Aphor. 26. & 5.Aphor.1.*

Spasmo autem subito evenienti eadem præparanda est cura, quam in paralysi conferre, dixi.

In

In eo tamen fricatione manuum, & inunctione ex oleo Costino plus utor.

[*Poterit admitti in initio sanguinis missio*] Ita tamen exercitatur ut non evacues quantum postulat morbus, quia, aliquid omittendum est propter symptoma, nempe dolorem, qui ob vigilias, & sudorem vires dejicit; ita monuit *Galenus* 1. *ad Glauconem, cap.* 14. in initio.

# DE TREMORE.

## CAP. XIX.

*Lect.* 36: *Nov.* 10.

TRemor depravatus, est motus sursum deorsumque qui fit partim à facultate motiva elevante, & partim à gravitate ipsius membri deorsum trahente. Differt à rigore quod tremor non fiat nisi quum quis membrum voluerit [2] movere: rigor verò citra voluntatem & nolentibus nobis superveniat.

Fit autem tremor propter imbecillitatem facultatis motivæ nequeuntis membrum sic elevare quin pondere suo rursus decidat, ac deorsum trahatur.

Causæ imbecillitatis facultatis motivæ complures sunt ut nimia refrigeratio instrumentorum voluntario motui deservientium, frigidæ aquæ intempestiva potatio, ebrietas [3] & multa vini ingurgitatio præsertim quotidiana ac frequens, non rarò etiam nimius timor, item morbus aliquis gravis qui præcessit, vel præsens ut in cardiacis ac stomachicis, abstinentia nimia, vel alimenti defectus, nimia vacuatio, Veneris immoderatus usus, fluxus sanguinis

immodicus. jam & virtutis per ætatem exolutio ut in ſenibus. Quandoque verò cruditas & 4 humorum viſcidorum crudorumque copia vires veluti pondere aggravans & ad officium inutiles reddens tremoris cauſa exiſtit.

Orto igitur tremore à cauſa externa ut à frigore partes calfaciendæ ſunt. Frequens ebrietas & frequens vini potatio abſtinentiam requirunt. Timor excutiendus eſt.

Qui verò ex morbo convaleſcentes, vel propter nimiam abſtinentiam, vel alimenti inopiam, vel excedentem vacuationem, aut impottunum Veneris uſum, aut propter ſanguinis immodicam vacuationem tremore correpti ſunt: omnes alimentis & optimis cibis citò ac facile nutrientibus reficiendi ſunt veluti in convulſione ab inanitione facta. Eodem modo & ſenes tractandi ſunt quibus ovorum recentium ſorbilium ac vini potentis ac dulcis uſus multum conducit.

Tremor 5 verò qui præſentem cordis aut ventriculi affectũ comitatur non aliam quam ipſius morbi curationem requirit.

Sed ſi ex copia craſſorum viſcidorùmque humorum tremor contigerit humores attenuandi, incidendi præparandique ſunt & deinde expurgandi; veluti in curatione febris quotidianæ & dolore capitis ab humore pituitoſo, faciendum. In hoc caſu convenit quoque poſt purgationem uti compoſ. caput ac nervos calfacientibus & roborantibus, ut ſunt Aurea Alexand. Conf. Anacardina vel rad. acori aut zinziberis conditæ, laudatur & elect. diacaſtor. Nicolai.

Partes

Partes debiles ac trementes ungendæ ſunt oleis ut vulpino, lumbricorum, coſtino vel ſimili.

Victus rationem cal. & ſiccam obſervare eos convenit, qui ex cruditate laborant: Reliquos verò talem qualis ante dicta eſt; quos & ab acidis & acetoſis abſtinere convenit & frigidum omnino vitare.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Niſi imminutum dicere malueris. quam enim ſtupor ad ἀναισθησίαν, eandem tremor ad ἀκινησίαν proportionem habere videtur.

2. Vel immotum ſervare. ad hoc enim motus requiritur tonicus, qui tremorem magis quam ille per quē pars de loco in locum movetur, prodere ſolet.

3. Quia vinum crudos humores ſecum rapit ad hepar qui non poſſunt concoqui ab hepate, unde cruditates multæ fiunt. Inter præmia ebrietatis Plin. recenſet, & Tremulas manus. l. 14. c. 22.

4. Quod colligitur ſi non præceſſerint aliæ cauſæ.

5. Omnia aut ſaltem pleraque quæ habet Ægineta in cap. de tremore ſunt remedia rigoris.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XIX, ad Caput XIX.*

Cauſatur ex inanitione, alio modo ex defectu caloris, & ſpiritibus, ut in convaleſcentibus & in Hecticis: quia natura non poteſt, pro ut debebat, regere membrum, ſed quantum elevat natura, tantum deprimit morbus.

Sic & ex repletione, & ex materiâ phlegmaticâ imbibitâ in poroſitatibus nervorum.

Nec non ex obſtructione ſine humoris vitio, ſicut ſtupor.

Quare caput tremori plus ſubjectum eſt cæteris membris? Quia magis humidum & frigidum inter cætera eſt membra.

Curatur tremor à pituitoſis humoribus ſubortus, ijſdem remedijs, quibus paralyſis. Sed præcipue juvant duo, nempe decoctum Ebeni, & Balneum naturale, ante omnia ſulphureum.

# DE PALPITATIONE.

## CAP. XX.

*Lect. 73. Nov. 11.*

PAlpitio eſt alicujus partis præter naturam velox dilatatio & contractio ſive elevatio & depreſſio. Differt à tremore quod hic quidem non accidit niſi quum membra voluntariè moventur: palpitatio verò etiam in partibus jacentibus & non motis contingit.

Contingit autem hanc fieri in palpebra, ſupercilio, muſculo temporali, & in alijs corporis 1 muſculis & ſubinde ſub ipſa cute Iam & partes quæ tremunt non dilatantur aut contrahuntur.

Cauſa palpitationis eſt 2 craſſus vapor & pro captu ſpatij multus, difflatu carens, à frigido craſſoque humore procreatus, ad cujus generationem conferunt natura corporis frigidior, otioſa vita, ſatietas, tremulentia, cibi frigidi ac flatuoſi, & non rarò aëris conſtitutio frigida.

Curatio palpitationis fit partim per ea quæ frigidos

gidos humores attenuant, partim per ea quæ cutim rarefaciunt, partim per flatus diſcutientia.

Attenuantia ſunt ut lavandula, thymus, origanum, majorana, pulegium & ſimiles. Inter rarefacientia flores chamæmeli primatum tenent. Flatus diſcutiunt ſem. cumini, anethi, ſeſeleos, & ſimilia.

Ex horum aliquot ſacculus impleri poterit, quo calente fŏvendæ ſunt ¹partes palpitantes. Proſunt verò & cucurbitulæ parti palpitanti aut vicinæ ſine ſcarificatione admotæ. Olea ³ & inunctiones exiguum vel nihil proſunt; Poros & meatus cutis facile occludunt, quos refert apertos & patentes eſſe. Victus ratio ſervanda qualis in alijs frigidioribus morbis. Frequentes autem palpitationes ⁴ periculum minantur vel apoplexiæ, vel comitialis morbi, vel etiam convulſionis, authore Avicenna.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Vt in ſura, in brachio.
2. Alioqui citò evaporaret.
3. Communia. nam chymyca ſubtilia ſunt. Multi præterea ut quibus pori exigui, non ferunt unctiones oleorum.
4. Sic quandoque duos obſervavi ex palpitatione in apoplexiam incidiſſe. R. Dodon.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XX, ad Caput XX.*

*Palpitatio*, in multis membris fit, pedibus, manibus, thorace, ventriculo, collo, ſed auctores præcipuum

capur

caput fecerunt de Palpitatione cordis, quando ipsum veloci motu, & præter naturam distenditur, & contrahitur.

Causa est crassus, & nebulosus vapor quem cum discutere nativus partis calor conetur, palpitationem creat.

Huic malo vaporosus sanguis cum præstet occasionem, & hic à crasso mucosoque humore oriatur, vacuandus phlegmagogis, flatus discutientibus, carminantibus medicamentis, factis per balnea, lavacra, evaporationes, fomenta, unguenta, quorum copiam late describunt auctores capite de Colico dolore.

Diæta sit extenuans & exiccans.

Sudorifica facta ex Guajaco, & china utilia sunt: quoniam roborant, liquant humorem lentum, & flatus absumunt.

# DE OPHTHALMIA.

## CAP. XXI.

*Lect. 38. Nov 14.*

OPhthalmia sive lippitudo generali voce quævis oculi perturbatio dicitur, quæ cum rubore adnatæ tunicæ sive conjunctivæ accidit, & cum dolore in quo ab hyposphagmate differt. nam hyposphagma rubor est adnatæ tunicæ citra dolorem.

1 Est autem ophthalmia quandoque minor, quandoque major. Minores ophthalmiæ à causis fiunt exterioribus ut à pulvere, à fumo, à vento, ab excedente 2 frigore, vel à nimio 3 calore, ut à balneo calidiore. Majores verò & molestiores ophthalmiæ á causis fiunt interioribus, ut sunt humores á 4 capite destillantes ad oculos.

Hu-

Humores autem in oculum fluentes, vel sanguinis naturam referunt, vel acres & biliosi sunt, vel pituitosi salsi.

Sanguinei humores ad oculos copiosius commeantes inflammationem oculorum excitant. Intenditur tunc oculorum rubor, palpebræ magis elevantur & non nisi cum magno negotio suspicere quis potest, aut lucem intueri. dolor verò etiam magis intenditur, si acres aut salsi humores simul permixti fuerint. Quod si autem & omnino maxima inflammatio fuerit palpebræ tumentes invertuntur. adeo ut oculi ab ipsis vix contegantur & adnata tunica tumet ac sublimior evadit, quod accidens chemosis dicitur.

Ab hujuscemodi autẽ inflammatione succedente abscessu contingit [5] oculũ videndi facultate privari.

Acres autem ac biliosi humores vel pituitosi salsi pruritus & ardores cum dolore & rubore excitant. ab his verò & quandoque inflammatio præsertim sanguineo humore admixto, imminet.

Quod si verò hi humores largiter & diutinè fluant, & præcipuè pituitosi salsi epiphora affectio dicitur, per quam corneam tunicam exulcerari quandoque contingit, qua exulcerata succedit proptosis sive uveæ tunicæ procidentia [6].

Humores autẽ pituitosi aquosi si ad oculos fluant tumor succedit palpebrarum, sed mollis, laxus & citra dolorem & ruborem, palpebræ verò graviores redduntur & difficilius moventur ac aperiuntur, adnata verò tunica & quandoque simul tumens supra iridem oculi elevantur, & attollitur, atque hæc affectio ἐμφύσημα dicitur.

Si verò humores pituitosi corrupti ac salsi eo delati fuerint, sed in exigua quantitate scabies succedit palpebrarum, quæ ψωροφθαλμία dicitur, & quandoque cum rubore pruritus, quem Aëtius ait ab oculi angulo circa nasum, incipere, & plerunque senioribus accidere & frequenter in æstate.

Huic vicina est ξηροφθαλμία .i. arida sive sicca lippitudo pruriginosa absque humorum fluore dispositio.

*Lect. 39. Nov. 15.*

Curatio omnium oculorum dolorum qui à plenitudine & cum inflammatione fiunt à venæ sectione 8 incipienda est. secanda autem est humeraria è directo laborantis oculi, si unus tantummodo affectus est. dextri verò brachij si uterque, si venæ sectio iteranda est.

Alij dolores & affectus purgantibus medicamentis 9 curandi sunt qui ab humorum influxu fiunt. nec tamen in inflammationibus post sanguinis detractionem purgationes negligendæ. Pro conditione autem & viribus laborantis & qualitate humorum peccantium purgatio facienda. prosunt frequenter pill. cochiæ, vel aureæ, vel aggregativæ, vel ex octo rebus 10 quæ plures diversoque humores educunt. faciendæ verò sunt & aliæ diversiones. Cucurbitulæ dorso cum scarificatione affigendæ. pedes in balneo ponendi ex decocto ebuli, betonicæ, salviæ, & florum chamomæl in lixivio & addito sale.

Pedibus autem in balneo positis fricanda sunt crura deorsum, & facienda hæc manè ventriculo jejuno 11, nec semel tantum, sed sæpius, usque dum rubor & dolor oculorum cessaverit, Perseverante autem

tem fluxione ac doloribus, ac iſtis remedijs parum proficientibus [12] in cervice ulcus cauterio faciendum, atque hoc quam diutiſſimè apertum conſervandum, aut appræhenſa cervicis cutis cum carne perforanda eſt, & immittenda [13] cordula ex ſerico aut ex cannabe,aut in duris corporibus ex ſetis equinis, quæ per intervalla movenda. ſinenda verò & cutis hoc modo pertuſa ad aliquod tempus, donec ſanitatem oculi receperint.

Victus in omni vehementi cum inflammatione ac fluxione oculorum dolore, initiò tenuis eſſe debet & parcus, poſtea liberalior & plenior. Cibi conveniunt facilis concoctionis ac boni ſucci. A vino etiam hoc tempore abſtinendum. tenui cereviſia aut ptiſanæ decocto potius utendum.

Ceſſante uigore morbi vinum tenue aut dilutum concedi poteſt. lactis uſus omnino improbatur [14]. ab omnibus etiam ſalſis & acribus abſtinendum. quies [15]. ſic & mediocris ſomnus,atque locus à fumo ac vento tutus exiguum lucis habens. Aſpectus viridis aut cærulei coloris & ſmaragdi lapidis viſus inſtrumentum recreat. Alvum autem reſpondere oportet. quod ſi ſponte non fecerit, adjuvanda erit mollib. enematis, aut glandibus ſuppoſitis, vel ut Aëtius ait, aloë exhibenda cum braſſicæ ſucco trita.

Vt autem ad localia veniamus ſi pulvis moleſtus fuit aqua dulci ſimpl. vel in qua maceratum ſit ſemen lini oculis ſæpius abluendus,vel in eum mittendus lapis [16] ſaphyrus tenuis & bene politus,qui ſordes & pulverem ex oculo excutit,quod & facere ſemen ſcarlææ orvalæ Antonius Mizaldus ſcribit.

Ab alijs verò externis cauſis lippitudine facta,

quando

quando non omnino ſicca eſt, ſed aliquid etiam humoris ad oculum confluit, utilia ſunt quæ citra morſum reſiccant, ut pompholyx lota, & [17] tutia dura præparata quæ in aqua roſacea diſſolvenda; quæ aqua deinde ſæpius in oculum immittenda, addito vino albo tenui, ſi nullus in oculo calor ſentiatur.

*Lect.40. Nov.16. Ophthalmia vera.*

Quando verò oculi inflammatione ac χημώσει laborant generalibus non prætermiſſis admovenda erunt initiò ea quæ partim dolorem ſedant, partim influentem humorem reprimunt. quandiu videlicet humores profluentes copioſi ac tenues ſunt. Accipiatur igitur collyrium ſive ſieph [18] Mezues album abſque [19] opio compoſitum, quod diſſolvatur in aqua roſarum & lacte muliebri, & de iſta [20] mixtura frequenter gutta una aut altera in oculum immittatur. Vtilis & muccago ſem. pſyllij, ſem. cytoniorum & gummí tragacantha facta cum aqua roſarum cui additur lac muliebre & immittitur in oculos ut prius.

Madefiant quoque telæ lineæ in iſtis & applicentur oculis extrinſecus, aut ex hujuſcemodi muccagine & [21] ovi albo addito Sieph prædicto fiat [22] cataplaſma, prius tamen tela linea madefacta in [23] lacte muliebri oculis ſuperpoſita. ſinendum autem cataplaſma 4. aut 5. horis, [24] deinde amovendum & renovandum. & tale cataplaſma utile quoque eſt in oculorum epiphoris.

Quando verò [25] humores qui fluunt pauciores fuerint & craſſiores facti notam concoctionis oſtẽderint, fovendi ſubinde oculi erunt cum decocto ſeminis fœnugræci, quod & collyrijs & cataplaſmatis ſupra dictis utiliter etiã tunc admiſcetur [26]. Quando

do verò [27] humores adeo crassi fuerint ut dormientium palpebræ inde agglutinentur à primis illis collyriis abstinendum; sed docoċto sem. fœnugræci & florum meliloti oculi fovendi & abluendi. Commodum verò & in oculos guttatim tunc immittere decoctum seminis fœnugræci & sem fœniculi in parva quantitate, cui additum sit nonnihil gummi tragacanthes, & lac muliebre, si dolor adhuc perseveret.

Cessante [28] autem omni fluxione & dolore oculi vino albo & aqua rosacea dieb. aliquot erunt abluendi, aut aqua fœniculi aut chelidonij.

Cōvenit vero & uti collyrio ex pompholige, aut tutia dura præparata, de quo jam ante dictum est.

Scabie verò laborantibus oculorum palpebris, quod malum ψωροφθαλμία dicitur, & ex vitiosis eo confluentibus salsis humoribus fieri contingit, corpus omnino purgandum erit per aliquas ante dictarum pilularum.

Oculi verò fovendi & abluendi erunt decocto sem. fœnugræci & malvæ aut althææ. palpebræ postea illinendæ aloë dissoluta in vino albo & tenui, aut in aqua fœniculi. Si autem lippitudo ista diuturna fuerit & ægrè curabilis, fumi terræ ex sero lactis aliquot continuis diebus, æstate quidem.

Hyeme verò ejus loco syr. de fumo terræ. & pilulæ subinde repetendæ.

Sicca verò sive arida lippitudo, qualem venti faciunt Aquilonares, & constitutio aëris frigida & sicca, tepidis ac humentibus balneis ac fomentis etiam curatur: ut est decoctum malvæ, bismalvæ, & seminis lini.

*Lect. 41. Nov. 17.*

Suffuſio ſive ὑπόχυμα vaporum vel humorum ſub cornea tunica eſt collectio, pupillam obſcurans. Cujus 3. ſunt conſtitutiones. 1. Eſt vaporoſa quædam effumatio quæ ſpiritus viſorios diſgregat & obtenebrat, facitque ut muſcæ, feſtucæ, vel alia præ oculis obverſari videantur, vel alterius coloris res eſſe appareant quam ſint.

Atque hujuſcemodi ſuffuſio quandoque fit per conſenſum & vitio ventriculi, [29] alias verò propter cerebri plenitudinem. Quæ à ventriculo fit non continua eſt, ſed per intervalla & circuitus accidit, & magis ventriculo jejuno quam poſt cibum ſumptum, & frequentius etiam quando ventriculus malè concoquit, quam ubi bene concoctio cedit. Quæ autem à cerebri plenitudine procedit magis continua eſt, nullo tamen adhuc manifeſtè apparente circa pupillam vitio. Altera conſtitutio eſt quum jam increſcente malo nubecula aliqua circa pupillam apparere inceperit, & videndi acies magis obtundi. 3. Conſtitutio eſt quum pupillæ color ad albedinem converſus eſt, & videndi facultas abolita quæ affectio [30] glaucoma dicitur. Huic vicina eſt affectio ἀμαύρωσις dicta .i. cæcitas & abſolutum viſus impedimentum, nullo manifeſto affectu apparente [31] & pupilla pura ac incolumi exiſtente, in quo à glaucomate differt Contingit autem hanc quandoque ſenſim & paulatim etiam fieri, ſubinde tamen repente & uno impetu irruit. Quæ paulatim fit priuſquam confirmata & abſoluta cæcitas facta fuerit ἀμβλυωπία dicitur & hebetudo ſive debilitas viſus.

Cauſa vel frigidi craſſique humores, vel penuria

aut

aut imbecillitas ſpiritus viſorii, vel tunicarum ſiccitas & denſitas, ut poſt magnum morbum, vel à mœrore, vel propter ſenectutem fit.

Quæ ſubito irruit cæcitas fit à repentina nervi optici ſive viſorij obſtructione cujus antecedentes cauſæ poſſunt eſſe cruditates, temulentia, & ſimiles quæ crudos humores ingenerant.

Suffuſionibus igitur à ventriculo factis exhibenda ſubinde eſt hiera picra ut Gal. ſuadet, ut vitioſi humores expurgentur, bona victus ratio inſtituenda & ut ventriculus bene concoquat providendum.

Quando verò ſuffuſio non ex vitio ventriculi, ſed ex plenitudine humorum in cerebro redundantium provenit, initiò & priuſquam affectus invaleſcat corpus idoneis medicamentis vacuandum eſt. Vena etiam ſecanda, ſi ſanguis redundaverit. Cauterium quoque in cervice ponendum. Frictiones & balnea facienda, ut in oculorum inflammationibus, & alvus quoque in officio continenda, ut ſupra dictum.

Sunt verò & hæc facienda in ἀμβλυωπίᾳ quæ non poſt longum morbum aut propter ſenectutem advenerit, ſed ex crudis craſſiſque humoribus corpore repleto vigente adhuc ætatè contigerit.

Exhibenda verò etiam ſunt quæ cerebrum reſiccare & ſpiritus viſorios confortare valeant, quæ non modo junioribus poſt vàcuationes & diverſiones factas, ſed & ex gravi morbo reſtitutis & ſeneſcentib. tutò dari poſſunt. Laudatur inter alia euphragiæ herba & fœniculi ſemen ex quib. in pulverem tritis addito nonnihil maceris. vel etiam cubebarum & ſaccaro quantum eſt omnium pondus fit tragema, ex quo jejunis cum exiguo albi & tenuis vini ad


quan-

quantitatem cochlearis exhiberi debet. Parari verò & vinum tenue cum euphragia herba potest. cujus quotidianus usus oculis & visui prodest.

*Lect.42. Nov.21.*

Collyria verò etiam initio & quum nubeculæ ante pupillam apparere incipiunt in oculos injici possunt, quæ partim discutiendi ac digerendi vim habeant, partim astringendi: qualia sunt ex [32] fellibus avium, ut accipitris, perdicis, columbæ aut similium, & omphacio aut succo [33] granatorum. quibus quandoque vel [34] sarcocolla in [35] lacte nutrita, vel aloë additur. Vbi autem nubecula major facta fuerit & albugo sive glaucoma perfectum ad cumpunctionem & manus operationem veniendum, quæ ophthalmiacis committenda est.

An autem suffusi & jam glaucoma in oculis habentes per cumpunctionē restituendi sint, vel non, docet cognoscere Gal. 1. de sympt. casis, ex dilatione pupillæ [36] unius oculi altero clauso. nam quum uno oculo occlusio alterius pupilla dilatatur recipiendi visus magna fiducia est.

In amaurosi autem & visus obscuritate quæ subitò irruit mox & sanguis, si vires ferant. mittendus est ex humeraria vena. enemata etiam acria injicienda [37], cucurbitulæ cum scarificatione humeris admovendæ. ex cantharidib, cum fermento in aceto madefacto vesicatorium toti cervici imponendum. crurum frictiones faciendæ, medicamenta purgantia non prætermittenda.

Victus ratio initiò tenuis esse debet. Posteaquam videndi facultas aliquó modo reparata est, magnam sui curam æger habere debet, ab omni repletione, à multi

à multi vini usu,& [38] à Venere illi abstinendum. in cœna parcum admodum esse oportet [39]. pisces, fructus crudos, legumina [40], allium, cæpas, porrum & lac vitare etiam debet. carnes volucrium silvestrium non circa aquas versantium maxime conveniunt. Oculis nihil admovendum [41], nisi quis aqua fœniculi aut euphragiæ hos velit abluere.

Caput verò & oculos roborantia utiliter dari possunt, veluti ex euphragia tragema de quo dictum est.

Pertinet verò ad hæc oculorum vitia nyctalops quæ est nocturna quædam cæcitas. hoc enim vitio laborantes interdiu quidem vident, sub occasum solis obscurius, nocte verò exiguum aut nihil.

Causa mali [42] vel spiritus visorij paucitas & debilitas est, vel crudorum humorum copia & redundantia.

Hæc si adsint med. purgantia subinde sumenda sunt, veluti initio suffusionis. Ratio victus & similis esse debet. cœna etiam parca. Roborantia & confortantia spiritus visorios sunt quoque utilia.

Commendantur & collyria [43] non admodum [44] acria ut ex succo chelidoniæ, succo fœniculi, & melle, & exiguo vini, quibus si addatur nonnihil fellis perdicis, erunt præstantiora.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1 Oculorum ophthalmia vel est à
- Causis externis, estque opthalmia non vera.
- Humoribus fluētibus.
  - Sanguineis. tunc fit Inflammatio oculi. hac intensa, habet symptoma χήμωσιν.
  - Acribus pruritum excitantibus si copiosi ἐπίφορα dicitur si erosa cornea uvea prominet sympt. proptosis est.
  - Pituitosis.
    - Aquosis Εμφύσημα.
    - Salsis paucis φωξηροφθαλμία.

2. Plurimorum oculis præcipuè perniciabilis fuit rigor nivis insolitus, &c, Curt. l. 6. Xenoph. l. 4. exped. Cyri.

3. Cayri ex septem millionibus & uno millione & sex millib. Iudæorum, vix tertia pars visum integrum habet. propter esum fructuum, aquæ potum, & sudorẽ ob cydari in regione calidissima ad oculos defluentem. accedente & pulvere latearum non stratarum.

4. Neque ex alijs partibus fluunt ad oculos humores.

Effusis, ac locum mutantibus humoribus & tunicis. quas etiam rugari in tali casu contingit. Puerulo uterque humor crystallinus per abscessum excidit, ut vidimus. Alij aqueo solum humore profuso post consolidationem oculus minor factus, & videndi

di uſu deſtitutus eſt. Annibalem dum per paludes in Hetruria iter faceret, gravi ophthalmia, quod quieſcere curariq; non poſſet, uno oculo privatum. Polyb. narrat. 3. l.

6. Quæ paulum eminet myocephalon appellant ſi magis ſtaphyloma.

7. Communis palpebrarum ac oculi eſt affectio. Aëtius.

8. Oculi urſorum hebetantur cerebrò, qua maximè cauſa favos expetunt, ut convulneratum ab apibus os, levent ſanguine gravedinem illam. Plin. l. 8. c. 36.

9. Oculorum phlegmonem alvi profluvium ſanat. 6. Epid.

10. Probatæ etiam, ſine quibus eſſe nolo pill.

11. Alioqui pleno ventriculo ſi fiant humores ex eo attraherentur ad loca affecta.

12. Torlaquis Turcæ panno veteri temporibus inuſtis humiditates cerebri exſiccant ne ad oculos fluant. quod Æthyopes olim etiam facere ſolebant.

13. Laquei injectionem hanc curationem vocat Amat. Luſitanus. alij Setaceum, vel Setonem. Efficaciſſimum ſanè hoc auxilium, nec tam, quam videtur, crudele.

14. Ut & in omni affectione capitis.

15. Pila lippis inimicum & ludere crudis.

16. Deſcribitur à Macro item Valeſcus de Taranta refert, idemque tribuit rubino. Quidam cui ex itinere redeunti oculi pulvere repleti, omnem, vi ſaphyri, intra horæ ſpatium excuſſit. R. Dod.

17. Vera tutia eſt pompholyx, tutia quam duram dico eſt ſpuria quæ tuniculis adhæret quando æs coquitur. ligatur in nodulo & eo aquæ roſaceæ intincto illinuntur oculi.

18. Vel Sief album Rhazis. ℞ Gummi arab. tragacanthæ, amydi ana ℥ 1. ceruſæ lotæ ℥ 1. ß opij g. 7. cum ovi albumine fiat collyrium. uſus tempore

cum lacte muliebri ʒ ij. dissolvantur. Mez. sarcocollam insuper habet.

19. Quamvis in magna necessitate opium, etiam admitti posset.

20. Refrigerat & dolorem sedat.

21. Singulare in doloribus oculorum sedandis extrinsecus admotum. Hinc Antonin. ad philosophiam tanquam ad pædagogum (à quo metuas) sed ut Ophtalmia laborantes ad spongiam & ovum (à quibus leniendum dolorem speres) veniendũ esse, l. de Vita propria.

22. Seu Epithema potius.

23. Seorsum admovetur, ne molestiam pariat dum admovetur epithema suprascriptum, quod pilis sit agglutinandum.

34. Ne calefactum per accidens calfaciat partem, quod & in plumbo, si alicui parti admoveatur, cavendum.

25. Atque tunc est augmentum morbi.

26. Ut partim discutiatur, partim reprimatur fluxus.

27. In statu hæc fieri solent.

28. In declinatione, ad roborandum, ut ℞ partes 4. aquæ rosaceæ. vini unam. & paucum mastiches.

29. Venas ab oculis pertingere ad cerebrum, peritissimi autores tradunt. ego ad stomachum crediderim: certè nulli sine redundatione illius, eruitur oculus. Plin. l. 11. c. 37.

30. Vel ob atrophiam nervi optici, vel sanguinis in illum paremptosin, vel humorum post tenuiorum partium dissipationem, crassitiem. Dionys. Ægæus in Dictyacis apud Photium in biblioth.

31. Quare etiam barbaris Gutta serena dicta fuit. Quibusdam statim nascentibus negatus visus nullo oculorum vitio. multis repente ablatus simili modo, nulla præcedente injuria. Plin. l. 11. c. 37.

Carneadi ignoranti id oculos suffusione occæcatos

tos Diog. Laert. narrat. lucernam itaque quum afferri mandaſſet, & famulus illatam diceret, ut falſitatis illum, uti credebat argueret, legere juſſit.

32. Quia aliquid oportet eſſe quod penetret quũ materia ſit ſub cornea tunica, fel autem tenuis ſubſtantiæ eſt, & magis avium ſylveſtrium.

33. Ad robur partis nobilis conſervandum. quod commune præceptum ad omnes partes nobiles.

34. Quæ abſterget & aſtringit.

35. Vt acrimonia leniatur & ita dolor quodammodo ſedetur.

36. Quia ſpiritus utriuſque ad unum qui apertus, defertur. & tunc manifeſto dilatatur pupilla. quod ſi non fiat obſtructus eſt nervus opticus. tunc fruſta cruciaretur æger.

37. Omnia eadem die & ſimul facienda ſunt. nam humore ſemel impacto, malum incurabile exiſtimandum.

38. Hinc illud: Vale charum lumen, Et illud Martalis; Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

36. Omnes enim crudos humores, nullo excepto, ingenerant.

40. Non crudos gignunt humores, ſed oculis nocent per ſe.

41. Ne revocentur humores ad oculos.

42. Vt in ſenibus aut poſt magnum morbum. alias à cruditate ventriculi ferè. morbus non ita præceps ut in amauroſi. unde non ita feſtinandum.

43. Quia eſt quaſi ſuffuſio quædam.

44. ℞ Succi chelidonij, mellis deſpumati ana ℥ iiij. ſucci fœniculi ℥ ij. vini albi ℥ 1. miſceantur & ſuper calidos cineres leviter coquantur addantur dein fellis perdicis ʒ duæ vel tres.

# NICOL. FONTANI.

## *Annotatio XXI, ad Caput XXI.*

*Ophthalmia*, oculorũ morbus est, ut scribit Auctor. Inter genas continentur oculi, ab occulendo nominati; horum orbes diversi coloris habent pupillam, ut *Virgilius* in culice.

*Naturæ pupula telo*
*Icta Levi.*

Cujus diminutivum pupilla significat illud foramen anterius uveæ tunicæ, per quod pyramis optica ad visionis locum defertur. teste *Georgi. fol.* 8. unde sacris in litteris : Et pupillæ oculorum ejus non videbunt lucem.

Poëtæ suo modo liberius loquentes pupillæ vim cernendi attribuere, ut testatur *Lucretius* III.

*Vt lacerato oculo circum si pupula mansit.*
*Incolumis constat cernendi innata potestas.*
*Omnimode, nec tum corrumpas luminis orbem*
*Et circumcidas aciem. Solemque relinquas.*

Oculorum vitia & morbos præscripsit late auctor, & plura *Galenus lib. Introductorio suo medico cap.* 15. *Et Manardus lib.* 7. *Epist. Epist.* 2.

Qui *Strabones* appellantur, habent oculos depravatos, ut olim *Strabonum Romæ* fuit familia, qui *Pœti* cognominabantur nec non *Cesi*, quasi *Celii*, id est, Cyanei coloris à veteribus. sic *Coclites*, familia *Coclitum*.

Oculus est membrum instrumentale visus, cujus complexio est humida.

Forma ejus est rotunda, cum quadam planitie, ex septem tunicis tribusque humoribus perfectè compositum, ut docent periti Anatomici, ut *Vesalius*, *Realdus Columbus*, *Bauhinus*, *Aqua pendens*, *Cabrolius*, &c.

Qui-

Quibus oculis magis contingit Ophthalmia?

Magis oculis magnis quam parvis: quia plures demandantur superfluitates ad oculos magnos quam parvos; quia habent vias latiores, & plures superfluitates: ideoque pejus vident habentes oculos magnos quam parvos cæteris paribus, quia spiritus in ijs magis disperguntur.

Sed qua ætate? in pueritia hoc propter eorum ingluviem & oculorum mollitiem, in ea vero pueri tunicas habent tenues, & molles, quæ facile superfluitates recipiunt.

Sed quo tempore? magis Vere, quia tempus illud est magis calidum, & humidum & pori aperiuntur, humores dissolvuntur à caliditate. Contra hieme sunt magis concreti.

Curationem optimè pertractat auctor.

## DE ANGINA.

### CAP. XXII.

*Lect.* 43. *Nov.* 22.

ANgina dicitur affectio quæ cibi ac potus liberam deglutitionem impedit & respirandi difficultatem simul affert. hæc autem vel interior est, vel exterior & circa guttur aut cervicem apparens. Interior angina duplex est. una fit cum tumore vel inflammatione circa fauces aperto ore apparentem tumorem, quæ latens & occulta angina ea de causa dicitur. Tumores autem qui hiante ore apparent sunt ut plurimum tonsillarum tumores, quandoque etiam gurgulionis. affert verò & impedimentum linguæ inflammatio tum & βάτραχος sive ranunculus dictus affectus, sed tamen exiguum.

Exterior

Exterior affectus, est circa gutturis partes aliqua magna inflammatio, vel vertebræ colli ad interna luxatio, loc inũ cervice cavum relinquens; quæ gravissimum respirationis & cibi demissionis impedimentum affert. & pro deplorato malo, cui non est remedium, habetur.

Tonsillarum autem tumores aliquando majores, quandoque minores sunt subinde verò & una tantummodo tonsilla tumet.

Causa ut plurimum sunt ² humores sanguinei quandoque etiam pituitosi.

A sanguine si tonsillæ tumeant, accedit partium ad fauces & isthum pertinentium rubor & inflammatio cum dolore, præsertim in deglutiendo: qui ad aures usque extenditur. comitatur spirandi difficultas & sæpenumero etiam febris. intenditur autem interdum tumor cum inflammatione in tantum, quod os vix aperiri queat. sed quum à pituita tumor fit partium color ³ non mutatur, neque inflammatio aut febris accedit. adest tamen in deglutiendo difficultas.

Incipiente itaque inflammatione tonsillarũ sanguis mox detrahendus est ex humeraria vena partis affectæ, si una tantummodo sit inflammata. si utraque & sanguis redundet iteranda erit detractio ex altero brachio, præsertim si tumores non subsederint.

Deinde purgans aliquod med. propinandum vel enema injiciendum.

Cucurbitulas circa ⁴ humeros ac cervicem cum scarificatione admoveri utile etiam est.

Gargarismis autem & oris collutionibus utendũ pri-

primum eſt reprimentibus & aſtringentibus, ut ex decocto foliorum rubi, aut ſummitatum, fol. liguſtri, cort. malorum punicorum, calicibus glandium, roſis rubris aridis cui addendum eſt diamorum vel ex corticibus nucum compoſitum quod Officinæ dianucum vocant, & nonnihil aceti, niſi qui laborant extenuato ſint corpore & pectore anguſto, quibus acetum addi gargariſmis non convenit. Poſſunt verò, & gargariſmi fieri ex aquis deſtillatis ut plantaginis, polygoni, equiſeti, & ſimilium, addito diamornm vel dianucum & ſimilib. & ſufficiunt quandoque hujuſcemodi gargariſmi ſoli quando una ſola tonſilla citra inflammationem & magnum dolorem non valde tumet

Quando verò tonſillarum cum inflammatione tumores adeo increverint ut os aperiri nequeat & dentes ferè cohæreant, neque per aſtringentia & reprimentia tumores remiſſi ſint : proximum erit ut inflammationes ad ſuppurationem perducantur. quod fiet per gargariſmos maturantes ut ex decocto foliorum biſmalvæ, ſcabioſæ, caricarum, uvarum paſſarum & rad. glycyrrhizæ. addito ſem. lini vel fœnugræci & ſi fortius deſideretur aliquot nucleis ex bulbis liliorum additis, quæ in aqua decoquenda ſunt ad conſumptionem ad minus tertiæ partis, atque ex hoc dococto tepido ſæpius in ore aliquid detinendum & gargarizandum eſt. Poteſt verò & gargariſmus fieri ex rad. biſmalvæ cum caricis & uvis paſſis decoctis in aqua, cui, ut fortior fiat, poteſt addi mel ſcylliticum.

Cataplaſma verò & foris ad collum ſub mento & circa mandibulas admovendum eſt ex farina

hor-

hordei, sem. lini, & fœnugræci, & rad. althææ decoctis & fermento veteri; quando fortius desideratur, vel etiam nucleis radicum liliorum, quæ coquenda & miscenda sunt cum aqua decoctionis rad. alihææ, deinde addenda vel pinguedo porcina, vel oleum amygdalarum dulcium, & simul aliquid. ung. 7 dialthææ.

Abscessu autem per hæc remedia rupto, pure effluente & ore libere patente, tunc gargarismus faciendus ex decocto hordei communis non mundati: cui addendum aliquid mellis rosati, quo frequenter fauces abluendæ erunt.

Quod si verò ulcera difficulter sanescant, addi conveniet gargarismo aliquid succi vulgaris apij, vel ejus compositionis, quam vocant mundificativũ ex apio. 8 sic enim facilius ulcera coalescent & sanabuntur.

Quod si vero tonsillæ per astringentium usum & factis vacuationibus non subsideant, 9 neque augeantur, sed cessante magna ex parte rubore ac inflammatione in eodem statu tumores consistant; gargarismi parandi erunt ex digerentibus & discutientibus, ut ex decocto scabiosæ & præcipuè ex herbæ morsus diaboli dictæ. 1 cui si aliquid mellis rosati additum fuerit erunt gratiores. Quod si verò & majore resolutione opus sit gagarismo convenienter addetur cinis 10 hirundinum ustarum, vel deficiente illo, radicis cavæ pulvis. Possunt verò & pulveres horum gutturi insufflari.

Foris verò & cataplasma imponi utile erit ex farina hordei, seminis lini, fœnugræci, floribus chamæmeli & meliloti & stercore 11 ex nido hirundinum,

num, vel canino ſtercore albido, cum oleo & aqua decoctis. Vel poteſt fieri cataplaſma ex ſtercore canino, vel ex ſtercore hirundinum, vel ex ipſis hirundinibus uſtis, mixtis cum melle, quod circa mandibulas collo erit applicandum.

*Lect. 45: Nov. 25.*

Sed ſi humores frigidi ac pituitoſi ad tonſillas ac partes ad iſthmum pertinentes confluant tumentes citra ruborem, mox purgans med. exhibendum. inter quæ quod diaturbith cum rhabarb. dicitur utile ac commodum eſt, cujus ſpecies ʒ .aut ad ſummum ℈ 4. pondere cum tenui cerevilia, aut juſculo aliquo, addito [12] ſaccharo exhiberi poſſunt. Et ſi opus fuerit gargariſmo, uti licebit decocto ſolius morſus diaboli cum melle roſato. vel poteſt addi pulvis rad. cavæ & cinis hirundinum ut ſupra dictum [13].

Inflammato autem gurgulione atque cum dolore & rubore tumente, & difficultate deglutionis, adhibendi ſunt gargariſmi aſtringentes & reprimentes ut in principio inflammationis tonſillarum [14]. Et ſiquidem corpus repletum ac, humorum multitudine gravatum, ſanguis etiam ex humeraria detrahendus erit. Si minus, & vitioſi humores redundarint, purgans etiam med. exhibendum. Si verò & inflammatio hujus ad ſuppurationem [15] tendat, maturantibus ſupra dictis gargariſmis quoque erit utendum.

Quod ſi verò longior propenderit, & inferius craſſior ac livens [16], ſuperius vero extenuatus, neque ad ſuppurationem perduci potuerit, & non proficientibus quoque quæ ad laxatam columellam conveniunt: tunc adhibendam ait Hipp. 3. prædict. manus curationem, quæ antea non abſque periculo fieri potuit.

Laxato

Laxato autem gurgulione & abſque rubore, tumore, ac inflammatione longius propendente, adhibere convenit non modo aſtringentia, ſed præcipuè reſiccantia & diſcutientia. Pulvis hirundinum uſtarum utilis eſt, ſive per ſe, vel cum melle mixtus admoveatur, ſic & radix cava cum ſale permixta & admota. Poteſt verò & multum gargariſmus ex [17] poſca cum ſale & ſinapeos ſemine, vel ejus loco condimento ex ſinapi, quo citò laxatus gurgulio contrahitur.

Lingua ſi inflammetur & cum dolore & rubore tumeat: eadem ſunt adhibenda, quæ tonſillis laborantibus. & ſiquidem inflammatio ad ſuppurationē pervenerit, neque [18] queat ſponte erumpere : ſcalpello aperiendus erit abſceſſus. dein reliqua facienda quæ in abſceſſu tonſillarum.

Ranunculus tumor eſt in ea oris parte, quæ ſub lingua & cui veluti vinculo ipſa annectitur, mollis, laxus, citra dolorem, ruborem & inflammationem, qui ſupra dentes eminet, ſimilitudinem referens poſterioris partis ranæ, unde nomen habet.

Curatio hujus citiſſimè & perfectiſſimè manu perficitur, ſcalpello [19] utrinque tumorem aperiri oportet, quo aperto effluit humor muccoſus, lentus, & ovi albo ſimilis, os deinde abluendum [20] poſca cum ſale donec humor omnis effluerit. quo expurgato aqua hordei [21] cum melle roſato os colluendum.

Quod ſi quid impediat quo [22] minus in ore tumor aperiri queat : ſub mento facienda ſectio eſt. Præcedit hunc [23] affectum frequenter dentium inferioris mandibulæ dolor.

Latens ac occulta angina dicitur [24] quando nullo in faucib. apparente tumore, aut inflammatione cibi ac potus via præcluditur & respirationis adest magna difficultas. dolet per hanc anginam larynx sic ut citra dolorē contingi nequeat, & nec sursū aut deorsum [25] moveri queat nisi cum summa difficultate ac labore. Causa mali est copiosus [26] humor ex capite in pulmonem & asperam arteriam defluens, & ramos ejus implens atque distendens. unde fit, ut distentis arteriæ ramis larynx moveri nequeat.

Curationis initium à sanguinis [27] detractione faciendum. quæ etiam si necessitas urgeat & vires ferant, reiteranda erit. Enemata quoque injicienda & quam primum integrum fuerit medicamentum aliquod purgans exhibendum. Cucurbitulas etiam dorso [28] applicari convenit. Gargarismi autem non reprimentes neque astringentes [29] esse debent, sed dulces & expectorantes, ut est decoctum [30] uvarum passarum vel glycirrizæ, hydromeli, vel aqua cum saccharo decocta. Laudatur & decoctum radicum althææ & myxarum seu jujubarum, palmularum pinguium Et si non adsit [31] febris, admittitur & vinum mulsum, vel vinum cum saccharo; sed absque aromatis paratum. Foris collum ungendum [32] erit oleo amygdalarum dulcium, vel oleo ex sem. lini recenti, butyro recenti absque sale, pinguedine caponis, aut aliquo horum simili: quod habeat vim leniendi & molliendi, & circumponenda lana succida.

Anginæ autem occultæ sive latenti superveniens dolor lateris, cessante magna ex parte circa collum

& fauces dolore & difficultate deglutiendi & respirandi, anginam in peripneumoniam conversam esse ostendit. Conversio autem hæc fit non quod purulenti humores rupto jam circa laryngem 33 abscessu in pulmonem destillaverint, sed alia de causa, ex transitu videlicet humorum ad alias pulmonis partes, prius malè affectas, quæ affluente humorum copia distentæ dolorem excitant, 34 qui in latere sentitur. Periculosa autem & perniciosa admodum est hujuscemodi permutatio. nam quibus contingit, vel citò moriuntur, vel suppurantur, ut Hipp. scriptum reliquit 10. aph. 5. particulæ.

Remedium autem ad hujusmodi lateris dolorem non aliud 35 est, quam fomentum ex flor. chamæmeli, meliloti, anethi, folijs bismalvæ, sem. lini in sacculo consutis, qui in aqua decoctus expressus calidè loco dolenti admovendus est, & unctio cum ol. amygd. dulcium vel solo, vel addito ung. dialthæas, vel alio simili dolorem leniente.

Ad anginas referri potest & œsophagi inflammatio: quæ ab ossiculo aliquo veluti piscis ipsi inhærente ac pungente 36 excitatur. per hujus enim inflammationē cibi & potus via impeditur, sic ut potus per nares resiliat respiratione tamen satis libera.

In hoc casu tutissimum est gargarismum in ore detinere & quantum fieri potest etiam demittere, qui inflammationem citissimè ad suppurationem perducat. & talem quidem qualem dictum est adhibendū in inflammatione tonsillarum ad suppurationem tendente. Abscessu rupto aqua hordei cū melle rosato utendum 37.

In tumore autem cum rubore & inflammatione foris

foris circa guttur apparente, quæ παρασυνάγχη dicitur generales quoque vacuationes faciendæ ſunt pro conditione & viribus ægrotantis. Tumori verò cataplaſmata adhibenda, non quæ reprimant aut repercutiant, ut in inflammationum principio fieri ſolet, ſed maturantia tantum, & humores evocantia, & inflammationem ad ſuppurationem perducentia admovenda ſunt. nam, ut Hipp. ait, tumorem in angina & ruborem foris verti bonum eſt.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Faucium dolor Angina vocatur, Feſto, Synanche inflammatio vehemens eſt circa Epigloſſida & pharyngem, dolorifica. Iul. Poll. Hinc illud apud Plautum; Vellē me in anginam verti, quo huic anui fauces præoccuparem. Eſt autem & Angina vinaria; & Argentangina,; de quibus tamen alibi dicendum. Aliquando Epidemia eſt, & vel Benignior, qualem nos vidimus; vel Maligna & peſtilens, qualis illa de qua Cedren. teſtatur quod tam multos tolleret, ut ſuperſtites mortuis efferendis vix pares eſſent anno mundi 5018. anno à nato Domino 1340.

2. Bilioſi enim exulcerationem non tumorem excitarent. Melancholicorum nemo meminit.

3. Sed talis remanet qualis in ſanitate fuerat.

4. Quæ in debilibus quique ſanguine non abundant, ſolæ ſufficiunt.

5. Quæ quandoque manſæ in parvis inflammationibus ſolæ proſunt.

6. ℞ Fol. biſmalvæ, ſcabioſæ ana m. j. ficus aridas. N. 10. uvarum paſſ. glychyrrhizæ mundatæ ana ℥ ß ſem. lini. ℥ ij. vel ejus loco ſeminis fœnugræci. nucleorum ex bulbis liliorum ℥ ij. fiat decoctio ad libr. 1. ß. ſæpe aliquid in ore teneatur. Lac cum ſe-

mine lini coctum quamvis non ita utile, in necessitate tamen illo uti possemns.

7. Ut ℞ Rad. althææ decoctarum ad mollitiem, farinæ hordei, sem. lini, fœnugræci ana ℥ ß. fermenti veteris ʒ ij. vel si fortius cupimus ℥ ß. aut nucleorum ℥ ß. miscentur & decoquuntur cum aqua decoctionis althææ. quibus deinde addantur rad. althææ contusæ, & pinguedinis porcinæ ℥ 1. vel ol. amyg. dulcium ℥ 1. vel ung. dialthæas ℥ S.

8. Quod fit ex succo eleoselini & melle.

9. Quando humor partim frigidus, partim sanguineus.

10. Tertij generis ripas incolentium quæ nidos nòn habent. Plin. l. 10. c. 33.

11. Ipse nidus, ut quidam putant, materia magis impingeret.

12. Quod Arabes pro correctorio turbith. quod non pulveri qui situm contraheret ex humiditate sacchari, sed quum exhibetur, addi dicitur.

13. Tumores isti aliquando in Schirrhum; imò materia ipsorum in lapillum abit, quales instar nuclei olivarum semel atque iterum scalptu unguium prorupisse vidimus.

14. Qualibus Columnam, ut Aretæus vocat. h. e. tumentem à radice ad extremum columellam digiti crassitiem æqualem, & ad principium Oesophagi jam descendentem, curavimus. rejecta sectione ab alijs proposita.

15. Quod tamen rarò contingit.

16. Tum ad naturam illa pars livens redire non potest. sed tollendam esse certum est. In Norwegia frequentissimè columellam exscindunt, magno, ni fallor, ægrorum malo, ferè enim in tabem incidere necessum est.

17. Vel cerevisia tenui: si quis nolit acetum. est autem valde singulare in affectu hoc: quem vulgo den huych nominant.

18. Quod fit quia membrana involvens linguam dura admodum est.

19. Non

19. Non in medio. ob membranam quæ alligat linguam; si ab una tantum parte, ab una tantum efflueret.

20. Quia uno die non possunt exhauriri humores prohibent hæc agglutinationem.

21. Hæc glutinant.

22. Ut in illo qui ranunculo & inflammatione tonsillarum laborabat.

23. Qui alioqui rarissimus affectus.

24. Hanc horrendissimam Hipp. appellat.

25. Quod deorsum traheret distentione arteriæ, in deglutitione quæ tum læsa, movetur sursum larynx.

26. Nulla inflammatio nam musculi tam exigui ut non possit magna ibi fieri inflammatio. neque ejus ulla nota in dissectis apparet.

27. Quia nullam aliam occasionem habemus. unde & in cacochymico mittimus.

28. Cels. etiam mento & circa fauces admovet; ut id quod strangulat evocetur. Vltimum est, inquit, incidere satis altis plagis sub ipsis maxillis supra collum, & in palato citra uvam, vel eas venas quæ sub lingua sunt; ut per ea vulnera morbus erumpat. quibus si non fuerit æger adjutus, scire licet malo eum victum esse. l. 4. Cæl. verò Aurelian. ex venæ sectione sub lingua tantũ boni fieri non potest, quantum mali ex strictione colli; quæ fit mappa ut venæ appareant: nam strictio non fit sine maximo dolore, qui fluxionem concitat magis. & revera quum destillent humores non convenit sectio.

29. Ita enim retento humore strangulantur ægri. utuntur omnes astringentibus excepto uno, Cælio Aureliano, idque pessimè. Archigenes etiam quamvis astringentia adhibeat; in occulta tamen angina garg. ex sinapi probat. sic & Aretæ.

30. Quo solum usus sum. R. D.

31. Raro tamen sine febre est. ac tũ fieri potest ut sit sine febre quando sanguis in tempore detractus fuit.

32. Non tamen adeo necessaria hæc sunt.

33. Qui magnus esse non potest, dein pus tam citò non corrumperet pulmonē, nam qui ex pleuriticis empyici fiunt, quamvis maxima sit humorum copia, tamen Hipp. ait per 40. dies pulmonem adhuc manere integrum.

34. Pulmonis παρέγχυμα non dolet, sed membrana tensa, quam vomica rumpi periclitatur. quam semper in dolente inveni latere. Pauci autē perveniunt ad 7. diem, quod Hipp. ait. unam vetulam, quæ supervixerit lateris dolori, novi.

35. Quod non sæpè prodest tamen ut satisfiat ægro, aliquid faciendum, ac prohibendi ab omni frigidorum usu, ut in omni laterum dolore.

36. Vel acicula, qualem per triginta quasi dies circa hæc loca hæsisse animadvertimus.

37. Quum aliquid non infixum est difficulter transit, ut cuidam qui medium dalerum deglutierat. exhibenda lubricantia ut cerevisia omnis crassa ut Gedana, decoctum extremitatum animaliū, malvæ, althææ, omnia jusculà pinguia. Ex frusto carnis bubulæ nervoso & crudiore suffocari quandam vidimus.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXII, ad Caput XXII.*

[*Sunt, ut plurimum, tonsillarum tumores*] Plinius *l. xi Naturalis historiæ*, sic loquitur, *tonsillæ in homine, in sue glandulæ, quæ inter eas uvæ nomine, ultimo dependet palato.* Circa has partes gravissimus nascitur morbus, qui ab angendo, *Angina* dicitur, de quo Lucius:

Improvisus abit quem una Angina sustulit horâ.

Hic morbus apud Græcos plura sortitur nomina, pro varietate mali.

[*Ranunculus tumor est in ea oris parte quæ sub lingua est*]

Nodus

Nodus nuncupatur. Oritur à pituitâ muccosâ, tenaciter in ea parte impacta & adhærescente: pro ut sub lingua, sic & in lingua ipsa, imo palato multa accidentia concurrunt notatu digna: & ideo non immerito Divinus *Hippocrates lib. de morbo sacro No. 10.* pleno prædixit ore in recens enatis puellis, aut juvenibus ulcera manantia capitis non esse citra rationem constringenda, dum sic ait: *Quibus cumque quidem pueris existentibus erumpunt ulcera in caput, & in aures ac in reliquum corpus, & qui salivosi fiunt, ac muccosi, hi ipsi progressu ætatis facillime degunt: hic enim abit ac purgatur pituita, quam in utero purgari oportebat, & qui sic purgati fuerint comitiali sive Sacro morbo non apprehenduntur.*

Vocatus ego ad curandam juvenem, cui licet menstrua recte fluerent, caput sordidissimis ulceribus erat conspurcatum, per quæ virulentus humor manabat continuo. Curata à quodam Empirico, & positis unguentis astringentibus in capite, suppressa est sanies: sed cum habitualis remaneret intemperies, similisque de novo regeneraretur humor, & non posset per conniventes meatus capitis excurrere, retrocessit ad palatum, & facto emissario, foramen veluti in conspicuum visum est, per quod crassum scaturiebat virus: & sic paulatim crassiori facto humore, pustula renata est, ex qua reseratâ sanie concretoque magis terrestri humore, tumor grandiusculus apparuit ciceris instar, & deinde ad majorem molem adauctus, major facta est excrescentia, quæ cum pedicula carni tenaciter adhæreret, ipsa excrescentia manu in gyrum poterat rotari.

Color erat ruber, latitudo castaneæ instar, ad formam Ranæ vel Bufonis.

Huic, præter providentiam totius factam, per sanguinis missionem, & expurgationem humoris melancholici, multiplici modo paratam: fonticulus in dextro brachio apertus, quo occluso, in nuchâ est excitatus.

Cum verò per universales, & particulares vacuationes corpus exquisitissime esset vacuatum, ad tumorem extirpandum accessimus, & ad eradicandum pediculum setâ equinâ usi sumus; aliquando funiculo serico ligavimus cum summa utilitate, nam pediculus quodammodo incisus est, & caro aliqualiter marcescebat, ut vero ex toto absumeretur caro, leve illi imposuimus causticum ex præcipitato permixto aquâ Rosaceâ, & levi gossipio involuto; tandem applicito grano Arsenici sublimati, & aliquando guttula olei vitrioli, ex tota caro absumpta est.

## DE DESTILLATIONE AC TUSSI.

### Cap. XXIII.

*Lect. 41. Decemb. 1.*

DEstillatio sive κατάῤῥοος generaliter dicitur humorum ex capite in aliquam inferiorem partē influxio, quæ pro partium diversitate fluxionem recipientium nomenclaturas differentes accipit, ad oculum epiphora, ad nares coryza, sive gravedo; ad fauces & asperam arteriam, branchos, sive raucedo; ad pectus & pulmonē catarrhi ac destillationis nomen retinent, quæ multarum pectoris & pulmonis affectionum causa est, ut [1] tussis, orthopnææ, asthmatis, phthisis & aliarum.

Contingit tamen has affectiones non semper à destillatione, sed quandoque & ab alijs causis pervenire, ut suo loco dicendum.

Causa autem catarrhi sive destillationis procatarctica quidem sive primitiva, frequentissimè est externum frigus [2] ut à vento Aquilonari, aut alia

occa-

occaſione, præſertim ſi præceſſerit auſtralis humida & pluvioſa conſtitutio, ut oſtenditur aph. 12. lib. 3. Sic & omnia quæ caput calfaciunt ut balneum, exercitium vehementius, tegumentum calidius, deſtillationem faciunt: ſi frigus poſtea admittatur. Antecedens verò cauſa catarrhi eſt frigidum & humidum cerebri excrementum. quandoque verò & tenuis mordax ac ſalſus humor.

Frigidos autem eſſe humores qui deſtillant oſtendit ipſorum copia, & ſapor dulcis aut inſipidus. ad hæc faciei tumor & color pallidus, corporis temperamentum frigidum, ætas ſenilis, locus habitationis humidus, aëris conſtitutio ſimilis, & plenior ac humidior victus ratio. Caliditatem autem humorum oſtendit acris, aut ſalſus ſapor, narium pruritus, faciei rubor, temperamentum calidum, ætas, anni tempus, aëris conſtitutio ſimiliter calida.

In omni autem deſtillatione ad quamcunque corporis partem humores fluant, evacuatio facienda eſt & purgantia med. exhibenda: pro conditione peccantium humorum, habita ratione virium ægrotantis.

Capiti verò, quod membrum eſt mandans, providendum eſt. in mediocritate caloris conſervandum, hoc eſt, & ab omni externo frigore diligenter defendendum.

Prodeſt verò & pulverem thuris, vernicis, maſtiches, ſtyracis, roſarum rubrarum, ſeminis myrti, ſantalorum & ſimiliorum reſiccantium capiti inſpergi circa ſuturam coronalem. Poſſunt verò & pulveres iſti, cum goſſypio in ſacculo conſui qui capiti erit imponendus. Vtile verò & fumum iſto-

rum goſſypio aut lana excipi; quæ capiti ſimiliter imponenda. Valet & ſuffitus iſtorum naribus exceptus, præſertim quando humores per nares copioſi deſtillant.quo caſu & odor ſeminis nigellæ in nodulo ligati utilis eſt. ſic & pilæ factæ ex ladano, ſtyrace, thure, maſtiche, ac nonnullis aromatis addito moſcho & ambra, utiles quoq; eſſe poſſunt ſi ſæpius naribus admoveantur.

*Lect. 49: Decemb. 2.*

Victus ratio in univerſum qualiſcunque ſit humor qui deſtillat ac defluat ſobria & parca eſſe debet, & cœna etiam parcior, & tunc quidem præcipuè quando crudi ac pituitoſi redundant humores. A vino abſtinendum [4] quamdiu humores fluunt & deſtillati perſeverent. illa ceſſante licebit uti in exigua quantitate vino dulci quale eſt Creticum, vel alio tenui addito ſaccharo.modo febris abſit. Potus verò defluentibus ſalſis & mordacibus humoribus, ſit decoctum glycyrrhizæ cum uvis paſſis, vel ptiſanæ decoctum cum glycyrrhiza, vel tenuiſſima cereviſia.Deſtillantibus verò frigidis humoribus hydromeli vel apomeli cum [5] cinnamomo, vel gingibere decoctum, magis convenit, vel potus quem Medonem vocant. Cibus ſit facilis concoctionis & boni ſucci, ut ſunt carnes vervecinæ, vitulorum, caponum, gallinarum & ſimilium. ſorbitiones ex amygdalis dulcibus, ex pini nucleis,ex ovis conveniunt. Mediocre exercitium jejuno [6] corpore utile eſſe poteſt. reliquo [7] tempore quies.Subitanea aëris impenſe calidi aut valdè frigidi mutatio fugienda eſt. A cœna aut mox à cibo ſumpto ſtudere [8], ſcribere, & ſeriò in litteris occupari, nocet.

Abſti-

Abſtinendum eſt à crudis fructibus ab oleribus à piſcibus, potiſſimum non duræ carnis. ab omnibus [9] ſalſis & acribus, ut ſunt allia, cæpe, eruca, ſinapi, & ſimiliter ab aceto & acetoſis omnibus. Alvum lubricam & facilem eſſe refert. quod ſi talis ſpontè non fuerit glandibus ſuppoſitis, vel enematis, vel etiã pilularum [10] aſſumptione erit adjuvanda.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Dianam Χιλύπδα Spartani colebant. tuſſire enim ipſis χιλύττειν dicebatur. Clem. Alexandr. in protreptico. Huc etiam κέρχνος, quam nos ovillam tuſſim vocamus, referendus.

2. Tum quod cerebrum inſtar ſpongiæ madentis compreſſum, humorem, quem continet, elidat: tum quod ut potentia frigidum, à frigido aëre lædatur, & alimento deſtinatos humores, crudos relinquat.

3. Ut ℞ Roſarum rubrarum Santalorum citrinorum ana ℨ 2. Maſtiches, thuris ana ℨ 1. ß. Cubebarum, Cardam. ana ℨ 1. Miſc. fi. omnium pulvis, qui cum goſſypio q. ſ. in ſacculo geſtando in capite conſuatur. Majorana, ſtæchas & ſimilia odorata nocent odore: quamvis ſpecie ut ſiccantia proſit. itaque non immiſcenda. Quidam addunt corallum ut ſiccans.

4. Quia implet caput. qualitate enim promovere concoctionem humorum poſſet.

5. Non tamen niſi in exigua quantitate, alioqui ſiccitate nimia pectori nocet.

6. Quia humores ad circumferentiam ducit.

7. Alioqui crudi humores in corpus delati facile implerent caput.

8. Quia occupato cerebro eo adducuntur humores & impeditur concoctio humorum.

9. Nam

9. Nam quæcunque ſalſa vel acria, mali ſunt ſucci.

10. Ut pilulæ ex hiera quæ omnium utiliſſimæ.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXIII, ad Caput XXIII.*

[*Ad fauces, & Aſperam arteriam*] juxta illum verſiculum:

*Si fluit ad pectus dicetur Rheuma catarrhus,*
*Ad fauces Branchus, ad nares dico Corizam.*

Decipitur ergo Braſſavolus, docens Catarrhum eſſe commune vocabulum ad omnes defluxus humorum.

## DE RAUCEDINE.

INter affectiones autem ex diſtillatione humorum ad pectus, raucedo una eſt, quæ vocis eſt præter naturam mutatio & depravatio. Non ſolum autem ex deſtillatione hæc fit, ſed & ex alijs cauſis accidere eam contingit. nam vulnera & præſertim maligna ulcera, ut ex lue Venerea, circa gurgulionem & partes [1] ad iſthmum pertinentes ſæpe numerò raucedinis & vitiatæ vocis cauſa ſunt. de qua nunc non agimus, ſed de ea quæ ex deſtillatione facta eſt.

Ad cujus curationem factis generalibus ſi opus fuerit, & obſervata victus ratione dicta, initio offerenda ſunr eclegmata non calida [2], ſed temperata. ut ex ſerapio de capillis Veneris, cui ſi addatur ſyr. de papavere, citius humorum deſtillatio ceſſabit. Hac ceſſante, offerenda ſunt quæ humores expurgent, ut ſyr.

syr. de glycyrrhiza & ex hyssopo. Potest verò & initio dari diatragacanthes in tabellis, deinde pill. albæ 3 sub lingua; quarum in officinis usus est, & diapenidion. Laudatur verò & sanum & expertum loch.

Vngere verò & superiorem pectoris partem cum oleo amygd. dulcium utile est, butyro insulso, pinguedine caponis, vel vituli vel simili aliquo.

Et si magna refrigeratio pectoris causa fuerit raucedinis, non multo humore destillante, vel destillatione cessante, potentis vini 4 haustus vesperi ad ingressum lecti sumptus multum ad concoctionem humorum & eorundem expurgationem facit.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Erosis gurgulione ac tonsillis quæ etiam ad efformationem vocis faciunt. Talis autem raucedo incurabilis est.

2. Ne incitemus fluxum humorum.

Quidam diacodion vesperi dormituris seorsum dant. veteres sequi placet, qui interdiu exhibuere arteriacas compositiones, quæ omnes habent capita papaveris, & bene cessit.

3. Constant amydo mastiche, rad. iridis. unde calidiores paulo.

4. Qui plus potest quam vel diacodion vel syr. de papavere.

## *Nicol. Fontani Annotatio.*

[*Raucedo una est.*] Dicitur ravis apud vetustos, ut Plautus habet in Aulularia:

*Si quid poscamus, ad ravim poscamus.*

Fit ſiccitate nimia propter clamorem, aut nimio humore ad vocis loca fluente, ex quibus vox homini plerumque negatur, de qua ſic Quintus Serenus.

*Vel rabidus clamor fracto cum forte ſonore*
*Planum radit iter, ſic eſt Hortenſius olim*
*Abſumptus cauſis etenim confectus agendis*
*Obticuit, cum vox Domino vivente periret*
*Et nondum extincti moreretur lingua diſerti.*

Sed notatu dignũ eſt, cur viſis lupis raucitas emanet? Dic, propter timorem, retrocedunt, enim ſanguis, & ſpiritus ad partes internas, & ſic inſtrumenta vocis deſeruntur calore nativo, & vox faucibus hæret, vel fit clangoſa.

Sed cur, viſis alijs magnis ſævis animalibus non fiunt rauci homines, ſiquidem ex illis major metus incutitur?

Dic, quia lupi ſpiratio, per aërem communicato vapore, tranſmiſſa habet proprietatem inducendi raucedinem.

## DE TUSSI.

### CAP. XXIV.

*Lect. 50. Decemb. 5. De Tuſſi.*

TVſſis, eſt [1] motus præter naturam facultatis expultricis pulmonis & partium reſpirationi deſervientium, conantium expellere quod ipſis moleſtiam facit & impedimentum affert. Eſt autem tuſſis aliquando [2] vehementior & cum multa ſpiritus ad exteriora motione: aliquando exigua & ſine violentia. Vt ſunt ut plurimum quæ ex cauſis fiunt externis,

nis. nam & tussis causæ quædam externæ sunt : aliæ verò internæ sive antecedentes. Externæ, pulvis, fumus, vel aliquid casu in asperam arteriam incidens. acetosa, salsa, vel acria edulia: & quandoque intemperies aëris frigida vel calida 3. Internæ causæ triplices sunt 1. humores ex capite in pulmones & thoracem destillantes. 2. Morbus & affectio circa pulmonem & respirationis instrumenta consistens, ut pleuritis, peripneumonia, empyema, phthisis & similes. 3. Inferioris alicujus visceris tumor septũ transversum comprimens 4 cujusmodi tussis per consensum fit, ac sicca & non vehemens est.

Humor. a. ex capite destillans vel salsus & mordax est; vel dulcis aut insipidus : & 5 quandoque tenuis, quandoque verò lentus ac viscidus. 1. Si igitur ex quapiam causa externa excitata fuerit tussis veluti à pulvere, vel re quapiam in asperam arteriam illapsa : exhibenda erunt eclegmata, quæ asperam arteriam leniant & expurgationem adjuvent, ut sunt syr. de capillis Veneris, & 6 de glycyrrhiza, tum & ipsa glycyrrhiza manducata.

2. Eadem quoque exhibenda sunt si ab acetoso aliquo, aut acri assumpto, tussis provenerit.

3. A frigido autem aëre facta, 7 si quidem exigua ac non violenta & sicca sit, sic ut tussiendo nihil expuatur : facilè calidis aliquibus pectori admotis curatur, vel etiam sola spiritus 8 cohibitione, ut Gal. ait. Si verò vehemens tussis fuerit, & cum magna violentia fiat, 9 confert cumini aut fœniculi semen, 10 gingiber, nux moschata, crocus & similia in cibo aut sorbitione sumi, vtile quoque est vinum potens vesperi potum, ut in curatione raucedinis à simili

causa.

causâ. Calida verò actu & pectori admovenda, dein & unctiones ex oleis & ung. calfacientibus ut ol. liliorum, anethino, rutaceo; & si refrigeratio fuerit maxima, ex ol. de euphorbio.

4. Quod si verò aëris excedens calor [11] tussis causa fuerit; refrig. & humectantia conveniunt: ut syr. ex jujubis, & de zyzyphis & similibus: subinde solius ptisanæ decoctum, vel tenuis cerevisia cum saccharo sufficit. Sic & unctio pectoris cum butyro insulso, aut pinguedine caponis, vel gallinæ in aqua simplici aut rosarum lotis. Quomodo autem occurrendum sit tussi ex causa calida in acutis febribus, prius dictum est.

*Lect. 51. Decemb. 6.*

5. Ex distillatione autem [12] quando originem tussis habet, si magna & vehemens fuerit; generalia nullo modo sunt prætermittenda, & servanda bona victus ratio, præsertim ubi humores qui defluunt salsi & acres fuerint.

Eclegmata verò & exhibenda refrigerantia & incrassantia, ut syr. de violis de jujubis, quibus ad reprimendum fluxum addendum nonnihil syr. de papavere, aut diacodium Galeni, quod ex melle & capitibus papaveris fit, & quidem tamdiu quam materia salsa & acris fluxerit. Conducit verò eodem tempore syr. ex farfara: cujus hæc est cõpositio. ℞. Farfaræ cum rad. m. 2. rad. rusci, glycyrrhizæ ana ℥.ß. passularum ℥. 1. jujubas. N. 20. nucleorum nucum pinearum ℥. 1. capitum papaveris ʒ 1. sem. cyton ʒ 1. sem. malvæ ʒ 2. Decoquuntur in aqua. q. s. ad ℔. 1. colentur & addantur sacchari ℥. 12. & f. syrupus. Dandum & subinde saccharum violaceum & diatragacanthes frigidum.

Quod

Quod si verò tam copiosa destillatio 13 fuerit ut & somnum impediat: tunc syr. de papavere, aut diacodij ℥ ß. aut ℥ 1. ad summum, mensuræ, hora somni utiliter exhiberi possunt. vel pill. de cynogloss. ℈ ß.

Pectus verò ungendum est ol. violaceo, vel butyro insulso & loto, ut supradictum. Procedente tempore, & tussi aliquantum inveterata, & præsertim destillatione cessante, syr. expurgantes vel soli vel cum alijs permixti exhibendi, ut syr. de glycyrrhiza, de hyssopo, vel capillis Veneris.

Quod si verò humor destillans dulcis, aut insipidus fuerit & ad hæc viscidus, eclegmata etiam initio quæ expurgēt exhibenda sunt, vt syr. de glycyrrh. vel de hyssopo: quibus destillante humore diacodium, vel syr. de papavere admiscere utile est.

Tussi verò jam inveterata etiam syr. de prassio exhibendus, & præsertim ille qui à Paulo describitur diamarrhubij nomine. Convenit autem & diapenidion & pill. sub lingua usuales, loch sanum & expertum & similia.

Pectus verò ungendum ol. amygd dulci. pinguedine gallinæ, aut caponis addito croco, & muccagine vel semine lini, vel sem. malvæ.

6. Tusses verò quæ morbos & affectiones pulmonis & thoracis consequuntur non aliam quam ipsius morbi curationem requirunt.

7. Sic & quæ per consensum fiunt propter hepatis aut lienis tumorem: & illæ solent ut plurimum esse prænuntiæ hydropis.

8. Tusses quæ senibus accidunt, quum illorū ætati sint familiares, non aliam curationem requirunt,

quam bonam victus ratione & [4] linctus sive eclegmata, quæ expurgationem adjuvant. Quod si tum vehemens aliqua tussis senibus molesta sit; poterit ipsis dari decoctum tale, quale pueris gravi ac molesta tussi laborantibus: contingit enim pueros adeo molesta & gravi tussi aliquando laborare, ut simul cum sputo sanguinem quoque excernant. ad hujusmodi tussim talis potio convenit [5]. ℞ Bacc. juniperi ℥ ß. enulæ campanæ, glycyrrhizæ ana ʒ 3. aut 4. capitum papav. ʒ ij. vel iij. hyssopi, marrhubij ana. M. ß. uvarum passarum ℥ 1. f. decoctio ad ℔. 1. Ex qua dentur puero dormituro ℥ 1.ß. vel ℥ ij. seni verò ℥ iij. vel iiij. & si necessitas major, etiam mane tantum est exhibendum.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Motus alij à natura : alij à morbosa causa, ut palpitatio, alij partim à morbosa causa, partim à natura: ut tussis.

2. Adeo ut quandoque vena rumpatur & sequatur sputum sanguinis.

3. Humiditas tussim non excitat quum naturalis pulmoni humiditas. unde & tonsillæ institutæ. neque calor nisi siccitas adsit.

4. Ut plurimum jecur, quandoque etiam lien, vel ventriculus. Fit etiam lumbricis ventr. infestantibus acris præterea humor in stomacho irritativam qualitatem ad fauces emittens imaginariam tussi præbet: ut fit in cardiogmo tentatis. Aëtius.

5. Præsertim qui salsus & acris, dulcis & insipidus ut plurimum lentus. quandoque tamen tenuis.

6. Atque hi syr. quandoque profuerunt puellæ, cui phaseolus in asperam arteriam inciderat.

7. Quod

7. Quod deprehenditur si frequenti inspiratione irritetur, Aëtius.

8. Quia calor in instrumentis respirationis ita intenditur & per totum pulmonem penetrat.

9. Atque hic diligentius agendum ne rupta vena sputum sanguinis excitetur.

10. Quod magis convenit quam piper, aut cinamomum, quia non ita siccum, sed magis temperatū.

11. Vel quod exsiccet, vel quod inflammationi similem affectum excitet.

12. Quod ostendit partium, ab utraque palati parte, titillatio. Aëtius.

Syr. de farfara.

13. Prodest hic compositio Pauli. ℞. Styracis, myrrhæ, galbani, opij cum passo fi. pillulæ.

℞ Sem. hyosciami, ℥ 12 nucleorum pineorum ℥ 6. croci. ℥ 2. cum passo vel sapa. f. pillulæ.

14. Prosunt verò & his rad. enulæ campanæ conditæ vesperi sumptæ.

15. Theodorus Priscianus, & Trotyla maximè laudant grana juniperi; præsertim in tussi puerorum frigida. grana autem decoquenda in vino ad dimidium. Bohemi etiam ex granis juniperi cum aqua potionem conficiunt, quam pauperes pro potu bibunt.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXIV, ad Caput XXIV.*

Hæc Distillationis aliquando soboles est.

Definit autem *Galenus* Tussim per efflationes.

[*Vel salsus, vel mordax, vel dulcis, aut insipidus*] Ex sputi colore distinguitur. si albus, pituita, si flavus, bilis, si niger, melancholia prædominatur.

Ut assiduo illisu durum cavat undula saxum, sic assidua tussis, quæ fit ab humore acri, & salso à capi-

te in pulmones confluente, eos exulcerat, vel ad ſanguinis ſputum deducit, auctore *Galeno com. 3. in lib. epyd. textu.18.* Et poſt eum *Avicenna fen. 10. - 3. Tract. 3. ad finem capitis primi.*

*Frigida velut nix & glacies pectori inimica, Tuſſes movent, venarum ruptiones, & diſtillationes efficiunt. Hippocrates aphor. 24. ſect. 5.*

Sic cenſendum de reliquis impenſe cerebrum refrigerantibus, quæ pectori ſunt inimiciſſima.

*Gravida cum tuſſi moleſta, abortui obnoxia eſt. Hydropicis, tuſſis ſi ſupervenerit, malum, Hippocrates denuo 35. aphor. ſect. 6.*

Tuſſis cum febri acuta periculo non vocat.

Sic, ex faucium ulceratione eſt moleſta, & ſi inveteraverit vix eliditur, auctore *Cornelio Celſo lib. 4. cap. 4.*

## DE DIFFICULTATE RESPIRATIONIS.

### CAP. XXV.

*Lect. 52. Decemb. 12.*

Reſpirandi difficultas quæ abſque febre evenit triplex eſt magnitudine differens, vel enim non admodum magna eſt, vel major, vel omnino maxima. Non admodum magna Dyſpnœa dicitur reſpirationis difficultas, per quam ſpiritus denſior ac crebrior quam ſecundum naturam efficitur, non tamen valdè, veluti jis contingit qui cucurrerunt, vel montem aliquem conſcenderunt. Altera reſpirandi difficultas quæ major eſt, Aſthma ſive anhelatio dicitur, & in hac non ſolum cum difficultate, ſed & cum ſtertore & ſtrepitu fit reſpiratio,

& ſæ-

& sæpenumero non nisi cervice & corpore erectis fieri potest :[1] cujusmodi affectus orthopnœa etiam dicitur.

Tertia omnium gravissima & maxima cum stertore & tanta difficultate fit, ut quasi nulla esse vidiatur. qualem in Apoplexia fortissima fieri contingit:tum & quandoque mulieribus ex utero suffocatis. [2] Apnœa autem hæc dicitur non tamen quod nulla supersit, sed quia difficillima.

Contingit autem respirationis difficultatem citra febrem fieri, vel pulmone primario laborante, vel per consensum tantummodo affecto. Per consensum autem afficitur pulmo, quando hepar tumidum septum [3] transversum comprimit & libertatem respirationis impedit, ut frequenter fit in incipiente hydrope. sic quoque & in ascite. Ita & virginibus deficientib. mensibus dyspnœa quædam per consensum accidit, sed non difficilis horum affectuũ dignotio. tumor enim jocinoris in hypochondrio sentitur & alia ejus apparent signa,[4] hydrops diu latere non potest. Mensium suppressionem, & alia signa comitantur & ipsius laborantis relatione dignosci potest. Primario autem afficitur pulmo quando crudi, lenti, ac viscidi humores pituitosi in pulmonis bronchia infarcti spiritus itinera obsident; vel crudum aliquod tuberculum in pulmone asperam arteriam coarctans [5] enatum fuerit. quæ per præterita accidentia discernenda sunt, ac cognoscenda, nam si cui per bonam valetudinem respirandi difficultas supervenit, deinde paulatim increverit, nihilque interim expuatur, neque inter respirandum stertor aut sonitus aliquis audiatur; crudum aliquod

tuberculum 6 in pulmone circa asperam arteriam enatū suspicari oportebit. præsertim si aliqua etiam gravitas 7 aut ponderis aliquis sensus circa pulmonem à laborante sentiatur.

Si verò stertor aut sonitus una cum difficili respiratione fiat, præsertim quando æger decumbere conatur, lentorum crassorumque humorum multitudinem vijs pulmonum pertinaciter impactorum & ejus bronchia occupantium, indicium est. Contingere verò & quandoque potest ut crassis vaporibus infectus hybernus aër, maximè nocturnus, asthmatis & difficilis respirationis causa sit, quem non modo asthmatis, sed & peripneumoniæ causam fuisse observatum.

*Lect.53. Decemb.13.*

Curatio autem asthmatis ex crassis viscidisque humoribus fit per ea, quæ hos ad concoctionem perducere & attenuare valeant. deinde & per ea quæ per inferiora queant expurgare. tum & per eclegmata expurgantia, incidentia, moderatè calida, substantia liquida & humida, accedente bona victus ratione.

Ad concoctionem humorum bene faciunt rad, enulæ campanæ, & fœniculi, ac petroselini. Ex herbis hyssop. scabiosa, marrhubium, adianthum quod vulgo capillus Veneris dicitur. tum ex quorundam sententia & calamentum. Ex seminibus semen anisi & semen apij, quibus dulcia quædam sunt admiscenda ut expectorationem adjuvent: ut glycyrrhiza, uvæ passæ, ficus. quæ in aqua decoqui possunt. decocto additur oxymeli aut syr. acetosus, vel etiam oxymeli scylliticum, si fortior, opus est 8.

Ad

Ad expurgationem per alvum faciendam in primis utilis eſt agaricus, deinde & turbith, & quæcunque pituitam ducunt. Ex compoſ. med. pill. de hiera cum agarico, vel his fortiores, ex agarico appellatæ, conveniunt verò & diaphœnicon. elect. indum & hujuſcemodi compoſ. turbith recipientes. Poſſunt verò & decocto incoqui folia ſenæ, & agaricus cum modico Zingiberi, & etiam turbith, aut eidem admiſceri diaphœnicon vel el. Indum. Eclegmata utilia ſunt ſyr. ex hyſſopo, ex capillis Veneris, ex ſucco ſcabioſæ, vel his fortior ſyr. 9 de praſſio. quibus addi refert ad humorum viſcidorum inciſionē, ſyr. acet. vel oxymeli, vel ſi major ſit neceſſitas oxymeli ſcylliticum. 10 Quibus mixtura non placet aliquando ſyr. aliquo: aliquando oxymelite vel. ſyr. acet. alternatim uti debent. His verò non ſufficientibus utendum erit eclegmate ſive loch. ad aſthma inſcripto Meſuæ. quod recipit ſcyllam aſſatam. rad. iridis reſiccatas, hyſſ. praſſium, crocum & 11 myrrham, (quam tum præſtat omittere) & mellis. q. ſ. ad compoſitionem. Quo fortius eſt ex ſola ſcylla cum melle compoſitum.

Pectus verò ungendum eſt cum ol. liliorum, rutaceo, chamœmelino addita cera & croco.

Victus ratio calida & ſicca & attenuans eſſe debet qualis in dolore cap. ex cauſa frigida. Potus ſit hydromeli, vel vinum tenue cum hydromelite permixtum. Alvus ſi ſponte non reſpondeat enematis, aut glandibus adjuvanda erit.

Quod ſi verò à craſſis & vaporibus infecto aëre aſthma factum fuerit, ab externo aëre, quamdiu impurus fuerit, abſtinendum. Domeſticus verò ad

cal. & ſiccum mutandus, accenſo ex lignis foco querno, vel juniperino. quando haberi poterit. Vtendum verò ecleg. expurgantibus & lenientibus ut ex glycyrrhiza, capillis Veneris, aut ex hyſſopo ſi febris non affuerit. Illa præſente vena ſecanda erit, & curatio adhibenda, qualem peripneumonia requirit.

*Lect. 54. Decemb. 15.*

Quando autem tuberculi alicujus crudi, Phyma hippoſ. dicti, aut duri in pulmone enati, [12] aut itinera ſpiritus obſidentis, ſuſpitio adeſt, & difficultas reſpirationis urget, vires verò ægrotantis validæ ſint, & ſanguinis redundantis indicia, annique tempus idoneum, non incommodè ſanguis [13] detrahetur. Ecleg. verò exhibenda ſunt dulcia [14] & lenientia ut ſyr. de capill. Veneris, de glycyrh. & ſimiles. Ab acidis autem & acetoſis inciſivis erit abſtinendum.

Naſcuntur verò & in pulmone & alijs locis [15] tubercula ab Hipp, φύματα. Latinis vomicæ, dicta: non juxta aſperam arteriam, aut ſpiritus itinera. quæ idcirco & nullam reſpirationi difficultatem afferunt. & multo etiam tempore occulta latent, donec vel angina, vel pleuritis vel febris etiam quandoque ſupervenerit. quorum occaſione quum ad ſuppurationem tendant & erumpere conentur, dolorem excitant, qui in latere aliquo pectoris frequenter ſentitur, rarius in dorſo aut circa ſpatulas. tali dolore poſt anginam aut pleuritidem ſuperveniente angina aut pleuritis in peripneumoniam ab Hipp. converſa dicitur.

Differt autẽ dolor iſte à pleuritico, quod punctorius

rius non ſit, & ſubinde loco moveatur pro ratione, vid. ſitus ipſius plumonis. Accidit autem non rarò quando hujuſcemodi vomicæ eruptionem minantur, ut & difficilis reſpiratio & orthopnœa accedat. Hujuſcemodi autem vomicæ erumpentes mortem frequenter afferunt, aut ſi mors non conſequatur; phthiſis ſuccedit, ut ſatis oſtendit Hipp. aph. 10. ſect. 5.

Venæ ſectionem in hujuſcemodi lateris dolore ex vomica eruptionem minante, non videtur tutum facere, neque etiam à veteribus, quando vel angina vel pleuritis in peripneumoniam converſa fuit, unquam facta legitur. nam vires ex præcedente morbo fractæ ſunt, & ſuppuratia jam facta per venæ ſectionem curari nequit, fomenta potius adhibenda ex florib. chamæmeli, meliloti, anethi, & folijs althææ. addito quandoque ſemine lini, quæ in ſacculo ſunt conſuenda. qui deinde in aqua coctus & expreſſus loco dolenti calidus adplicandus erit. Vngere verò & locum dolentem utile eſt oleo chamæmelino, amygd. dulcium pinguedine caponis & ſimilibus. Quod ſi verò ſuſpicio ſit flatus quoque ſimul moleſtos eſſe, ſicuti in hujuſcemodi doloribus poſt febres accidere poteſt: ſupradictis floribus addenda erunt ſem. aniſi, cumini, & ſimilia: & ſacculus in quo conſuta rore vini [16] calefactus loco erit applicandus. Prodeſt verò & in hoc caſu cucurbitulam loco dolenti citra ſcarificationem adhibere: quæ ſæpenumero magnum affert doloris lenimentum.

Quod ſi verò dolor perſeveret, & non intendatur, exhibere quoque haud inutile erit ea, quæ reſiccant humores in vomica contentos quale eſt ſarzæ

perillæ decoctum [17] cujus 4. 5. aut 6. ℥ mane & totidem ante coenam exhibendæ sunt. Vtile verò fuerit & simul cum ipsis coqui farfaram, vel si morbus frigidior hyssopum aut marrhubium.

## *De altera ortohopnæa.*

*Lect. 55. Dec. 13.*

Præter orthopnœam [18] quæ cum continuo asthmate incidit, & alia superest decumbentibus tantummodo molesta. tunc enim tanta supervenit in respirando difficultas ut quasi suffocari videantur. reliquo tempore stantes erecti, sedentes, progredientes, itinera facientes, nullam in respirando difficultatem percipiunt. nisi certis quibusdam temporibus; quando quædam accessiones ipsis superveniunt. adeo autem vehementes hæ sunt: ut etiam erecti & stantes augustia [19] & magna difficultate respirandi premantur. In certis autem temporibus hæ recurrunt. subinde singulis mensibus, quandoque ter aut 4. in anno, & per humidam aëris constitutionẽ, & [20] Austro flante potius quam alio tempore. Durat autem accessio subinde diem totum, vel [21] diutius effluente interea ex ore crudo viscidoque humore. quo expurgato cessat accessio & iterum libera relinquitur respiratio stanti, sedenti, ut prius: sed haud quaquã decumbenti. Causam hujus orthopnœæ lentũ & viscidum admodum humorẽ esse manifestum est, qui in remotioribus & abditis vijs latet, nec copiosus est. atque idcirco non stantibus (cum liberè explicari pulmo potest) sed decumbentibus tantummodo molestiam affert [22]. Affectus longus ac diuturnus est

est [23] qui toto vitæ tempore ut plurimum persevera. quandoque progressu ætatis desinit, vel in alium morbum, veluti in renum calculum commutatur.

Curatio admodum difficilis est [24]. prodest tamen purgatio ex agarico, quæ veris & autumni tempore opportunè fieri potest. Vel aliqua alia hujus loco, quæ pituitam expurget. Sanguinis missio temperamento, ætate & viribus respondentibus admitti potest. Ecleg. tempore accessionis expurgantia & incidentia, qualia in asthmate ex viscidis humoribus conveniunt. reliquo tempore bona victus ratio servanda [25] & excessus omnes vitandi.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Gal. sæpe confundit asthma & orthopnœam, lib. tamen 7. de med. secund. loca videtur distinguere.

2. Pausanias medicus dictante Empedocle περὶ τῆς Ἄπνου scripsisse refert ex Heraclito Diog. Laert. 30. autem dies corpus harum absque respiratione & putredine (vel, ut Suydas, nec malè forsan, habet, cibo) servari: Spiratione autem tales potius non indigent, quam quod illam impeditam habeant. Vide Gal. de loc. affect. l. 6. c. 6.

3. Aph. 55. lib. 7. Quibus hepar aqua refertum eruperit in omentum, his venter aqua repletur & moriuntur. ait Gal. vesiculis ruptis adhærentibus jecori, hoc fieri, verũ eæ ventrem non implerent. Dum autem jecur ita tumet difficultas spirandi oritur. Adipis nimis copiosi immobile onus, difficilem spirationẽ, præsertim in senibus, facere solet. L. Apronij consularis filio detractos narrat Plin. l. 11. c. 37.

4. Ut

4. Ut tumor pedum & faciei color qualis in hydrope.
5. Quod, nisi circa arteriam asperam fuerit, sine asthmate esse potest. ut in Antipatro Medico, de quo Gal. 4. de loc. aff. c. ult.
6. Hinc aph. 46. lib. 6. Qui gibbi ex asthmate aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur, potius legendum cum asthmate. nam ex asthmate vix gibbus quis fieret; tuberculum enim quod gibbum efficit in vertebris est, quum asthma prope asperam arteriam. Cum asthmate autem gibbus comprimi thoracem significat, neque pulmonibus sat loci superesse: unde crescentes suffocati pereunt.
7. Aët. non magnam ab ægris gravitatem sentiri ait.
8. ℞ Rad. fœnic. petros. enulæ campanæ, glycyrrhizæ ana ℥ ß hyssopi, capilli Veneris, scabiosæ, m. 1. marrhubij. p. 1. sem. anisi, sem. apij. ʒ ij. uvarum pass. ℥ 1. ß. ficus. N. 6. f. decoctio ad libr. 1. Colaturæ adde oxymelis simpl. ℥ iij. f. potio pro 3. aut 4. vicibus.
9. Hic uti possumus Mezuæ syr. de prassio, ob humidia, alias Pauli præstantior est.
10. Ego nunquam perveni ut scylliticis uterer & ab ijs abstinendum censeo. R. Dodon.
11. 1. Facit compos. amaram & ingratam.
2. Adest opocalpasum, ut Gal. ait. quod venenum est. substituit Gal. piper. hic non est opus.
12. Quandoque non tuberculum sed callus est ut observatum in sectis, nullum habent remedium sed lenimenta tantùm.
13. Quæ non tollet tuberculum, sed ne inflammetur prohibebit.
14. Alia enim tussi molestiam tantum exhibebunt, nec quicqam proderunt.
15. Fit quandoque in vena arteriali, qualem in Antipatro Gal. nos in exitu arterialis venæ è corde invenimus. R. Dod. Aliq. In lobis pulmonum fiunt, suntque nonnumquam valde magna.
16. Ut

16. Ut vino madefactum linteum patellæ, qua lecti calfiunt, imponatur & sacculus vertendo super illum calfiat.

17. Quo & cancer mammillarum curatur ut subsideat. Ratio est: quia, ut inquit Aetius cap. de asthmate. Ratio curandi per desiccantia & extenuantia communis omnibus internis abscessibus est.

18. Vni morbo adsignatus sum, inquit Seneca, quem quare Græco nomine appellem nescio, satis enim aptè suspirium dici potest. brevis autem valdè. & procellæ similis impetus est, intra horam ferè desinit. quis enim diu exspirat? omnia corporis aut incommoda, aut pericula per me transierunt: nullum mihi videtur molestius. quid ni? aliud enim quicquid est ægrotare est: hoc est animam agere. itaque medici hanc meditationem mortis vocant, &c. Paulatim Suspirium illud, quod esse jam Anhelitus cœperat, intervalla majora fecit, & retardatum est, ac remansit. (an. remisit.) nec adhuc quamvis desierit, ex natura fluit spiritus. sentio hæsitationem & moram. Epist. 55.

19. Adeò ut vel ex minimo motu, vel in latus, pronum, supinumve inclinatione jamjam suffocandi videantur. hinc si vestiti paroxysmo corripiantur vestiri; aut si ijsdem exutos invadant, illis indui non possunt; sed latera pulvinaribus, caput fascia suffulti, in eodem situ permanere coguntur.

20. Æstate magis quam hyeme.

21. Ad triduum, aut ultra.

22. Paroxysmi verò causa, quod ab illis adhuc patet bronchiorum, porrò obturans humor de novo accedens humor catarrhalis. &c.

23. Ego in quadam ultra 25. annos durasse vidi. post annum vero ætatis 50. paulatim & frequentia, & vehementia paroxysmorum remittere cœpisse. A thuris suffitu, quum virgo adhuc esset, hoc malum primum senserat.

24. Scopis duobus intendendum. 1. ut infracti,

lenti

lenti humores expediantur. 2. Ut catarrhus accessionem faciens arceatur.

25. Iactationem in lectica profuisse sibi testatur Seneca. In declinatione, aut intervallo fuisse necessum est.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXV, ad Caput XXV.*

Triplices species difficultatis Anhelitus notat auctor. Harum prima fit, quando panniculi longi pectoris debiliores sunt in attrahendo aërem, & vocatur ab auctore *Dispnæa*.

Secundæ difficultatis species in expellendo aërē, dicitur *Asthma*, etiam ob debilitatem villorum longitudinalium; sic & ex angustia seu obstructione bronchiorum.

Tertia species, *Orthopnæa*, dicitur, & est quando in expellendo, & attrahendo omnes villi pectoris debiles sunt; quod etiam hic versiculus habet.

*Dyspnæa se celat, canit Asthma, morbumque revelat.*

Nota, quod Asthma, sive difficultas respirandi tot habet causas, quot habet tussis, fortiores tamen in Asthmate, quam tussi. ideo una, & eadem illarum est curatio.

Qui facillimè in Asthma incidunt? quibus pectus angustum est, vel naturâ vel accidente, ut in gibbosis: tum quia facile vitiatur respiratio, tum quia imbecilles sunt, & facile recipiunt.

Differt à *Peripneumonia*, febre quâ carent Asthmatici, & quia Asthma est morbus cronicus, & pulmonaria citissime interficit.

Mulieres viris ad hunc morbum esse magis propensas ait *Trallianus*.

Contra *Aurelianus lib.* 3. *cap.* 1. docet viros esse propensiores mulieribus, & senes juvenibus, & qui firma

ma non habent latera, & qui cerebro ſunt humidiore, & qui abundant excrementis, & ſunt temperamento ſicciore, pulmoneſque frigidiores ac humidiores habent.

Dubitatis quibus rationibus hoſce concordes reddetis? facile meo quidem judicio: ſi illum, nempe, *Trallianum* intelligas loquentem, de difficultate reſpirationis extra acceſſionem: *Cœlium*, autem de acceſſione interpreteris: nam in viris cum major fiat ebullitio promptiſſime humores ex calore liquati confluunt in pectus.

Utrum Bronchia dextra, aut ſiniſtra affecta ſint, ex ægri decubitu cognoſcitur: quandoquidem ubi mali labes eſt in parte dextra, pejus ſe habent, ſi ſupra latus dextrum decumbunt: e contra melius degunt, ſi ſupra ſiniſtrum. Et vice verſa.

[*Naſcitur vero in pulmone, & alijs locis tubercula ab Hippocrate phymata, Latinis vomica dicta*] Sæviſſimus eſt affectus, curatuque difficillimus, à paucis Medicorum in praxi deſcriptus: cujus deſcriptionem *Ætius Tetrab. 2. ſerm. 4. cap. 57. & Trallianus lib. 5. ſui operis cap. 3.* propoſuerunt: quia humor crudus, cum ſit tenax, & rebellis non facile medicamentis cedit. Denique ſi reſolvere Phyma ſtudeas conſumpta parte tenuiori, reliquum magis induratum remanebit, ſi ſuppurare intendas, rupta Vomica, ulcus reſtat pulmonis immedicabile; quod ſuperveniente febre jugi corpus contabefaciendo ad phthiſin, & interitum deducit.

## DE SANGUINIS SPUTO.

### CAP. XXVI.

*Lect. 56. Ianuarij 9.*

SAnguis varijs modis per os excernitur: ex gula quidem & ventriculo, vomitione; ex faucibus

& gurgulione,ſcreatu [2]:ex ore ſimplici expuitione:
Sed ex inſtrumentis reſpirationis per tuſſim expuitur, ut Gal. 4. de locis affect.c. 6. Contingit autem hoc etiam fieri, cum aliqua pars reſpirationi dicata inflammatione laborat : ut in peripneumonia & pleuritide. ſed de hujuſcemodi ſanguinis ſputo in præſentia non agemus.

Eruptio autẽ ſanguinis tripliciter accidit. 1o. per anaſtomoſin. j.apertionem oſculorum vaſorum ſanguinem continentium. 2o. propter unitatis ſolutionem ipſorum. 3o. per diapedeſim ſive tranſcolationem,aut deſudationem.

Propter .a. apertionem oſculorum rariſſimè contingit ſanguinis cum tuſſi ſputum, & non niſi corpore valde repleto, & præcipuè ceſſantibus conſuetis purgationibus : ut per menſes [3] aut hæmorrhoides. tunc enim ſanguinem una cum tuſſi excerni quandoque contingit, frequentius tamen tunc ſanguis per nares erumpit, aut per alias partes : ut per gingivas,&c. & ex latere ut Benivenius exemplum habet.

Hic neque propter diapedeſin, ſive tranſcolationem, ſanguis frequenter ex pectore ejicitur. in vehementi tamen & moleſtiſſima puerorum illi [4] tuſſi ſanguis tenuis , qui lentæ pituitæ permiſcetur, per violentiam tuſſis tranſcolatus videtur : aut ex oſculis vaſorum debilitatis excidiſſe. quemadmodum & tabeſcentibus quandoque (ſed tamen raro) accidit, à quibus lenta pituita ſanguineo rubore tincta expuitur,ex ſanguine tenui & acri permixto , qui per oſcula vaſorum acrimonia ſua viam ſibi patefecit. ſputum autem tale ſalſuginem vel acrimoniam aliquam

quam refert, & ulcus pulmonis vel nunc factum ac præsens, vel citò futurum ostendit.

Frequentissimè autem sanguinis cum tussi sputum propter unitatis solutionem contingit: solvitur verò unitas propter vulnerationem, contusionem, rupturam, vel erosionem: & quandoque etiam in pulmone propter sphacelum [5], sive syderationem alicujus ejus partis.

Ex pectore autē rarissimè contingit propter vulnus aut contusionem sanguinem expui: nam vulnere etiam aliquo extrinsecus illato, quod ad interiores partes penetret, citius sanguis in cavitatem pectoris effundatur, quam cum tussi procedat.

Sed propter alicujus vasis, veluti venæ, rupturam vel propter exulcerationem, vel sphacelum pulmonis sanguis cum tussi præcipuè expuitur. Rumpi autem venam in pulmone accidit, vel propter casum [6] ex alto, vel à forti percussione, aut luctatione, vel propter vehementem [7] clamorem, aut nimiam sanguinis plenitudinem: sed frequentius propter magnam aut validam tussim, præsertim siccam, cujus causa esse potest vel externum frigus excedens: vel quædam bronchijs pulmonis inhærentia, ut calculi [8]. Exulceratur .a. pulmo, vel propter humorem acrem aut salsum ex capite destillantem, vel ab hujusmodi humorib. sanguine aliunde infecto accedente. Sphacelus autem fit, quum aliqua pulmonis pars intermoritur ac nigrescit.

*Lect. 57. Ianuar. 10.*

Quando igitur cum tussi ex pectore sanguis rejicitur, & adsunt aliquæ lassitudines spontaneæ, quæ plenitudinem adesse testentur, & mensis suo tem-

pore non responderint, nec hæmorrhoides fluere solitæ aperiantur, ac fluxerint, sanguis verò qui expuitur initio paucus sit & floridus, neque ulla præcesserit aut adsit vehemens tussis, aut destillatio salsi aut acris humoris, neque etiam casus ab alto, percussio, luctatio, vehemens vociferatio: existimandum sanguinis sputum factum propter anastomosin, sive apertionem osculorum vasorum, ac venarum sanguinem continentium. præsertim si balnei usus præcesserit. quia balneum rarefacit sanguinem, & vias aperit, ac laxat.

Si autem sanguis multus confertim cum tussi expuatur, præcesseritque vel casus ab alto, vel percussio, vel in palæstra luctatio, vel vehemens vociferatio, vel valida & magna tussis, existimandum est sanguinis sputum factum propter ruptam magnam aliquam venam, præsertim si destillatio nulla salsa, aut acris præcesserit, & neque spumosum vel purulentum aliquod exspuatur, vel aliqua bronchia sputo sint admixta.

Quod si verò sanguini pus admixtum fuerit, vel spumosum quid, vel bronchij pars, vel venæ aut arteriæ tunicæ pars, evidentissimum est indicium ulceris in pulmone existentis. Consuevit autem sanguis ab ulcere pulmonis non affatim sed ex intervallis & non multus simul exspui: interdum tamen & copiosus & multus erumpit. quod si non propter vehementem tussim aut aliquem casum fiat, vel similem causam, magnæ alicujus erosionis, aut non exigui ulceris signum est. Sanguis verò niger, & cum eo spumosa quoque nigra, quæ adeò tenacia quandoque sunt ut in aqua non dissolvantur & spongiam

quan-

quandam referre videantur, aliquam partem pulmonis ſphacelo ſive ſyderatione corruptam eſſe oſtendit.

De ſputo autem ſanguinis quod erumpente accidit aneuriſmate, quod circa aliquam pectoris partem hæſit, non referr verba facere. illo enim erumpente mox æger deficiens o moritur. ſi aliquis ſanguis defertur ad os; ille quidem paucus eſt. plurimus enim in vacuum pectoris ſpatium effunditur, ubi mortui corpore aperto reperitur.

*Lect.58: Ianuarij.6.*

Sanguinis ſputum propter anaſtomoſin ſi exiguũ ſit; nullam curationem requirit, mox enim ceſſat, ſuccedentibus vacuationibus ſolitis. quæ diutius ceſſantibus, ſi copioſius fiat ſanguinis ſputum, diverſiones faciendæ verſus partem, unde ſanguis fluere debuerat.

Veluti menſtruis, aut hæmorrhoidibus ceſſantib. ad partes inferiores. faciendæ autem hæ ſunt per frictiones, ligaturas & cucurbitulas. erit & venæ ſectio facienda, ſi nec factis diverſionibus ſputum ſanguinis ceſſarit. Abſtinendum verò & ab omnibus quæ ſolitas vacuationes impedire poſſent, ut eſt uſus aſtringentium ac frigidorum. Si autem ſputum ſanguinis diutius perſeveraverit, & ſalſuginem, vel ſimilem malam qualitatem guſtu referat: timor eſt ne pulmo exulceretur: & tunc quidem eclegm. erunt exhibenda non ſolum dulcia, ſed & quæ lentorem aliquem habeant, ut facilius humorum acrimonia obtundi queat, ut eſt ſyr. de jujubis: & ſyr. de ſymphito. & reliqua facienda; quæ in ulcere pulmonis requiruntur, ſuo loco dicenda.

Si autem propter unitatis ſolutionem & venæ alicujus rupturam ſanguis cum tuſſi expuatur: ſtatim & ab initio venæ ſectio facienda, ſi vires ferant, & quidem non vacuationis [12], ſed diverſionis tantummodo cauſa: atque ideo etiam non copioſa facienda, &, ſi opus fuerit, etiam reiteranda. Adhibendæ verò ſunt & frictiones ac ligaturæ diverſivæ, etiam primo die, ac deinceps frequentius faciendæ, donec ceſſarit ſanguinis ſputatio. Eclegm. quoque exhibenda ſanguinem ſupprimentia: ut eſt ſyr. de roſis aridis cui ſit admixtus bolus armenus [13] lotus cum aqua plantag. aut equiſeti: vel lapis hæmatitis tenuiſſimè tritus boli loco. Prodeſt etiam conſerva roſarum rubrarum addito lapide hæmatite & ſyr. de roſis aridis. Veſperi verò ex Gal. conſilio exhibendum aliquod med. opiatum veluti diaſpermatum [14] quod ab ipſo commendatur, utpote ſomnum conciliians, [15] dolorem ſedans, & reſiccandi vim habens. Hujus loco recentiores exhibent pill. de cynogloſſo Nicolai, quæ ſimiliter ſomnum conciliant ac reſiccant.

Habenda verò & ratio efficientis cauſæ: nam ſi propter lapſum ab alto, percuſſionem, vel ſimilem rupta fuerit vena, utile etiam fuerit dari potiones partim ex ijs quæ aſtringunt, & partim ex conſolidantibus, [16] quibus addenda ſunt quædam lentorem habentia ut melius queant partes uniri ac conſolidari, ac etiam dulcia quædam, ut concoctionem ſputi adjuvent, & ne aliorum acerbitas pectori noceat. Confici igitur potio poterit ex rad. tormentillæ, rubeæ, [17] conſolidæ majoris, glycyrrhizæ, & ex ſanicula, alchymilla, pyrola, uvis paſſis,

Zyzy-

Zyzyphis seu jujubis, & sem. malvæ. in aqua decoctis. quorum decocto etiam addi potest syr. de jujubis, aut de symphyto aut uterq; ex quo mane propinandus haustus erit & ante cœnam.

Si autem ex excedente & magno frigore exorta tussis, causa fuerit rupturæ, ipsius venæ, admovenda & pectori erunt extrinsecus calfacientia talia, qualia in curatione tussis à frigore dicta sunt.

Debet autem is cui vena in pectore rupta est in quiete, tranquillitate, & quantum fieri potest in silentio se continere [18], & cavere omnem occasionẽ tussis. Aer eligatur temperatus & ad siccum [19] inclinans, & citius ad frigiditatem vergens, quam ad calorem. Cibus sit facilis concoctionis aliquantum lenti succi, [20] ut sunt carnes musculosæ præsertim vitulorum. quorum & extrema veluti pedes & per se conveniunt vel cum capone vel gallina decocta. Potus sit initio aqua hordei passulis & glycyrrhiza additis, vel jus caponis cum ptisana decocti, quæ & cibi loco esse potest. Alvum mollem & facilem esse convenit: ne conatu [21] aliquo opus sit. quod si talis non sponte fuerit enematis mollibus adjuvanda erit.

*Lect. 59. Ianuar. 19.*

Sanguis sputo utcunque cessante, & corpore ab omnibus vitiosis & excrementis per clemens aliquod med. vacuato, nulla inflammationis [22] circa ruptam venam aut pulmonem existente suspitione, ad lactis [23] caprini usum erit deveniendum. quod mane jejuno [24] stomacho exhibendum erit: vel quod nonnullis magis placet, ad usum [25] lactis asinæ. Syr. etiam hoc tempore exhibendi sunt

leuiter expurgantes, & consolidantes : ut est syr. ex symphyto, cui quandoque admisceri potest ad majorem expurgationem syr. de glycyrrhizą [26] Mesues. Conducit verò & vesperi sumere conservam rosſ. rubrarum [27] cum syr. de papavere, aut sem. hioscyami, si tussis molesta, aut somnus difficilis est.

Periculosum autem admodum est sanguinis sputum à vasis alicujus ruptura, vel enim in ipsa sanguinis effusione deficit æger, vel in phthisin incidit; nisi primo tempore diligens adhibeatur curatio. In phthisin incidisse ægrotum ostendit puris sputum sanguinis sputo succedens, atque idcirco Hipp. A sanguinis sputo puris sputum malum esse, ait. aph. 15. lib. 7. subsequens enim puris sputum ulceris in pulmone existentis signum est certissimum. minus etenim periculi est à vasis sive venæ ruptura, quam ab ulcere pulmonis. Qualiter autem curandi sint quibus ab ulcere pulmonis sanguinis sputum procedit, inferius dicendum. ubi de curatione.

Quod autem propter pulmonis [28] sphacelum accidit sanguinis sputum ut plurimum ægrum mox è vita tollit. & si id non prima vice fiat, altera aut tertia contingit. nulla autem spes est vitæ, sanguinem propter sphacelum expuentibus. si verò vita aliquanto tempore intermedio producatur, cibis bonis & facilis concoctionis erunt nutriendi, potestq; [29] ipsis vinum dulce concedi.

*De sanguinis sputo ex faucibus, gurgulione ac partibus oris.*

Quod si autem è faucibus, aut gurgulione sanguis expuatur, atque is sit cõcretus [30] & ex capite delapsus

ſus veluti ſuppreſſo ſanguine è naribus quandoque contingit, abſtergente aliquo gargariſmo uti licebit. veluti aqua hordei cum melle roſato.

Si autem propter vulnus aut ulcus ſanguis fluat, gargariſmis utendum aſtringentibus: ut ex decocto plantaginis, equiſeti rubi, polygoni, calicum glandium, corticum granatorum, gallarũ, roſarum rubr. balauſtiorum, ſem. myrti & ſimilium. cui addi poteſt ſyr. de roſ. aridis vel myrtinus, & ſi ſanguis his non ſiſtatur: poterit ſimul cum ſupradictis, vel aliquibus eorum, aliquid aluminis incoqui. Vtendum autem eſt iſtis gargariſmis actu frigidis, non [31] calidis.

Si autem à partibus oris ſanguis fluat, vel à lingua, aut ex gingivis, poſca os abluendum erit, vel vinum rubrum auſterum in ore continendum, vel portulaca manducanda ut Celſus ſuadet. Si verò per hæc ſanguis non ſiſtatur, in ore continendum erit decoctum ex aſtringentibus quale ſupra dictũ eſt. Poteſt verò & locus ſi contingi queat, inſpergi pulvere thuris, maſtiches, ſanguinis draconis, aut hypocyſtide, bolo Armeno, lapide hæmathite; roſis rubris, balauſtijs, vel aliquibus horum, addito alumine uſto, vel ſi major neceſſitas [32] vitriolo uſto. Si verò etiam adeo copioſus è faucibus aut oris partibus erumpat, ut ægrè ſiſti queat, diverſiones etiam faciendæ erunt per ligaturas & frictiones brachiorum, & per cucurbitulas ſpatulis ac collo admotas. Abſtinendum ab omnibus acribus ac mordacibus.

Conſiderandum verò etiam eſt, an hujuſmodi ſanguinis fluores in aliquo morbo accidant febrili. nam qui in morbo aliquo, qui febrem habet con-

junctam, contingunt, & in die superveniant critico [33], non sunt temerè reprimendi.

## *De Vomitu sanguinis.*

### *Lect. 69. Ianuar 20.*

Ex ventriculo, ut dictum est, sanguis vomitione [34] rejicitur, rarissimè autem ab ipso ventriculo aut ejus aliqua parte læsa frequentissimè enim, qui vomitione profunditur, in ipsum aliunde prius influxit. & talis niger ac crassus esse solet, & admodum copiosus [35] & cum magna vehementia vires valde dejiciens evomitur adeo: ut & multi in ipsa sanguivomitione deficiant ac moriantur.

Influit autem sanguis in ventriculum; vel ex jocinore: vel ex liene malè affectis. aliquando ex venis, mulieribus quidem quando menses non respondent. A jocinore sanguinem effusum [36] ostendunt præcedentia: ut faciei color ad luteum vergens, hypochondrij dextri tumor aut dolor, frequens sitis & calor præter naturam, præsertim si multa frequensque vini potatio accesserit. Deficiunt autem ut plurimum in ipsa vomitione qui sanguinem ab hepate profundunt, quod & in Coacis scriptum reperitur his verbis: Qui sanguinem [37] spumosum [38] spuunt hypochondriũ dextrum dolentes ab hepate spuunt, & moriuntur.

2. A liene autem sanguinem per vomitum ejectũ provenisse, indicat color faciei multo tempore pallens ac lividus, & in sinistro hypochondrio tumor [39], aut durities. Deficiunt & quandoq; hi, sed rarius in

in 4° prima, in altera verò, vel tertia, vel post sequente alia, frequentius. in quarũ aliqua si non deficiant: tandem in ascitem incidunt, quod videtur & Hipp. prorhetic. lib. 2. observatum habuisse: Cui multus, inquit, sanguis sursum ac deorsum eruperit, & febris [41] insuper accesserit, cum multa aqua repletum iri timor est. atque hic hydrops brevissimi temporis est, & ex [42] quo paucissimi evadunt. Additur ab Hipp. si febris accesserit; sed ex liene sanguine profuso etiam absque præcedenti febri frequenter accidit Ascitem subsequi. cui non esse remedium sæpius memini observatum.

Recurrunt autem sanguinis ex liene vomitiones incertis temporibus [43], subinde paucis, subinde multis mensibus intermedijs.

3. Si autem propter menstruorum suppressionem [44] sanguinis vomitus mulieribus accidat, non hypochondrij alicujus dolor aut tumor præcessit, sed quandoq; faciei color pallidus & difficilis in ascendendo respiratio, & alia retentorum mensium signa. Contingit verò & quandoque hujuscemodi vomitum cum magno impetu ac violentia fieri & vires dejicere & lipothymiam ac periculum inducere. In Coacis tamen legitur. sterilibus & non parientibus sanguinis vomitum [45] ad conceptionem prodesse.

## *Curatio.*

Quod si igitur sanguis ex vulnerato [46] aut læso ventriculo efferatur exhibenda sunt familiaria ac grata, quæ vomitum supprimant, cura vulneris interim non neglecta.

Sed quando is,qui aliunde influxit,vomitione re-
funditur : frictiones, ligaturæ crurum, brachiorum
faciendæ ſunt. & viribus conſulendum odore aro-
matum,& generoſi vini exhibitione,veluti vini aro-
matitis,ſi haberi potuerit.

Ventriculi oſtium ol. maſticino, cydon. vel myr-
tino iuungendum. ſyr. ex roſis aridis, aut myrtinus
exhiberi quoque poterit. Abſtinere autem ab ijs
oportet,quæ ori ingrata nauſeam & vomitum 47 ex-
citare poſſent. tutiſſimum eſt juſculis aſtringentia
quædam admiſcere:veluti roſas aridas. quæ cum ca-
po,aut pullo gallinaceo coqui potuerunt,primis die-
bus cibi ac potus loco futura. Poſtridie,aut ad lon-
giſſimum tertio die,ſi alvus non ſponte reſponderit,
enemate aliquo facili expurganda erit , ne ſanguis
concretus in inteſtinis putreſcens, febrem excitet,
in hujuſcemodi enim profuſione non omnis ſanguis
ſurſum evomitur, ſed pars ejus quædam ad inteſtina
deſcendit.

Si autem æger enema ſibi iniici non patiatur; po-
terit dilutum rhabarb. exhiberi. quod non ſolum,
quod vitioſum eſt expurgat , ſed & roborat partes
debiles aſtrictionem relinquens, & præferendum
eſt mannæ & caſiæ , quæ vomitum & nauſeam ex-
citant.

Sedato vomitu.ac repurgatis inteſtinis,ac viribus
reparatis , ſi ex 48 liene profuſio facta fuerit : huic
erit providendum & victus ratione idonea , tum &
unctionibus , aut emplaſtris foris admotis : ut ol.
capparorum, ung. aut empl. ex ammoniaco. Uti-
liſſimus autem in hoc 49 caſu abſinthij vulgaris uſus
eſt, quocunque aſſumatur modo : vel in vino aut in
cere-

cerevisia maceratũ, vel in forma syr. aut conservæ.
Si autem propter menses retentos mulieri aut virgini sanguinis vomitio facta fuerit, represso vomitu viribusque reparatis, observata bona victus ratione, erit vena pedis interior juxta talum aperienda & abstinendum ab ijs quæ menses remorari possent. Mensibus vero suo tempore succedentibus sperandum est ab omni periculo vomitionis sanguinis deinceps tutas futuras. Contingit tamen & non suppressis mensibus mulieres quandoque sanguinem evomere. quod ipsis vel à jocinore, vel à liene quoque accidit, & ex signis supradictis, tamen ex non suppressis mensibus cognosci potest. adhibenda tunc & istis remedia prius dicta.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Propter ulcus vulnusve ibi consistens: aut propter sanguisugam.

2. Gal. de loc. aff. 4. c. 6. ex cerebro & gurgulione tussi rejici scribit quem vide.

3. Sic quasdam gravidas sanguinem exspuisse vidimus, & curatas fuisse.

4. Quam tinnientem vulgo, **de Kinck-hoest**/ seu clangorosam malis dicere, vocamus.

5. Qualem in navarcho illo fuisse necessum. qui post sanguinis sputum, vas in multos ramos divisum; dein aliud palmam longitudem adæquans extussijt, ac paulo post mortuus est.

6. Adrianus Imperator quum in venatione costam & jugulum fregisset, sanguine copiose rejecto in phthisin & hydropem incidit. quæ ipsum, & non turbæ medicorum, proculdubio perdiderunt. Dion. & Æl. Spartian.

7. L. Sylla animi concitatione nimia, atquæ immode-

moderatæ vocis impetu, convulso pectore, spiritum, cruore, ac minus mistum evomuit. Vel. Maxim. l. 9. c. 2. Idem in prælio cum altiore voce suos hortaretur Antigono Macedonum regi. Polyb. l. 2. in fine. Et Valentiniano Imperatori ex ira & clamore. Suyd. accidisse testantur.

8. Iuvené vidimus, qui lapillos tophaceos hordei grani magnitudine & forma, aliquandiu exspueret.

9. Qui sanguinem multum excreant spumosum, ijs ex pulmone educitur. Vide comm. Gal.

Spumosum à spiritu pulmonis educitur, ut satis ostendit Gal. 4 de loc. affect. cap. 6.

Ex pulmone spuma sanguinea .i. plus spumæ parum sang. ex thorace sanguis spumosus. I. Huernius.

10. Quod à vasis cordi proximis, & confertim in vias spirationi dicatas, irruat.

11. Ut humores incrassentur, & meatus oblinantur.

12. Non refert quo loco, potest modo in dextro, modo in sinistro brachio secari.

13. Qui leniter astringit & emplasticus est: qua ratione magis prodest, quam astrictione.

14. Phylonij mentio non fit à Gal. forte quia calida nimis habet ut piper.

15. Tunc enim catarrhi & sanguis quiescunt.

16. Quales sunt potiones vulnerariæ dictæ.

17. Astringunt, oblinunt, consolidant.

18. Quia nemo sine motu pulmonis loqui potest.

19. Quia humiditas sanguinis fluxum magis irritat.

20. Hinc Domnino Æsculapius in vestibulo templi, quod ipsi apud Athenienses dicatum erat, ad captandum oraculum dormienti, ut carnibus suillis vesceretur, consuluit. Suydas.

21. Ex quo vena aperiri & sanguis fluere potest.

22. Cujus indicium dare potest febris adjuncta.

23. Quod facit ad glutinationem vulneris, & reparationem virium.

24. Ne quid ſit quod lac in ventriculo corrumpat.

25. Quod tenuius & magis ad humanum accedit.

26. Qui expurgat magis quam reliqui : quia cum melle componitur. quamvis & alij cum melle componantur. verum nimis vehementes ſunt.

27. Quibus nonnulli magno cũ ſucceſſu utuntur.

28. His pulmo totus niger ac corruptus eſt. intectus alba membrana. totque in eo foramina quot vicibus ſanguinem expuit æger.

29. Quod alijs alioqui noxium foret. ad recreandas cordis vires.

30. Non magnum in eo periculum. niſi fortè ibi putreſcens noxam daret.

31. Calidum enim hæmorrhagias lædit. 5. Aph.16.

32. Debet ad aliquot horas relinqui. nam cruſtam facit. qua ablata major fieret ſanguinis fluxus.

33. Natura enim donec ordinate agit non eſt refrænanda; ſin contra, inhiberi poteſt.

34. Si aſtantes ſtupidi non poſſint indicare num ſpuendo, vel vomendo ſit ejectus : ex fecibus animadvertetur. nam ſi fuerint nigræ : ex ventriculo evomuit.

35. Unde & aliunde influere colligi poteſt. ipſe enim ventriculus exanguis.

36. Hunc aliquando minus nigricantẽ, vel potius ichoroſum dum circa ventriculũ hæreret graviſſimas anguſtias intuliſſe vidimus; à quibus, illo copioſiſſime vomitu profuſo, ſtatim æger liberabatur.

37. Ob craſſitudinem ſpumoſus quodammodo videtur.

38. Abuſivè, pro vomunt. ſic quum de eductione ſanguinis è pulmone ageret, dixit vomunt, pro tuſſiendo ejiciunt.

39. Ex liene prodijſſe, ſi tumor ſiniſtri hypochondrij vomitione ſubſideat, conſtabit. Archig. apud Aët. cap. de ſang. ſputo.

40. Lien

40. Lien enim non eſt pars vitæ tam neceſſari quam hepar.

41. Videtur hoc tempore Hipp. eveniſſe quo inteſtina non eluerent. fieri enim non poteſt ut ſanguis in inteſtinis putreſcat & febris non excitetur.

42. Mulier quædam, quæ ex vomitu ſanguinis in Aſcitem incidiſſet & poſtea ſibi ab eo liberata videretur, in vomitum rurſus incidit, ac defecit. R. Dodo

43. Prout nimirum bono vel malo regimine utuntur.

44. Hipp. in epid. non videtur aliam in mulieribus cauſam agnoviſſe : Mulieri ſanguinem vomenti menſes ſubſtitiſſe neceſſe eſt. lib. tamen 1. de morb. mul. ex partu etiam fieri agnoſcit,

45. Quia natura onere liberata, ad menſes protrudendos eſt expeditior. ijs excluſis ad conceptum aptiores.

46. Ut cuidam, qui vulnus ad xiphoidem cartilaginem acceperat & tamen ſanatus fuit, licet. Hipp. hoc lethale pronuntiet. 6. Aph. 10. R. Dodon.

47. Præſtat enim iſtum ventriculo concludi, quam evomi. fluxus enim magis concitaretur. ſanguis verò theſaurus vitæ eſt. deſcendunt tamen ad inteſtina cum fecibus.

48. Nam qui ex jecore vomunt, plerumque moriuntur.

49. Quo etiam ſervati quotcunque evaſere. roborat autem viſcera ac nonnihil abſtergit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXVI, ad Caput XXVI.*

[*Iuvenem vidimus qui lapillos Tophaceos, hordei grani magnitudine, & forma aliquandiu expueret.*]

Multa ſunt quæ in corpore humano renaſcuntur mala : ſed plura quæ vix fidem merentur, verius monſtra dices. Trice-

Tricenaria fœmina, vidua restricta passa est menstrua per semiannum, & cum hæc evacuatio fœminas multis modis beare soleat, ex hac suppressa vacuatione restagnante materia ad partes superas, quoque tetro vapore, cerebrum suâpte naturâ debile concutiente, ingens sequuta est Cephalalgia, ex ea ob vigilias, debilitato corpore, & mucosa materia redundante, & ad coxam defluente, immanis *Ischiæ* dolor subsequutus est, cujus sævitia infirmo facto partis calore, & mucoso humore suborto, supervenit luxatio partis : tandem ad summam inopiam pusillo redacto calore, œdema in toto fœmore renatum cum aliquali duritie conjunctum, intus multa serosi humoris copia inerat (Hydropem potius particularem diceres) & ita in tumorem elevatum est fœmur, ut in vastam magnitudinem excresceret.

Ex altera radice non cessabat diffluxus crassi humoris in partes inferas confluere, & sic vitio in vitiũ mutato, tussis repullulavit ferina ex salsi & viscidi humoris copia emanans, ad quam etiam erosis vasis pulmonis, sanguinis sputum, & febris continua accessere, & tota tabida facta est.

Præscripsi plura auxilia quæ tantis malis auxiliarentur apprime, quæ ut varia erant, ita diversa expostulabant præsidia.

Hæc omnia frequentia sunt, & à medicis usu frequentissimo comperta.

Verum unum notabis rarissimum, cujus causâ hæc observatio facta est: nam una die ferâ tussi concussa, & pectore toto gravata, ac si intus onus aliquod grave gestaret veluti strangulata, excrevit sphærulam (globum seu pilam palmariam putares) mucoso lentoque humore compositam, membranis quibusdam & filamentis duris circumtextam, & quod mirabilius est, dissecta hac tophacea mole, intus inventus est lapis durissimus subruffus, Dactyli instar, qui latera appensus drachmas duas exactè ponderavit: quo expulso ingenti factâ Hæmorrhagiâ, ipsa in

animi

animi deliquium incurrit, sed refocillata, commodo alimento, ad se rediit.

De cætero, morbus omnia remedia contemnens ipsam tandem ad *Marasmum*, & deinde ad mortem deduxit.

Menstruorum autem retentorum. Curationem recte docet auctor quæ est præcipue per venæ sectionem in pede. Auctoris verba hæc sunt.

[*Erit vena pedis interior juxta talum aperienda.*] Intellige sinistri potius, quæ saphena dicitur, ob rectitudinem.

# DE HÆMORRHAGIA.

## CAP. XXVII.

*Lect. 61. Ianuarij. 23.*

DE sanguinis è naribus fluore, qui in febribus supervenerit, ante dictum. nunc de eo qui ex alia causa mediocritatem excedit.

Causæ autem hujus fluxus vel externæ vel internæ sunt. Externæ ut casus, percussio, vehemens exercitium,[1] diutina sub sole mora. Internæ, nimia sanguinis redundantia, vel ejusdem vitium. Refert autem non parum, an continuus sit sanguinis fluxus, an intermittens & per vices recurrens.

Continuus ex quacunque causa, periculum evidens mortis affert nisi sistatur. Vena media aut interna secanda erit, si vires ferant ægri, brachij quod è directo est naris sanguinem fundentis. Ligaturæ etiam faciendæ sunt ac frictiones brachiorum, fœmorum, & crurum. Cucurbitula etiam hypochondrio, si non cesset fluxus, quod è directo est, erit admoven-

movenda, utiles quoque collo ſunt ac ſpatulis appoſitæ cucurbitulæ, cum ſcarificatione etiam, ſi vires ferant.

Fronti imponenda ſpongia frigida, poſca madefacta; vel calaplaſma ex bolo cum ovi albo, & aceto roſaceo, ſi haberi poterit. quod quam citò incaluerit amovendum, ſubſtituto altero frigido. cui ſi addatur ſuccus plantag. polygoni aut burſæ paſtoritiæ, aut herbæ ipſæ contuſæ, efficacius erit.

Quod ſi nec ſic ſanguis fluere deſinat: linamentum ſive turunda naribus imponi debet imbuta pulveribus aſtringentibus cum ovi albo permixtis: ut pul. thuris, boli, ſang draconis, hypociſtidos, lap. hæmathit. cui ſi addatur alumen uſtum efficacius erit, ac magis aſtringet. Debet autem turunda adeò longa eſſe, ut ad oſtium venæ ſanguinem profundentis pertingat. deinde & faſciola liganda, ne excidat. Quod ſi pulveres ſupradicti non ſuffecerint; addendum vitriolum rubefactum. quod & ipſius turundæ cacumini illini poterit, inſtar cauterij autem hoc cruſtam facit, atque idcirco hoc admoto turunda citò eximi non debet; ſed ſinenda ad 3. uſque diem. ſi prius eximatur, periculum erit ne cruſta ablata iterum ſanguinis profuſio major ſequatur, quam antea, oſculis venarum magis patentibus. Quæcunque autem fluente è naribus ſanguine adhibentur, ſive cibi ſive potus: omnia actu frigida eſſe debent. expedit & locum eſſe frigidiorem in quo æger decumbit. Caput etiam erectum hunc tenere convenit. Fugienda ſunt omnia calidiora & excalfacientia. Vinum etiam non dandum niſi dejectæ vires poſtulent.

Sanguinis autem per nares fluxu per vices recurrente, ſi adſint ſanguinis redundantis ſigna, optimum ac præſtantiſſimum, ſanguinem detrahere, etiam ſæpius, ſi fluere non deſinat. Adhibita victus ratione, quæ nec excalfaciat nec multum ſanguinem generet, ut ſunt vinum, ova, carnes teneriores, à quibus idcirco abſtinendum.

Quod ſi autem non copia in cauſa fuerit, ſed ejuſdem vitium & tenuitas, & ſigna adſint ſuperabundantis bilis: corpus med. purgante bilem, expurgandum. Abſtinendum verò & à vino ac omnibus calfacientibus: ut aromatis & quibuſcumque acrimoniam habentibus. Non præſentibus ſignis bilis, ſanguine tenui & aquoſo exiſtente: mediocriter calidorum uſus, & vini dulcis ut Cretici, aut rubri non eſt inutilis. Conveniunt in utroque caſu cibi lenti ſucci: ut pedes & carnes muſculoſæ animalium, & ſimilia his.

Perſeverante autem hujuſmodi fluxu, metuendũ ne Lienteria aut Hydrops ſuccedat, quod & Hipp. 1. proret. oſtendit: Quibus ſanguinis eruptiones plures, his temporis progreſſu alvi malè afficiuntur: ſi non urinæ concoctæ fuerint.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Attila ob Honoriæ Valentiniani ſororis nuptias convivia exercens, dum tantum vini quantum nunquam antea in ſimul bibiſſet, cum ſupinus quieſceret, eruptione ſanguinis, qui ei de naribus ſolitus erat effluere, per fauces, quod impediretur, illapſi, ſuffocatus & extinctus eſt. Paul. Diacon. l. 15. Iornand. de reb. Gothicis.

2. Sep-

2. Septuagenarium, triginta libris sanguinis per nares effluxis, convaluisse tamen, & decem annis superstitem fuisse referebat Niger med. Patavin. anno 1587.

3. Propterea quod crusta ex partium illarum adustione fiat, quæ vasis incumbunt.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXVII, ad Caput XXVII.*

*Fernelius, lib. 2. de venæ sectione cap.* 1. contra omnem medicorum mentem arbitratur nullum sanguinis è naribus profluvium, licet Criticum, salutare esse, ejusque ope nullum acutum morbum solvi posse.

Quam sententiam *Iohannes Bravus Petrafitanus in commentis, & Augenius, tomo. 2. Epistol. Epistol* 9. acutè redarguunt, & ego hoc dogma falsum esse luculenter comprobavi cum *Hippocrate* 4. *acutor.* 10. dicente: *Morbos acutos solvi si è naribus ubertim sanguis erumpat, licet autem sanguis sit ruber, exuberantem tamen sanguinis copiam in venis redundantem vacuare potest, summo cum ægrorum commodo.*

Cur autem Fernelius ita misere fuerit deceptus, & cur sanguis per nares fluens fere semper rubidus appareat, explicat inter omnes acutissimus *Zacutus Lusitanus lib. 7. Hist.* 64.

## DE PLEURITIDE.

### CAP. XXVIII.

De Pleuritide. *Lect.* 62. *Ianuarij* 24.

LAteralis dolor [1], de quo agimus, ille est, qui circa partes thoracis, quæ ipsis costis circumscribuntur, consistit. Causæ circa has partes doloris

quædam externæ esse possunt ut casus, percussio, & similes. sed ex talibus causis dolores ad præsentem tractationem non pertinent. de eo enim lateris dolore, qui citra tales causas, & potissimum ab internis causis natus est nunc dicendum. quem Latini veteres medici propriè lateralem dolorem: Græci verò & hæc ætas Pleuritidem vocat.

Est autem Pleuritis vel legitima sive exquisita, vel notha sive spuria. Exquisita pleuritis inflammatio est intra [2] membranam intrinsecus costas & latera succingentem nata.

Signa hujus sunt dolor vehementer pungens, respirandi difficultas, tussis aliquando initio sicca, verum non diu talis, sed cum sputo eoque etiam sæpe & citò cruento: febris acuta non intermittens: pulsus durior quam pro natura, in duris etiam corporibus [3] serratilis.

Oritur autem hæc inflammatio à sanguine & ut plurimum à bono, aliquando verò & ex bilioso, rarius ex pituitoso, rarissimè autem ex melancholico sanguine. Ex sanguineo humore pleuritide facta sputum citò cruentum redditur. si ex bilioso, flavuum aut subluteum expuitur. tardè verò & minus sanguine tinctum [4] procedit: si ex pituitoso sanguine nata fuerit pleuritis. tardissimè autem succedit, quando ex sanguine melancholico pleuritis originem habet, atque hoc ipsum atro ac [5] nigricante sanguine tinctum. Refertur autem pleuritis ab Hipp. inter morbos qui hyeme potissimum oriuntur. non tamen incipiente hyeme, nec vigente, sed desinente & circa veris initium ferè supervenit. Propensi ad hanc sunt juvenes & mediæ ætatis

multo

multo ſanguine abundantes. Hi enim ſi poſt labores &c exercitia calfacti ſeſe frigido [6] aëri expoſuerint, acilè pleuritide corripiuntur. qui verò natura ſunt rigidiores minus huic morbo obnoxij ſunt : veluti cidum ructantes. quos Hipp. in aph. 36. lib. 6. non valde morbo laterali corripi, reliquit ſcrip-um.

Affinis autem & quodammodo ſimilis pleuritidi ocinoris apparet eſſe inflammatio, ſed diſcrimen x eo percipi poteſt : quod dolori inferius hæreat, iec ſupra ſpurias coſtas extendatur, & nou puncto-ius ſit, ſed magis [7] gravativus, neque reſpiratio mul-um læditur, & tuſſis ſi quæ adſit ſicca ſit & arida, bſque ſputo. pulſus verò & minus durus, faciei au-em color pallidior [8], & quandoque excrementa al-i liquida ac ſubcruenta, ac loturæ carnium ſimilia, quod tamen non ſemper accidit.

A legitima autem ac exquiſita pleuritide non pa-um etiam Notha differt. dolor quidem circa tho-acis partes conſiſtit, ſed in muſculis intercoſtali-us externis inflammatio eſt, quæ & admotis digitis dolore intenſo percipi ac ſentiri poteſt. quæ ubi ad uppurationem venerit, incidirur ac aperitur, ſi non ſponte eruperit. febris hanc nulla, vel parva omitatur. reſpirationi exiguum accedit impedi-nentum. tuſſis nulla niſi fortè exigua, arida, pau-a : pulſus neque [9] tenſionem, neque duritiem abet.

Ad pleuritidem notham refertur & ab Aëto ex-ruditatibus, & cibis craſſos ac pituitoſos humores ngenerantibus originem habens affectus. quando nim tales humores [10] repente in vacuum ſpatium

pectoris,atque in ipsum pulmonem sese ingesserint, multitudine sua subcingentem latera intrinsecus membranam distendentes dolorem inferunt, talem quidem ut inexpertis pleuritidis imaginatio exhibeatur, & spiritus vias intercipientes vehementem spirandi difficultatem inducant. supini autem sic affecti ferè decumbunt : ut plurimum quoque non febricitant [11] & frequenter frigidius solito eorum corpus reperitur. si febri afficiantur,debilissima hæc est, minimè siticulosi sunt, ac pulsus eorum parvi ac tardi.

Huc referri potest & ille lateris dolor, qui quandoque phthisicis omnino extenuatis molestus est: febrem hic etiam non intendit & propter conceptum aliquem flatum frigidum oritur, [2] ac pulmonis, subcingenti membranæ, adhærentis, signum est.

Exquisitæ pleuritidis curatio à sanguinis [3] missione auspicanda, detrahendus autem est ex vena interna aut media brachij : quod è directo [14] est lateris dolentis, ut Hipp. fecit,in quo & Gal. consentit. qui pleuriticis, ut ait, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit sanguinis missio clarissimam sæpe utilitatem attulit. quæ verò ex brachio opposito: aut omnino obscuram : aut certè post temporis intervallum.

Copiosè autem detrahendus est sanguis, & eousque auferendus, si vires patiantur, donec color ejus mutetur & rubicundior [15] fuerit : aut ut Hipp. donec pro rubicundo & puro, lividior vel nigrior factus sit.

Misso sanguine,si alvus dura non responderit, leniens aliquod enema injici ex re erit.

Quod

Quod ſi vires copioſam ſanguinis detractionem
on ſuſtinuerint,& dolor ſe nõ remiſerit,reiteranda
rit venæ ſectio & ex eadem vena, vel ex vena ejuſ-
em manus. quod & faciendum etiam ſi poſt lar-
am ſanguinis miſſionem non multò minor ſit fa-
tus dolor. Reiterari autem & venæ ſectio in mag
a neceſſitate eodem poteſt die. ſecus unam aut al-
eram diem intermittere præſtat.

Poſt ſanguinis miſſionem locus dolens ſæpius un-
endus erit oleo amygdal. dulcium, vel pinguedine
ecenti caponis, aut gallinæ, vel butyro recenti in-
ulſo, aut ſi illud non eſt præſens butyro loto cum
qua ſimplici, vel cum aqua decoctionis hordei, vel
um aliquibus horum permixtis; addita exigua ce-
a,aut pinguedine vituli,ut ſit inſtar linimenti.

Quod ſi cauſa doloris frigidior fuerit,addi pote-
it oleum chamæmelinum, vel anethinum, vel ung.
ialthæas. addi etiam poteſt muccago ſem. lini &
œnugræci,aut muccago rad. althææ.Quod ſi verò
ales unctiones non ſuffecerint,utiliter lateri dolen-
i admovebitur [16] cataplaſma, præſertim morbo in
etuſtatem abeunte: ut ex rad. [17] althææ in aqua
ecoctis addita farina hordei, & nonnihil florum
hamæmeli ac meliloti,& poſtquam coctum fuerit;
l. amygd. dulc. & chamæmel. admixtis. Si cauſa
norbi frigidior fuerit & ſputum ægrè procedat:
ddi poteſt cataplaſmati ſem. lini & fœnug.& ung.
ialthæas.

Exhibenda quoque ſunt eclegm. ſputi conco-
tionem promoventia:ut initio ſyr. de violis addito
yr. de capillis Veneris,vel ſi materia omnino tenuis
uerit, ſyr. de jujubis. Procedente tempore ſyr. de

glycyrrhiz. Mesue, vel solus vel cum alijs per
mixtus dandus. Sub finem verò syr. de hyssopo
Posset verò sputum & adeo crudum & contuma
esse, ut difficulter & cum labore procederet, qu
casu supradictis syrupis, vel syr. de succo limonum
vel acetos. simplex, aut oxymeli simplex admiscen
dum.

Vtilia quoque eclegm. diatragacanthes & diape
nidion.

Purgans verò & aliquod med. intermedio tem
pore exhibere convenit, non tamen potens, sed fa
miliare ac non 18 vehemens. quod videlicet humo
res circa intestina & primas venas hærentes tan
tummodo expurget. ut sunt manna, cassia fistula
syr. ex frequenti infusione rosarum, diacathol. &
quæ similia: quæ vel per se dari, vel cum decocto
violarum, uvarum passar. glycyrrhizæ, hordei
sem. melonum misceri possint, in quo decocto si
nonnihil rhabarb. fuerit infusum, med. futurum
erit utilius.

Victus ratio initio tenuis esse debet, ut ex cre
more ptisanæ, vel lacte amygd. dulcium, vel pane
loto .i. 19 pane cũ aqua & saccharo hordei. Proce-
dente tempore paulò plenior conceditur: ut pullus
coctus cum ptisana. Potus sit ptisanæ decoctum cum
uvis passis & glycyrrhiza.

Abstinendum ab omni frigido non modo aëre,
sed & cibo ac potu, & alio quocunque, donec
omnis fuerit sedatus dolor, & pectus plene ex-
purgatum. Somnus si non successerit syr. de pa-
pavere vel diacodion dormituris exhiberi po-
terit.

Pleu-

*Lect.27. Ianuar.27.*

Pleuritis morb. eſt acutus cujus incertus [20] eſt exitus, non raro morte terminatur: præſertim accedente errore aliquo. quandoque cum criſi ad ſalutem deſinit. permutatur & aliquando in peripneumoniam, ſuccedit ei nonnunquam empyema .i. puris in thorace collectio. Pleuritidem [21] autẽ in peripneumoniam tranſire malum eſſe Hipp. ait. cujus ſunt ſigna febris, quæ remiſerat, major facta, calor quam antea intẽſior, faciei [22] calor rubicundior, reſpiratio quæ fuerat liberior iterũ difficilior reddita, [23] ſputi retentio, & lateris doloris intenſio, non tamen punctorij & ſæpius alio quam antea fuerat loco. Expectandum .a. fuerit empyema, ſi in 14. diebus pleuritide laborans non fuerit per ſputũ expurgatus. quod tamen non [24] ſemper, ſed quandoque pleuritidi ſupervenit, & non prius quam poſt 14. diem. ceſſat tunc dolor [25] lateris, deſinet & febris, ſed non in univerſũ. exigua enim quædam remanet, & pus expuitur aliquando purum, aliquando fæculentum. Bonum autem in omni pleuritide ſputum citò ac facile expui, quo enim citius prodierit: eo morbus brevior futurus eſt. ſi tardius appareat, in longius morbus protrahitur. Sputum autem optimũ eſt, quod cruentum & valde permixtum [26] apparet: deterius quod non valde permixtum, quodque flavum aut ruffum, album, viſcidum & † rotundum, ut Hipp. ait. inutile eſt. malũ autẽ valdè viride; atq; hoc etiam deterius, quod nigrum. Iam & malum eſt pleuritide aut peripneumonia laboranti adveniens alvi profluvium ut Hipp. ait. ſignificat enim, ut Gal. interpretatur, hepar per conſenſum ita malè affici, ut præ imbecillitate

non queat ad ſe attrahere alimentum, neque id in ſanguinem convertere. Poteſt tamen prodeſſe profluvium 17 ratione vacuationis, apparentibus ſignis concoctionis,& morbo non vehementiſſimo.

## *Spuria Pleuritis.*

Spuria pleuritis ſanguinis miſſionē non neceſſario requirit.ſed tamen ſi adſit repletio,& vires ætaſque conſentiant; utiliter etiã vena ſecatur,veluti & in omni lateris dolore ex caſu,aut percuſſione,aut ſimili externa cauſa: præſertim ſi febris qualiſcunque acceſſerit.Eclegm.in ſpuria pleuritide non eſt opus ſed leni medicamento corpus utiliter quoq; expurgatur. Locus dolens oleis ſupradictis ungendus. cataplaſma & eidem ſimile imponi poteſt, quod ſi verò ad ſuppurationem inflammatio tendat: adjuvanda erit ſuppuratio caricis rad. liliorum, & fermento cataplaſmati additis.Vbi ad ſuppurationem venerit, ſi non ſponte eruperit, abſceſſus incidendus & aperiendus erit. reliqua deinde curatio facienda, qualem abſceſſus requirit.

Sed ſi à caſu,aut percuſſione dolor factus fuerit: initio ungenda pars læſa ol. roſato, vel myrtino, aut utriſque ſimul permixtis,addito exiguo aceti.

Si dolor magnus ſit,dictis ol. addendus pulvis roſarum rubrarum,ſem. myrti,ſang.draconis, acaciæ, hypocyſtidos & ſimilia,& ceræ. q. ſ. ad formandum ung. ſolidum inſtar emplaſtri. quod deinde linteo panno inductum, loco dolenti calidum admovendum.Procedente tempore oleis addi poterit ol.chamæmel. vel etiam nonnihil laurini.

In

In lateris autem dolore [28] de quo Aëtius. ſcribit, non expedit ſanguinem detrahere ; ſed calfacientia inciſiva & repurgantia intrinſecus & extrinſecus offerenda. alvus enematis ſubducenda, aut ſi vires ferant med. aliquod quod pituitam expurget exhibendum : quale in aſthmate ex crudis humoribus. Eclegm. etiam qualia in tali aſthmate ſunt offerenda. Pectus & latera ungi refert ung. aliquo calfaciente, & dolorem leniente, ut ex ol. anethino, liliorum, rutaceo, & ſi majore calfactione opus ſit, laurino oleo etiam permixto. Requiritur victus ratio qualis in aſthmate. Vtiliſſimus potus eſt [29] hydromeli ; præſertim ſi nonnihil hyſſopi in eo ſit incoctum.

Lateris dolor phthiſicis ſuperveniens nullo modo ſanguinis detractionem admittit. fomentis ſolvitur, ut ex floribus [30] chamæmel. & ſem. cymini permixtis & in ſacculo conſutis. qui rore vini calfactus dolenti loco admovetur. Vtiles quoque unctiones ex ol. liliorum & anethino obſervata victus ratione, qualem phthiſis requirit.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Telum lateris dolor eſt, dictum, quod corpus dolore inſtar gladij tranſverberat. Iſidor. l. 4. c. 6.

2. Quæ tamen ab externis quandoque irritant. Sic Agron Illyriorum, quum devictis Ætalis perpotationibus & convivijs indulgeret, in Pleuritidem ſibi funeſtam incurrit. Polyb. l. 2. Athen. l. 2. Ælian. l. 10. variæ hiſtor. 2. Non ipſius membranæ.

3. Non tamen in noſtris corporibus hoc veritatem habet.

4. Quandoque vigeſimo primo die, ut in Anaxione, cujus meminit Hipp.

5. Non

5. Non simpliciter nigrum. neque enim ex syncera melancholia.

6. Quod forte ventus ad thoracis cava penetrans cogat sanguinem in grumos: unde inflammatio.

7. Ob partis stupidum sensum.

8. Omnes verò thoracis affectus benè coloratam reddunt faciem.

9. Quod nervosæ partes, ut Pleura, minus afficiantur.

10. Nam sæpenumerò afferunt dyspnœam, non dolorem: nisi repentè influant.

11. Quia materia frigida est.

12. Ut in D. de l'aubespine, cui pulmones putres costis adhærentes cum ulceribus varijs. in cons. Fern. consil. 20.

13. Enema 1. immitti, ut quidam volunt, non debet, neque enim tamdiu cessandum in mittendo sanguine. potest tamen post injici.

14. Quam tanti fecit, ut etiam naturalem fluxionem neget prodesse nisi è directo fiat. sic lædi etiam quibus tumente liene è dextro nare fluit.

15. Ut plurimum autem initio niger est.

16. Atque hæc tutissima via. non epithematis, neque fomentis, usus autem ijs Hipp. non ut curet, sed ut cognoscat. prætereà quod fit per fomenta & epithemata: violentè fit. non fert hic morbus.

17. Rad. alth. decoct. in aqua ad mollitiem ℥ij. farinæ hordei ℥ ß. flor. chamæm. & meliloti ana. M. ß. cum aqua decoctionis rad. althææ misceantur & f. cataplas. addito ol. amygd. dulc. & chamæmel. ana ℥ 1. cui adduntur in causa frig. sem. lini & fœnugr. ana ℥ ß. & tantundem dialthæas.

18. Non enim possibile, ut per alvum vel vomitum, quod in pectore est, expurgetur.

19. Vel etiam pane cum tenui cerevisia addito sacchato quod nostri Bier-en-broodt appellant.

20. Quia in morbis acutis materia turget; & alias alio transfertur. ut in cor Trajecto lateris miseri, capitisque dolore. Horat. 21. Aph.

21. Aph.7.aph.11.quia major morbus & vicinior cordi. deinde quod debilitato supervenit.

22. In omni affectu pulmonis magis rubet facies quam in laterum, & in laterum affectu magis quam in jocinoris.

23. Si enim potuisset exire liberè; non facta fuisset permutatio.

24. Ut 3. epid. in Anaxione, qui non est suppuratus factus.

25. Quia nulla tensio membranæ, abscessu jam rupto, superest. Atque ex hoc ægri quandoque spem bonam, sed fallacem, concipiunt.

26. Non enim fieri potest ut, non una exspuatur pituita. quod si non permista sint; imperfectæ concoctionis signum est.

† Significat enim humores frigidos & calorem magnum.

27. Ratione expurgationis criticæ. quæ per alvum etiam fieri potest à natura.

28. Nihil aliud quam asthma cum dolore.

29. Ut & in omni morbo frigido pectoris.

30. Flos anodynus. sem. cymini discutit flatus. multum profeci his. Remb.Dod.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXVIII, ad Caput XXVIII.*

Magna, de ejus cognitione apud *Galenum* est controversia, num ea sit certa, scientificaque, an conjecturalis, nam. 12.*Meth.cap.*7. scientificam esse affirmat, & *lib.* 2. *de rat. vict. com.* 3. conjecturalem docet.

Dic, 12.*Meth.cap.*7. *Galenum* dixisse vera. In alio vero loco duplici modo intelligendum esse, vel de pleuritide complicata cum alio affectu.

V.gra-

V. gratia. cum Hepatis inflammatione, aut peripneumonia. Tunc enim difficilis ejus est cognitio, quia difficile est alias inflammationes à pleuræ inflammatione discernere.

Vel dicendum *Galenum, lib. 2. acut.* non loqui de *Pleuritide* quod conjecturalis sit, vel non, sed de fomentis tentandis in *Pleuritide*, ante totius corporis evacuationem, nam tentare *Pleuritidem* discussorijs, dissolvere est, & negligere, cum sit corpus plenum, aut valde conjecturale est, de quo argumento cum agat ibi *Galenus* non contradicit loco 12. *Meth.*

## DE PERIPNEUMONIA.

### CAP. XXIX.

*Lect. 65: Ianuarij. 30.*

PEripneumonia [1] quandoque ab initio & per se oritur nullo præcedente aliquo alio evidenti morbo: quandoque ex permutatione alterius morbi fit, ut quando anginæ, aut pleuritidi succedit. Quæ per se oritur, inflammatio est pulmonis, ac modo ex sanguine puriore, modo ex [2] tenuiore & biliosiore gignitur. ex pituitoso, quod plerisque placet, peripneumoniam oriri rationi repugnans apparet. nam ex familiari pulmonis sanguine promptissimè gignitur. purus autem tenuis & vaporosus hic est, qui in dextro cordis sinu elaboratus per arteriam venalem in eum dimittitur. ex quo deinde alimentum sumit. Occasionem præbere potest humorum multitudo, maximè si aliqua extrinsecus causa accesserit veluti aër [3] hybernus frigidus. nam ut in aph. hyeme pleuritides & peripneumoniæ accidunt.

Maxi-

Maximè autem nocivus eſt hybernus aër craſſus, & vaporibus infectus pulmonis meatus obſtruens. unde inſpiratione minus libera, calore oborto, inflammatio excitatur. Deſtillatio autem tenuis & acris 4, confertim in pulmonem illapſa, ardorem inferens, inflammationis pulmonis quandoque & cauſa eſt.

Signum autem peripneumoniæ primum eſt: difficilis admodum reſpiratio. adeò ut laborantes præ anguſtia ſuffocari videantur & erecti ſedere conentur. adeſt & febris acuta. dolor verò non vehemens, ut Gal. 4. de loc. affect. ſed gravitatis ſenſus, qui ad pectoris ſternon & dorſi ſpinam non rarò extenditur, ubi videlicet membranæ pulmonem ambientes ſuſpenduntur. Hipp. autem in lib. de morb. & in lib. de dieb. decret. ſentiri quidem gravitatem confitetur: ſed ſimul adeſſe dolorem refert circa ſpatulas, claviculam, & mammam. In lib. verò de loc. in homine dolorem ſeſe ad laterum mollitudinem extendere ſcribitur. Et frequenter ſanè, non tamen ſemper in peripneumonia dolor aliquis lateris ſentitur, non quidem pungens, ſed mitior; nihilominus tamen moleſtus. At Gal. pulmonem rectè ait dolorem non ſentire, ſed membrana quæ ipſum ambit, ac conveſtit, ſenſus non eſt expers, & dolorum diſtenta infert. itaque ſi humor non modo venas & arterias, ſed corpus pulmonis totum implens, putreſcat atque inflammationem interius accendat, gravitas illa tantummodo ſentitur, quæ ad ſternon & ſpinam dorſi ſeſe extendit. Quando verò ad unam aliquam pulmonis partem, ut exteriorem, inflammatio conſiſtit. dolor in latere diſtenta membrana ſentitur,

differt

differt à pleuritide: quod non ſit punctorius, & arteriarum pulſus haud durus, ſed mollis, quandoque magnus. Maxillæ ſive genæ in peripneumonia magis rubentes ſunt quam in pleuritide.

A ſanguine autem puriore ortam peripneumoniam ſputum oſtendit rubrum, cruentum, & febris mitior, à bilioſo verò ſanguine ſputum prodit flavum, non multo ſanguini permixtum, & febris ardentior eſt magiſque acuta, ac lingua aſperior.

*Lect.66: Ianuarij.31.*

Sanguinis autem detractio in peripneumonia neceſſario requiritur, quæ & ſtatim ac mox initiò facienda eſt, & ex dextri quidē brachij interna vena. ex altero brachio iterari poterit neceſſitate urgente. Dolore verò in aliquo latere exiſtente, è directo lateris dolentis ſectio facienda erit: veluti in pleuritide. Pectus vero & latera ungēda ol.amygd. dulcium, pinguedine caponis, [5] butyro inſulſo, aut loto, addita muccagine rad. althææ; & ſi febris valde acuta, ol. violaceo. Si dolor adſit alicujus lateris, cataplaſma etiā admoveri utile erit, quale in pleuritide. Eclegmata in hoc morbo omnino ſunt offerenda; habita tamen ratione efficientis cauſæ. ſi enim tenuis & acris deſtillatio peripneumoniam excitarit; exhibendi erunt ſyr. qui tenues humores inſpiſſare & acrimoniam eorum obtundere queant: ut eſt ſyr. de jujubis, præſertim ſyr. [6] de papavere admixto, qui non modo defluentem humorem inſpiſſare, ſed & ejuſdem diſtilationes reprimere valet. quibus & utiliter additur ſyr. de violis, quando ſputum bilioſius & flavum apparet. Quod ſi verò propter meatuum pulmonis obſtructiones, veluti à frigore hyberno,

aut

aut ab aëre crasso & vaporibus infecto nata fuerit peripneumonia, exhibendi syr. qui citra evidentem calorem aperiendi vim habent: uti est syr. ex adiantho, cui initio nonnihil syr. de violis; procedente verò tempore [7] aliquid syr. de glycyrrhiza admisceri utile fuerit.

Alvus quoque leniente ac clementi aliquo medicamento subducenda est. veluti in pleuritide: aut similibus enematis expurgandus.

Victus ratio, qualis in pleuritide requiritur [8]. Omnia actu frig. fugienda sunt.

Morbus autem iste peracutus & admodum periculosus [9] est. qui non raro [10]. 7. die vel prius terminatur. Sputum citò prodire in hoc morbo bonum est. Optimum autem sputum, quod [11] cruentum. proximum, flavum, cruore admixtum; flavum ac omnino biliosum, deterius. Viride aut nigrum, deterrimum. Solvitur autem hic morbus ad salutem frequentius per sanguinis è naribus copiosam eruptionem, quandoque per alvi fluorem: quum spumosa & biliosa expurgantur, & apparentib. signis concoctionis & in die decretorio. aliter alvi fluorem in peripneumonia supervenire malum, ut aph. 16. lib. 6. apparet.

Aëtius verò & quandoq; inflammationem in pus converti ait, & per ventrem, aut per urinam pus excerni, atque tunc statim ab omni molestia laborantem liberari. Si verò sic pus non expurgetur: acervatim in pulmonem irruere, & laborantem suffocare, aut in phthisin morbum permutari.

Peripneumoniæ autem phrenitis superveniens, malum aph. 12. lib. 7.

Mala etiam vigiliæ sunt [12] & imaginationes mentem perturbantes, & extremarum partium frigiditates. quibus enim hæc accidunt: quarto, aut septimo moriuntur, ut Aët. testatur.

*Lect. 67. Februarij 2.*

In peripneumonia quæ non ab initio invadit, sed vel anginæ, vel pleuritidi succedit, sanguis non est mittendus: maximè si, ut Paulus ait, diu laborantes in hoc statu fuerint, & sanguis per initia detractus sit. ex priore siquidem morbo, & sanguinis detractione, vires infirmiores factæ, sanguinis detractioni non sufficiunt. Eclegmata utiliter exhibentur ex ijs, quæ pulmonem & pectus expurgare possint: ut sunt syr. de capill. Veneris: & de glycyrrhiza.

Alvum quoque enemate aliquo expurgari convenit. Si dolor latus aliquod premat, fomentis & unguentis uti licebit: ut supra dictum, ubi de anginæ in peripneumoniam permutatione. Periculosam autem, & ibidem dictum, peripneumoniam anginæ succedentem. Pleuritidi autem supervenientes securiores esse peripneumonias ijs, quæ ab initio fiunt, in Coacis legitur.

Succedit autem lateris dolori peripneumonia [13] ut Aët. ex Archigene refert: quando ad animi usq; deliquiũ sanguis detrahitur. nam refrigerato corpore, pulmo rarus & calidus, laterique vicinus promptè & facilè morbum, ait Aëtius, suscipit; atque idcirco sanguinem in pleuritide non ad animi defectionem ducendum esse ait: sed repetita sectione illum potius auferendum. & propter hanc eandem causam non è directo lateris dolentis, sed ab opposito sanguinem detrahi vult, in quo ab Hipp. & Galeni doctrina recedit.

Sive

Sive autem ab eodem, sive ab opposito latere sanguis detrahatur, æquè corpus refrigeratur, & pulmo rarus & calidus humorem suscipere potest, ac promptius quidem quando ex opposito sanguis 14 detrahitur, quam quum ab: eodem nam quæ ab opposito fit latere, minus cito doloris levamentum affert, quã quæ è directo. levamentum autem doloris fit vacuato humore inflammationem faciente, propter quam rationem Aëtio, aut Archigeni hac in parte nihil deferendum, sed Hipp. & Galeni doctrinæ insistendũ.

Quod autem peripneumoniæ ex pleuritide in Coacis securiores scribantur, quam ab initio factæ, id quoque sanè interpretari debet, contrariari enim ijs videtur, quæ in aph. habentur. ubi legitur: à morbo laterali inflammatio pulmonis mala. aph. 11. lib. 7. Non est siquidem de ijs peripneumonijs accipiendum: quæ eo modo, quo Aëtius refert, oriuntur: sed de ijs, quæ propter affectum aliquem prius in pulmone consistentem, velut phyma seu abscessũ succedunt. quod fit, quando humor ex inflammatione lateris in pulmonem transfertur, & per sputum expurgari nequit. tunc enim humore in pulmone hærente partes prius malè affectæ gravius affliguntur: nam & hoc modo peripneumonia pleuritidi non minus, quam anginæ succedere potest. & tales minus malignæ, ac magis salutares apparent: quam per initio ac per se invadentes. possunt siquidem hac laborantes, purulenti facti, ad temporis successum expurgari, atque sic liberari. non minus quam qui ab angina peripneumonici facti sunt.

Contingit vero 15 & quandoque, ut post febrem aliquam dolor unum aliquod latus, vel dorsum vel

aliquam pectoris partem occupet: difficili ac rectæ cervicis ſpiratione accedente. & talis ſupervenit; quando in pulmone phyma, ſive abſceſſus multò ante (citra tamen dolorũ aut moleſtiæ ſenſum) conſtiterit, qui per febrem acriore facto quod in eo continetur, pure inflammatus, quum erumpere conatur dolorem affert. & talis quidem affectus ad peripneumoniam ex permutatione factam referendus eſt. Differt verò hic non parum magnitudine. quandoque enim dolor major eſt, & reſpiratio difficilior: aliquando mitior. & reſpiratio quidem impedita, ſed minus. Major dolor fit propter abſceſſus magnitudinem, vel morbi, cui ſucceſſit, vehementiam. & talis ut plurimum citò interficit. Minor dolor mitioribus febribus ſuccedit, & minores abſceſſus comitatur.

*Lect. 68. Februar. 3.*

Adverſus hujuſcemodi dolores non alia remedia adhibenda, quam unctiones, ecleg. fomenta, & ſi alvus requirit, enemata, velut in peripneumonia ab angina ſupra dictum. Mitiores dolores ſi febribus ceſſantibus adhuc perſeverent, & per fomenta, aut unctiones non ſedentur; exhiberi utile erit, quæ purulentos humores aliquo diſcutere modo, ac reſiccare queant: quale decoctum ſarzæ perillæ: cui pro conditione ægrotantis addi poterunt, vel farfaræ, rad. vel folia, vel hyſſopus, vel, ſi non obſit calor, marrubium. ex hoc decocto manè ℥ 5. aut 6. deinde ſumat & totidem à prandio. In cœna, aut prandio hydromeli conceditur, aut vinum cum hydromelite, aut ſaccharo. Quando autem peripneumonia ex permutatione facta, ſive pulmonis abſceſſus ad ſuppura-

purationem venerit, curandi tunc erunt laborantes: veluti suppurati.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Πλευμονὶς, Hipp. Pulmonaria dici posset, ut co-um. Pulmonarios appellat.

2. Est tunc phlegmone erysipelatodes. nec obest quod fluit, ut ait ab Althomari Anton. accedit enim obstructio ex aëre, &c. A pituita non tam ardens febris, sed potius asthma, aut similis effectus exicitatur.

3. Meatus pulmonis coarctando.
Aph. 23. lib. 3.

4. Qualis, præcedente aëre fervido & superveniente subitò aquilonari vento, mense Octobri contigit. anno 1557.

5. Non sint frigida, licet morbus calidus, ne eductio sputi impediatur: sed humida, mollientia, expectorantia.

6. Eadem ratione, qua Veteres omni compositioni ad pectus, addiderunt papaver.

7. Remittente se calore, & concoctionis signis apparentibus.

8. Potus ex ptisanæ decocto cum glycyrrhiza.

9. Periculosior quam pleuritis: membrum enim nobilius afficit.

10. Rarum quod 7. epid. de caupone, cujus peripneumonia ad 14. diem duravit, narratur.

11. Non cruori permixtũ, ut in pleuritide, sed cruor prorsus: ex ipso enim pulmone producitur. Quibus flavũ, rarissimè, imo nunquã curatos vidi. R. D.

12. Quia inditio sunt rapi materiam ad caput. quod malum, nisi sequatur hæmorrhagia.

13. Duplex modus quo peripneumonia succedit pleuritidi. nos secundo modo semper fieri vidimus. ratio tamen priori non repugnat. Videtur autẽ Hip.

contra quem agit Archig. non ad defectionem animi, sed mutationem sanguinis voluisse detrahi.

14. Quod satis confitentur, qui in eadem cum Archigene sentẽtia sunt, nam materia venenata si pleuritica fit, nolunt oppositam fieri sectionem, ne rapiatur ad cor, vel pulmones.

15. Nam quamdiu ab abscessu eruptionem moliente membrana non tenditur, dolor non fit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXIX, ad Caput XXIX.*

Notum multis olim plurimum digladiatum fuisse, de affecta sede:

Alij siquidem venas pulmonis tantũ eo malo teneri volebant, ut *Diocles*, arterias *Erasistratus*, *Apollonius*, utraque vasa, *Asclepiades*, bronchia ipsa, *Praxagoras* pulmonis partes quæ spinæ conjunctæ sunt. *Demetrius*, *Herophilus* cum *Celso* volunt totum pulmonem affici, ex parte enim si fuisset tumor ille, *Pleuritem* esse volebant. *Soranus*, & *Aurelianus*, totum corpus hâc passione vexari dixerunt, sed vehementius pulmonem, atque inde nomen desumptum pulmoniæ, quod etiam attestari videtur *L. Columella*.

Sed meo quidem judicio cum *Galeno* 5. *de locis aff. cap.* 2. dicerem, inflammationem esse propriam in ipsa pulmonis substantia, ac parenchymate, turgentibus vasis. Neque est necesse, totum pulmonem inflammari, cum sæpissime unus, aut alter lobus tantũ id patiatur, ut demonstravit multorum cadaverum sectio.

*Exercitata corpora, & coacta, celerius à pleuritide, & peripneumonia intereunt, quam quæ in otio confligantur, inquit Hippocrates* 398. *Coac. progn. cap.* 16.

[*Aliter alvi fluorem in peripneumenia supervenire, malum*] Quia, ventriculus non benè conficit alimentum: aut

aut hepar non benè attrahit Chylum, ut in sanguinem conficiat.

Verum alui fluxus in hoc affectu interdum, sicut in pleuritide, utilis est, videlicet in declinatione, & si vires robustæ adsint: ita docuit *Avicenna proprio capite de peripneumonia.*

## DE EMPYEMATE.

### CAP. XXX.

SVppuratio, de qua agimus, seu empyema, collectio est humoris purulenti inter membranam costas ac latera subcingentem, ac pulmonem .i. in vacuo thoracis. comitatur hanc [1] doloris & febris vehementiæ remissio. manet tamen aliqua febris hecticæ similis, noctu [2] vehementior, interdiu remissior: donec integrè expurgata fuerit suppuratio. sputum, quod cum tussi procedit, est purulentum. Colligitur autem istud freqúentissimè in uno thoracis laterè, in quo nempe inflammatio fuit. sentitur autem in hoc gravitas, & melius in illo laborans decumbit, quam in [3] altero. sentit verò & ipse, quando ab uno latere in alterum se convertit, subinde aliquid diffluere: præsertim copiose humore purulento existente illic. atque tunc quandoq; latus affectum tumidius etiam apparet.

Sanguinis missio in suppuratione utilitatem nullam, sed nocumentum, afferre potest. nec ventrem expurgantia [4] conveniunt. Diuretica [5] leviora utiliter exhibentur. nam præter quod urinam movent etiam ad facilem expectorationem conducunt: ut

ſunt rad. fœniculi, rad. aſparagi, bruſci, hyſſop. ſcabioſa, adianth. capill. Veneris, ſem. aniſi, apij, fœniculi & ſimilia. ex quibus decoctis potiones parari poſſunt, ad expectorandum, & urinas movendas utiles. per urinas etenim & pus in pectore contentum quandoque excerni contingit: ut Gal. 6. de loc. aff. teſtatur.

Eclegm. in ſuppuratione omnino neceſſaria: inter quæ diamarrhubium Pauli [1] facile principatum tenet. quod in officinis quibuſdam ſyr. de praſſio deſcriptionis Pauli, nomine extat. cui addi poteſt ſyr. de glycyrrhiza, vel hyſſopo: & ſi aliqua adſit deſtillatio è capite ſyr. de papavere. Pectus ungi refert aliquo ſputi exitum promovente: ut ſunt dicta in curatione pleuritidis; præſertim addito ol. irino aut pulv. rad. iridis, & aliquantulo croci.

Cibus ſit concoctu facilis, ex optimis carnibus, vel recentibus ovis. Conducunt & amygd. dulcia, nuclei nucum pinearum, & piſtaciorum, & quæcunque ex his fiunt tragemata. Potus ſit aqua mulſa, vel decoctio ptiſanæ, glycyrrhiza, vel ſaccharo addito. vinum non detur niſi tenue, & ſaccharo vel aqua mulſa dulcoratum.

Perdurare autem [6] ſuppurationem ultra 40. dies malum. nam, ut Hipp. ait. Niſi ſuppuratus in 40. diebus repurgetur à die qua fit malum: ad phthiſin tranſit. Malum quoque eſt pus fæculentem, flavum, viride, & valdè fœtidum. Tumidum quoque apparere latus pernicioſum [7] eſt: multitudinem enim humorum in pectoris ſpatium collectorum oſtendit.

Seba-

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Nam hoc generale theorema: dum fit pus febris magis fit, quam facto.

2. Ut omnes hectici & phthiſi laborantes, noctu magis affligi videntur.

3. Affligitur enim tunc ſepimentum pulmonum. unde & reſpiratio difficilior.

4. Pus enim pharmaco expurgari non poteſt. licet natura fortis aliquando eò depellat, ut per alvum excernantur.

5. [Contrarium Gal. ſimpl. facult. 5. c. 13. aſſerit de fœniculo omnibuſque diureticis. quod puris è thorace expuitioni adverſentur. rationem addit. quod ſeroſiorem partem ſanguinis ad renes deducunt. quod autem craſſum non ita facilè expuitur.] & cap. 22. ejuſdem [ob extenuandi tamen facultatem communem ſub idem genus convenire ait, cap. 23.]

1. Lib. 7.

6. Multi ad annum uſque ſuperſunt. verum iſti ſunt jam tabidi.

7. Hipp. ſecari voluit aut uri. Atque etiamnum hodiè in Ægypto utrumque faciunt. & non pus à ſanguine ex vulnere in cavum pectoris defluente factum, Diatreſi evacuandum curavimus. verum empyemate vero pulmonem ſemper corruptum inveniſſe ſe teſtabatur R. Dodon. Itaque nihil ſperandum eſſe.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio* XXX, *ad Caput* XXX.

Si nominis *Etymon* ſpectatur, dici poteſt, in omni parte corporis facta prius collectio, ſive illud in par-

te inflammata adhuc contineatur, sive Abſceſſus ruptus ſit.

Sed hic eſt puris collectio, in ſpatio pulmonis.

Dici poteſt morbus toto genere præter naturam: in numero, in exceſſu, ac in magnitudine.

Hoc malum, ſi ſit ex inflammatione, aut pleuritide, ex parte lateris dolentis pus ibi collectum judicare oportet: nam in ea parte dolor adeſt, calor major, & pondus grave, quoties æger cubat in oppoſitum latus.

Si *Empyema* ſit ex *Peripneumonia*, in utraque parte pus colligitur, & non in una tantũ parte, ut ea quæ ſit ex pleuritide, ex qua materia purulenta ex una parte in alteram penetrare nequit, ob ſeptum, quod Thoracem dividit.

[*Sanguinis miſſio nocumentum aſſere poteſt.*]

Si tamen conſtent vires, & ei annexa fuerit inflammatio, aut morbi initium, priuſquam ſanguis mutetur in pus, ex *Avicennæ* doctrina licet ſcindere venam.

[*Et pus iu pectore contentum quandoque excerni contingit.*]

Interdum naturæ miraculo per cæcas, & anfractuoſas vias quaſdam, ut ſæpe vidi; quod etiam *Galenus* explicat 4. *de locis. cap.* 5. & *Thomas à Veiga in Comment.*

[*Pulmonem ſemper corruptum inveni.*] Cum nimis diu expectaſſet *Dodoneus*: ſed aliter nos docet longa *Samuelis Coſteri Medici Cænobij Amſteldamenſis* experientia, qui gratiâ Numinis divini ſummaque curâ, & diligentiâ Empyos innumeros ſanitati reſtituit.

In hunc ſenſum intelligendum eſt oraculum *Hippocratis* 6. *Epyd. Sect.* 6. *Text.* 25 *ibi*: *Tabeſcentes ſtatim urere, Hydropicos citius ſecare oportet, nam ſi viſcera corrupta ſunt fruſtra ſectio tentatur.*

Fiet inter quartam & quintam coſtam contra-apertura, eas numerando inferne ſurſum, dorſum verſus.

Fit potentiali vel actuali cauterio. Melius tamen est actuali cauterio apertionem facere, nam roboratur pars, & ulcus tempore longo apertum servatur.

# DE PHTHISI.

## CAP. XXXI.

*Lect. 69. Februarij 20.*

PHthisis, quæ Latinè etiam tabes dicitur, pulmonis est exulceratio, quam comitatur lenta, & non magna febris; non intermittens, sed tamen quæ citò ab assumpto cibo, & sub noctem magis invalescit [1] & intensior est, quam interdiu. accedit & universi corporis consumptio & extenuatio, sensim, paulatimque cum virium defectione ingravescens.

Oritur phthisis tribus maximè de causis. vel enim propter vitiosam pulmonis constitutionem: vel propter acrem, mordacem, exedentemque humorem: quandoque etiam propter venæ alicujus non curatam rupturam.

Pulmonis mala est constitutio: quando mollis, tenella, & corruptioni parata ejus est substantia. qualem plerique ab ipso primo ortu, ac à natura à parentibus acceptam obtinent.

Nam tabida stirpe geniti plurimi phthisi [2] quasi hæreditario jure, marcescunt.

Altera causa acris, salsus, mordaxque humor, qui inde à capite in pulmonem fertur: quandoque à corde aut [3] jocinore ad pulmonem rejicitur: vel pus quod est in cavitate pectoris diutius conclusum.

Venæ autem rupturam, quæ 3. est causa phthisis.

conse-

conſequitur: quando ſanguis, à vena rupta non conglutinata in ſubſtantiam pulmonis dimanans, putreſcit, & ſubſtantiam pulmonis inficit ac corrumpit. Et hæ quidem præcipuæ ſunt exulcerationis pulmonis cauſæ. quibus annumerari poſſunt, quæcunque latente ac occulta proprietate idem faciunt: ut lepus marinus, & ſi quæ ſunt alia.

Tuſſis initiò moleſta eſt. 4 major verò etiam ſi deſtillatio adſit. cum qua cruenta quædam quandoque citra dolorem exſpuuntur. ſequitur deinde ſputum purulentum. quod aquæ injectum minimè alterius ſputi ritu innatat, ſed in fundum deſcendit ac ſubſidet, quod etiam quandoque carbonibus injectum graveolet. aliquando verò & membranarum una, vel bronchiorum particulæ expuuntur quæ ipſius exulcerationis magnitudinem, & curationis difficultatem majorem oſtendunt. & ſiquidem pus, quod exſpuitur, non ſyncerum fuerit; ſed ei pituita permiſceratur, adeſt tunc & ex capite deſtillatio.

Proni autem ad phthiſin ſunt, qui anguſto 5 ſunt pectore, ſcapulaſque alarum modo à tergo prominentes habent; & quibus defluxiones multæ à capite deferuntur, præſertim ſalſæ pituitæ.

Contingit autem phthiſin frequentiſſimè fieri à 18. ætatis anno ad 35. ut Hipp. ſcribit. hoc eſt, eo ætatis tempore, quo calor naturalis fortiſſimus, & bilis redundat

Anni .a. tempus phthiſicis maximè 6 noxium autumnus eſt. deinde & ver. quum (ut inquit Hipp.) fici folia erumpunt.

*Lect.70: Februar.21.*

Phthiſis curatio partim in bona vivendi ac victus

ctus ratione, partim in uſu lactis, partim etiam in eclegmatum,& aliorum paucorum remediorum uſu conſiſtit.

Aëris omnis exceſſus fugiendus, caloris, frigoris, & humiditatis : tum & ventoſa conſtitutio. aër ſiccus, ſerenus [7], utilis eſt. Corpus frequenter, aut multum [8] exercere non expedit. Abſtinere in cibo & potu ab omnibus acribus, ſalſis, & acidis oportet, & ab omnibus ijs, quæ difficulter coquuntur [9], & parum alimenti afferunt. difficulter concoquuntur carnes hædinæ, bovinæ, cervinæ & ſimiles, & avium paluſtrium. panis non benè fermentatus [10]. caſeus vetus, caſtaneæ, nuces juglandes & avellanæ : & ſimiles alij fructus. parum alunt piſces, qualeſcunque ſunt; panis furfuraceus, poma, pira, ceraſa, & ſimiles fructus.

Bonæ ſunt carnes hædorum lactantium [11], vitulorem, pullorum gallinaceorum, tum & gallinarum ac caponum juvenum, pedes ac capita [12] vitulorum, ova recentia : ex fructibus, [13] uvæ paſſæ, amygdala dulcia, nuclei nucum [14] pinearum & piſtaciorum, & quæcunque ex his conſiunt bellaria, utilia ſunt. Si febris vehementior fuerit, ſic ut urinæ color [15] intendatur, ptiſana cum cibo coquenda erit, atque ex ipſa quoque ſorbitiones dandæ, decoctum verò hujus & pro potu exhibendum : in quo, ſi calor exceſſerit, incoqui poterunt refrigerantes herbæ aut flores : ut violaria, cichorium, lactuca, vel etiam [16] plantago, flores roſarum, flores violarum, aut iſtis deficientibus, conſerva roſarum, vel violarum, & conſ. quidem roſar. rubrarum, ſi alvus liquidior, vel albarum vel dilutè purpurearum, aut conſ. vio-

violarum ſi alvus durior. Vehementia febris remiſſa ac urina ſanorum ſimili, pro potu utile erit [17] hydromeli, ſed dilutius, quod ad expurgationem ulcerum pulmonis multum conducit, & ad alimenti diſtributionem non parum facit.

Eodem tempore etiam lac commodè probetur. eligendum aſininum, ſi haberi potuerit, quod humano lacti, quam reliquorum animalium, ſimilius eſt. & quia tenue & ſeroſum, non facilè in ventriculo coagulatur. illud ſi haberi nequeat, caprinum dandum erit: & præſertim earum, quæ in ſiccioribus locis [18] paſcuntur. Ante tamen uſum lactis levi aliquo medicamento corpus expurgari convenit: ut ſi qui ſint in ventriculo vitioſi humores, vel circa primas venas hæreant, ij prius evacuentur, ne ab his adveniens lac corrumpatur.

Ad hujuſmodi autem expurgationem, utile [19] eſt infuſum rhabarbari cum manna; aut medulla caſſiæ fiſtulæ, vel ſimile aliquod.

Exhibendum autem lac eſt mane jejuno ventriculo, recens mulctum, & adhuc tepidum, ſi fieri poterit; ℥ 5. aut 6. menſura, aut amplius, ſi concoqui queat. cui admiſcendum nonnihil ſacchari, ne in ventriculo coaguletur: vel etiam aqua pura [20] cum ſaccharo decocta, quando vel lac craſſius, vel febrim intendi ab uſu lactis poſſe, metuitur. Lacte aſſumpto, quieſcendum, & ab omni alio cibo abſtinendũ: donec concoctum fuerit. quod 3. aut 4. horis fieri poterit. neque etiam ullus potus interea exhibendus, minimè vini. in prandio & cœna à lacte abſtinendum. Quod ſi verò & manè ab eo aliqua de cauſa abſtinere contingat, ejus loco exhiberi poterunt

ova

ova recentia ſorbilia, vel ex carnibus contuſum: cui addi vel amygdala dulcia, vel nucleos nucum pinearum, vel piſtachia, utile fuerit. Sæpius phthiſicis offerendus cibus non minus quam ter in die. medio tempore bellaria etiam dari poſſunt; veluti ex pineis & piſtachijs morſum, vel ſimilia alia.

*Lect. 71. Februar. 23.*

Eclegmata in phthiſi requiruntur, quæ ulcera expurgare queunt & ſimul conſolidandi facultatem conjunctam habeant. & ſi deſtillationes adſint [21]: quæ eas ſiſtant ac reprimant, qualis eſt ſyr. ex ſymphyto. cujus hæc eſt compoſitio. ℞ rad. ſymphyti .i. conſolidæ majoris, ℥ ij. rad. bruſci aut aſparagi, glycyrrhizæ ana ℥ ß. [22] farfaræ cum rad. manip. I. ß. ſcabioſæ, marrubij ana M. I. [23] cap. papaveris ʒ I, ß vel ʒ ij. uvarum paſſar. mundatar. nucleorum nucum pinearum ana ℥ I. f. omnium decoctio in aqua. q. ſ. ad ℔ I. colato adde ſacchari ℥ viij. mellis ℥ iiij. f. ſyrupus. de quo ſæpius in die erit lambendum. Expurgat ulcera pulmonis, eadem conſolidat, ac deſtillationes ſiſtit.

Quod ſi verò humores deſtillantes adeò frequentes ſint, ut hic ſyr. ad reprimendum & ſiſtendum fluorem non videatur ſufficere: tunc eidem admiſcendus erit ſyr. de papavere. Si verò & acrimonia non ſatis iſto ſyr. retundatur; admiſceri poterit ei ſyr. de jujubis, aut de violis. Si autem & non ſatis videatur expurgare; addi poteſt ſyr. de hyſſopo, vel diamarrhubium, ſive ſyr. de praſſio Pauli: præſertim ſi febris exigua ſit & nulla, aut [24] minima adſit deſtillatio.

Sunt verò & alia quædam eclegm. quæ phthiſicis offerri

offerri possunt: ut quod appellatur loch de pino, quod nucleos recipit nu[illegible] pinearum; & loch de pulmone [28] vulpis, quod a plerisque valde commendatur. sed istis tamen præstat syr. de symph. supra-pradictus.

Pectus oleo aut ung. aliquo [26] non est ungendũ: nisi contingat sputum cum difficultate procedere. quo casu temperato aliquo ung. illiniri poterit: ut ex butyro. loto, pinguedine vituli, ol. amygd. dulcium recentissimo [27] simul mixtis. quibus etiam, si calor major adsit, addi poterit nonnihil ol. violacei.

Vesperi hora somni sumenda est conser. [28] rosarum rubrarum circiter ℥ß. pondere. cui si destillatio vel vigiliæ molestæ sint, addi potest nonnihil sem. [29] hyoscyami, vel syr. de papavere.

Poterunt verò & tabellæ ex saccharo parari cum decocto capitum papaveris [30]. quæ sæpius sumi, & in ore contineri per noctem possunt. sistunt istæ destillationem, tussim sedant, & ad somnum conciliandum prosunt.

Difficilis autem morbus phthisis est, qui ut plurimum paucis mensibus [31] hominem absumit. quandoque tamen bona victus vivendique ratione, & remediorum usu, vita ad multos [32] producitur annos. sed ad integram sanitatem ægrum perducere, vel impossible, vel difficillimum. Quum enim pulmo in continuo sit motu, ægerrimè ulcera ejus curationem admittunt. accedit, quod eadem citra tussim expurgari nequeant: qua & ipsa rursus offenduntur. Superveniens autem phthisicis alvi profluvium, lethale est [33], ut inquit Hipp. 14. aph. 5. partis præ-
sertim

sertim capillis à capite simul defluentibus. ut 12. ejusd. Malum quoque pedes tumidos 34 fieri: veluti hydropicis accidit. Iam & lethale esse, Hipp. refert, si sputum injectum carbonibus graveoleat 35, capillis à capitè defluentibus 11. quintæ particulæ.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Quia tum alimentum in corpus distribuitur.

2. Hic auum, patrem, ac omnes liberos phthisi perijsse vidimus. Ut istud averterent pagani, illorum, qui tabe, vel hydrope obijssent, liberos, pedes aquæ immergere jubebant, dum ureretur cadaver. Plutarch. 2. de sera numinis vindicta,

3. Ut in muliere, quæ ex icterica phthisica evaserat. cujus sputum flavum. Expurgat autem se quandoque per pulmones natura. sic; in nobili quodam melancholia laborante, ac illi sputum nigrum erat, verùm non malum. quum enim non esset acre, pulmones non erodebat. Contra, ex liene ad pulmones delatis humoribus adustis,' nautam morientem observavimus. Et scudilo destillatione jocinoris (nisi leg. sit Ichoris) pulmones vomitans, interijt. Amman. lib. 14. Signa.

4. Minor si à propria pulmonis imbecillitate.

5. Quia signum debilis pulmonis. alioqui fuisset extensus thorax.

6. Intemperies aëris, manè frigus, post calor dominatur. Autumno deficiunt humores: itaque nutriri corpus non potest.

7. Hinc usus principalis navigandi phthisi affectis, ideoq, in Ægyptum navigatio. Plin. l. 31. c. 6. sylvarum itidem resiniferarum. l. 24. c. 6. Averrh. in Æthyopiam, Arabiamque ablegari tabidos dicit 3. Collig. c. 17. Cels. contra, densitate prodesse Alexandrinum aërem dicit. l. 3. cap. 4.

8. Extenuat enim corpus, quod illis satis emaciatum.

9. Quia facultas debilis, & multa refectione indigent.

10. Sic neque liba aromatica; quia non fermentantur.

11. Carnes agninæ excrementitia superfluitate abundant. quæ in hædinis minimè est.

12 Omnium animalium extrema quum succum lentum habeant, multum nutriunt. aliorum tamen animalium difficulter coquuntur.

13. Caricæ ob humiditatem putrefactioni obnoxiæ.

14. In quibus plus præsidij quam in pistachijs,

15. Quod non fit donec sola hectica laborant, sed accedente putrida.

16. Quæ adstrictione sua prodest ulceribus.

17. Cujus solo usu, qui incipiente phthisi laborarent, restitutos memini.

18. Huic lacti herbidos per montium æstiva potus veteres Medici commendabant. Plin. l. 24. c. 6.

19. Vel diaprunum non laxativum, vel sola pruna.

20. Aut etiam aqua cichorij, vel intybi.

21. Quod ut plurimum evenit. quæ si non reprimantur, ulcera consolidari nequeunt.

22. Quæ tota substantia pectori utilis.

23. Quæ in omnibus artheriacis adhibet Gal. aut opium. sic quidam ad multos annos troch. de astere servati.

24. Quam augent vehementer expectorantia.

25. Qui tota substantia utilis habeatur: quamvis nil eximium præstare videatur.

26. Frigida enim morbus postularet, quæ expectorationem impedientia, molestiam augent.

27. Alioqui calidius, dum ætate rancescit, officitur.

28. Reprimit enim sensim sudores, & vires corroborat.

29. Potius

29. Potius papaveris quod vim somnificam habet, ut hyoscyami, nec ita noxium est.

30. Ad tertiam partem, adeo ut decoctionis aqua lentorem contrahat.

31. Hinc Nero, quum Senecam interficere statuisset, à muliere cum qua consuescebat Tabe laborantem brevi alioquin etiam interiturum, dimisit. Xiphilin.

32. Si frigido sint corde. nam illis sana pulmonis pars ad refrigerium sufficit.

33. Quia non solum vitalem, sed & naturalem facultatem debilem significat.

34. Fit enim ex debilitate hepatis.

35. Quia & summa putredo, & summa virium dejectio significatur.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXXI, ad Caput XXXI.*

[*Oritur Phthisis tribus maximè de causis*] Ideo morbus, & symptoma dici potest, tabes. Morbus, ex solutione continui, per quam læditur actio.

Symptoma, ratione magnitudinis imminutæ dum fit macies in toto corpore.

Distinguitur à *Cachexia*, ab *Atrophia*, & ab *Hectica Febre*, ulcere, quo carent reliquæ tabes, seu emaciationis species, ut docet *Hippocrates lib. de locis in homine, & libro de Glandulis.*

## DE PALPITATIONE CORDIS.

### CAP. XXXII.

*Lect. 72. Februarij 24.*

PAlpitatio cordis [1] est motus ejus depravatus, tremori quodammodo similis, & affectio contra

naturam, per quam diastole, seu dilatatio cordis impeditur.

Causa palpitationis quandoque sanguis est crassus & multus, circa cor consistens & ipsum coarctans: quandoque verò & vapores, ac fumi crassi, melancholici. Potest verò & palpitationis causa esse humor multus, & copiosior quam secundum naturam in pericardio collectus, ne cor liberè attollatur impediens [2]. Vel etiam tumor aliquis in eo consistens, ut Gal. ait.

Sic & [3] callum in ipsa arteria juxta cor innatum, palpitationis fuisse causam compertum. Oris ventriculi dolor, & morsus; cordis præter naturam motum quendam quandoque etiam concitat. sed hic non propriè palpitatio est, & nec cordis, sed oris ventriculi affectus: qui cardiogmos & cardiaca passio dicitur, de quo post agemus. Accedit his omnibus causis cordis quædam naturalis debilitas [4] ac imbecillis facultas, absque qua nulla fit palpitatio cordis.

Sanguis autē multus & crassus palpitationis cordis causa in adultis, ac mediæ ætatis hominibus esse potest: præsertim quando liberalius vivunt, & multis vescuntur alimentis, crassiorem sanguinem ingenerantibus, & copioso utuntur vino, & præsertim rubente vel admodum dulci [5]. Sanitate isti fruuntur[6], sola cordis palpitatio ipsis quandoque molesta est.

A crassis autem, ac melancholicis vaporibus, ac fumis palpitatio cordis quandoq; succedit, ijs qui melancholia, & præsertim hypochondriaca laborant: tum & his, qui splenis obstructionibus obnoxij sunt.

Fla-

Flatuosi autem spiritus palpitationem cordis ingenerant in senioribus. & tunc quidē præcipuè, quando crudiores ac flatulentos cibos ingesserunt; vel alioqui ventriculi cruditate laborant. Ex hac causa quæ oriuntur cordis palpitationes, subinde levissima aliqua, vel cordis, vel corporis immotione suscitantur, & non rarò simul accedit in [6] respirando quædam difficultas, sicut & erecta cervice laborantes spirare cogantur. In cibo etiam ac potu deglutiendo impedimentum etiam quandoq; comitatur. Pulsus [7] parvus, rarus, tardus & inæqualis est. Humorem autē in pericardio urinæ colore & substantia non admodum absimilem, supra naturalem quantitatem augeri, ac colligi contingit: quando affectus sæpius per intervalla recurrere solitus inveterascit, & vigor ætatis perit, corpusque extenuatur. Eodem tempore & callū in arteriæ principio nasci accidit, quo præsente, vel humore copioso ac multo in pericardio contento, palpitatio accedens non amplius remittitur, sed ad vitæ finem [8] usque perseverat. Adest & tunc non modo respirationis, sed & cibi potusque in deglutiendo difficultas, pulsus omnino parvus, valde debilis, tardissimus ac rarissimus, ac simul inæqualis, & quandoque etiam intermittens. & si laborans diu in hujuscemodi constitutione permanserit: tandem & pedes intumescunt, & in pectoris spatio aquosi humores colliguntur.

Curatio palpitationis cordis pro conditione laborantium variat. adolescentibus, & adultis sanitate fruentibus sanguinis detractio utilis est: ut Gal. ait. & quidē ex dextro brachio, si plenitudo adsit. ex [9] sinistro verò, si sanguis non superabūdarit. ex

quo etiam brachio facienda est, quando effumationes & vapores melancholici palpitationem cordis efficiunt. præsertim si consuetæ sanguinis vacuationes, veluti mensium, aut per hæmorrhoides, suppressæ sunt.

Accedere verò debet & idonea victus ratio, ac quidem, ut Gal. ait, attenuans; & similis facultatis medicamenta. Abstinendum igitur ab omnibus crassum & frigidum succum ingenerantibus. laudantur carnes [10] vervecinæ, perdices, phasiani, capones [11] & aves omnes in montibus & locis ab aquis remotis versantes. Vinum album, vetus, & paucife-rum. ex herbis origanum, majorana, rosmarinus, thymus, hyssopus, calamintha; &, quæ reliquis præferuntur, [12] melissa ac [13] ocymum. & flores dicti cordiales: ut borag. bugl. & violæ, qui tamen magis frigidi sunt quam calidi. quæ sive cum cibis coquantur, sive aliter sumantur utilia sunt.

Quod si verò flatuosi frigidi spiritus palpitationis cordis causa fuerint, ut in senioribus ac ijs, qui cruditate laborant, sanguis non erit detrahendus; sed exhibenda, quæ flatus discutere ac concoctionem promovere queant, victus ratione, qualis ante dicta, observata. Si opus videatur purgante med. sive ex flatuoso spiritu, sive alia de causa cor palpitet: dandum erit aliquod, quod ventriculo prosit, nec cordi obsit, qualis hiera picra vel pill. alephanginæ.

Offerenda verò, ex quacunque tandem causa cor laboret, quæ ipsum confortare ac roborare possunt: ut sunt cinnamomum, nux moschata, caryophylli, macis, [14] crocus, & similia aromata, & quæcun-

cunque cum his componuntur. item [15] agallochum, ambra, moſchus. Iam & margaritæ ſive uniones, ac plerique alij lapides pretioſi. lapis [16] bezoar, ac [17] unicornu etiam commendantur, & os de corde cervi. Conveniunt quoque galanga, [18] Zedoaria, cardamomum, cubebæ, præſertim quum ventriculus cruditate laborat. ſic & ſemina aniſi, ammios, carios, fœniculi ad flatus diſcutiendos Inter compoſ. principatum habent elect. de gemmis, diambra, de moſcho, diamargariton cal. deſcriptione Nicolai, diamargar. cal. Avicennæ, ſi abſque thapſia paretur. letificans Rhaſis, gallia moſchata. laudatur & à multis el. alcermes, quod quidem utile eſſe poterit, ſi abſque lapide lazuli præparatum fuerit. aliter adverſus cordis palpitationem dari abſque nocumento non poteſt. niſi detur ad humoris melancholici expurgationem: quo caſu, juſto pondere exhiberi debet. quod eſt à ʒ I. ad ʒ I. ß. ut Mezues ſcribit. Ex elect. autem ſupradictis formari poterunt tabellæ cum ſaccharo, aut addito aliquo ſyr. & ſimul conſ. alicujus floris, conditum componi: ut pro ætate vigentibus, cum ſyr. de violis, aut de bugloſſa, & conſervis eorundem florum. pro ſenioribus verò ac cruditate laborantibus, cum ſyr. de corticibus cytri. & conſ. florum roſmarini, vel majoranæ, aut cum rad. enulæ campanæ conditis. Commendantur verò & theriace Andromahi, & Mithridatium: præſertim quando propter uteri conſenſũ cor palpitat.

*Lect. 74. Februar. 28.*

Adhibenda autem ſunt cordi palpitanti localia extrinſecus: veluti ſacculi, epithemata & ſimilia. Sacculi componi poſſunt ex herbis, floribus, & ſeminibus

bus antè dictis, additis speciebus alicujus ex suprà allatis electuarijs; quæ cum gossypio in tela linea, aut potius ex serico eòque rubente ac cocco tincto, consuendi, atque ad regionem cordis admovendi, ac gestandi sunt. Absque gossypio & ex his quoque sacculi fiunt: qui in vino & aqua melissæ, vel simili, aut vino solo [19] decocti fomenti usum præbent.

Fomentum verò etiam ex aqua vitæ sola, quando laborans ætate provectior, temperamento frigidior, & causa similis, multum subinde profuit. Sic & Theriace foris emplastri modo cordis regioni admota. Prodest verò & inunctio ex ol. cinnamomi, maceris, nucis moschatæ, [26] artificiosè extractis. & si majoris refrigerationis signa adsint: ex ol. de spica lavendulæ Conveniunt verò & odores grati: ut pilarum, quæ ex ladano & alijs odoratis cum ambra & moscho componuntur; quas sæpius naribus admovere convenit. Sic & suffitus suaveolentes, veluti ex alipta moschata, & similibus compositionibus, conducunt. Ventriculo etiam cruditate laboranti providendum, ut posterius dicetur.

Difficulter autem ista affectio integrè curatur. [21] nam ubi semel quem invaserit, facilè sæpius recurrit. quique hac laborant, ad magnam ætatem non provenient. magna sic affectorum pars ætatem agit, ut inquit Gal. inferiorem [22] 50. annis: sed quæ 40. annos excederet. rarissimum sanè aliquem ex his 50. annos superare. non omnes verò etiam ad 40. perveniunt. Moriuntur nonnulli, quum sibi sani esse videntur, subitò. [23] syncope intercepti, alij

per

per acutas febres, quidam longo & diuturno morbo conficiuntur.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Palpitatio est nervorum, cordis, & venarum ægrotantium, motus. Nicandri scholiast. h. e. musculorum, qui nervos recipiunt; aut, Cordis, atque Arteriarum. Palpitatio porro ægri; pulsus, sani validique corporis motus est. Id. Differt à tremore, quod per magna fiat intervalla. Gal. 2. de caus. sympt. c. 2.

2. Humorem & callum vidimus. tumorem nunquam. R. Dod. In Maximil. 2. Imperatore, præter hydropen pulmonis, palpitationis causa fuit aqua in Pericardio aucta. Epist. Medic. 136. Craton.

3. Aeris enim attractionem impediens, quo minus attollatur, efficit.

4. Hinc fit quod omnes ferè intra 40. aut 50. annum moriantur. Gal. de loc. affect. l. 5. c. 1.

5. Illud enim copiosum crassumque ingenerat sanguinem.

6. Quia gula non longè cor transiens impleta, explicationem impedit.

7. Contra, quam in cardiogmo fieri solet.

8. Quia nec humor, qui in pericardio, minui, nec callus tolli potest. pulsus autem adeo exiguus est; ut quandoque in una manu non sentiatur.

9. Quia magis prodest, si κατ' ἴξιν fiat, ubi magna plenitudo non adest.

10. Quas Gal. pravum habere succum, ait. quod fortè verum in Italia: in Belgia minimè. inditium quod non crassum habent succum: quod jus non cito concrescat in gelatinam.

11. Etiam gallinæ Indicæ.

12. Sic quidam leviter hoc morbo laborantes, melissa oleribus injecta, liberati sunt.

13. Potius ſemine quam ipſo ocymo utantur. offendit enim odore caput.

14. Maximè prodeſſe cordi fertur ab Arabibus. unde ſubitò quibuſdam vita quaſi reſtituta.

15. Lignum Rhodi appellant officinæ, etiam lignum aloës. verum non eſt agollochum. Copioſum nunc ex India habemus Agollochum.

16. Valde reſiſtit venenis. talia omnia proſunt cordi.

17. Ramenta unicornu non fœtent combuſta, ut eboris: neque corticem habet ebur ut unicornu. valde prodeſt, ſive autem ebur, ſive medulla unicornu ſumatur inutilis eſt.

18. Quæ eſt Zerumbet. vera Zedoaria alias antithora dicitur.

19. Si ætas major. vel in hac decoctione pannum intinctum cocco tinctum, vel ſericum, vel ſpongiam, applicant.

20. More chymico. ſunt enim tenuiorum ea partium. quæ ſi non adſint: utendum ol. de ſpica lav.

21. Quia qui cor natura habent debile vix recreari poſſunt. qui autem palpitatione laborant, cor tale habent.

22. Imperator Maximilianus ij. 50. anno ætatis mortuus eſt hoc morbo.

23. Sic Regina Maria ſubitò interijt.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXXII, ad Caput XXXII.*

Dicitur etiam cordis tremor: qui curatur ut ſyncope, quia tremor via eſt ad ſyncopen, & ſyncopis via ad mortem. ideo 3. *Canone* dixit *Avicenna*: *caveant illi qui tremorem patiuntur, ne ſubita morte moriantur.*

Curatur eo modo, quo prædixit auctor. Notabis tamen

tamen sæpius in virginibus, & viduis ex retento menstruo oriri hoc malum: cum vapor venenosus elevatur ab utero, ad cor.

Si cætera non conferant, utere cauterijs in crure, in parte domestica, & sanguis e saphena extractus remedio est. Sicut in viris, si occludantur hæmorrhoides, impositio hyrudinum, super mariscas, optimum auxilium præstat.

## DE SYNCOPE & LIPOTHYMIA.

### CAP. XXXIII.

Syncope & lipothymia cordis sunt affectus magnitudine differentes. major ac vehementior syncope est; minor verò minusque vehemens lipothymia: quæ & lipopsychia dicitur, & ut Gal. ait, syncopen præcedit.

Syncope autem est præceps & subitaneus virium facultatumque vitalium lapsus, quem comitatur sensuum privatio, facici pallor, & sudor frigidus.

In lipothymia verò neque sensus omnino cessant, neque sudor frigidus erumpit. In syncope autem, cor quandoque primario proprioque affectu laborat: quandoque verò per consensum tantummodo. Veluti quando propter ventriculi affectum, aut uteri strangulationem, vel vehementem alicujus partis dolorem, afficitur.

Quando verò nullus alicujus partis vehemens dolor adest, neque ullius partis affectus præcessit, neque signa alicujus insigniter affectæ partis appareant, cor primario affectu laborare, ac deficere existimandum.

Con-

*Lect. 75. Martij 1.*

Contingit autem fieri ſyncopen, ſive animi deliquium, quandoque propter vehementem animi emotionem: veluti à ſubitaneo magno gaudio, vel repentino metu, aut ab ira & excandeſcentia immodica: ſic & ab inſpiratione corrupti ac venenoſi aëris ſyncope fit: veluti ab aëre ex fodinis nonnullis metallorum, ex barathris, aut alijs ſimilibus locis. Quandoque & à venenis aſſumptis, aut ab ictu venenatorum animalium. Immodicæ etiam ſanguinis vacuationes, tum & aliorum ſubinde humorum, ſive per purgantia medicamenta, ſive aliter, frequenter animi deliquium inducunt. Sic & abſceſſus prope cor: veluti in pulmone ſubitò erumpentes. Ingens verò & alicujus partis dolor deliquij non rarò cauſa eſt. Quando verò & cor ab aliqua occupatur inflammatione, aut eryſipelate, priuſquam affectus augeri [a] queat, vita, ut Gal. ait, deficit. Vulnus etiam cordis ad ventriculum pertingens ſyncopen, & ſubitaneam mortem ſubitò infert. A ventriculo autem per conſenſum ſyncope, ſive deliquium accidit; quando vitioſi humores in corpore redundantes ventriculo, ac præcipuo ejus oſculo moleſtiam inferunt. Ex utero verò & mulieribus fumi, ac vapores ſubindè afferuntur: qui animi deliquium inferunt.

In omni autem ſyncope ſiue animi deliquio (ſi non fiat ab utero) mox naribus admovenda ſunt odorata, quæ ſpiritus reficere queant: ut ſunt aqua roſacea, cinnamomi, acetum, vinum generoſum, præſertim aromatis conditum: ſic & aromata, ut caryophylli & ſimilia. Prodeſt verò ſubinde aquæ

frigidæ,

frigidæ. 3 maximè in facie, aſperſio. 4 ſic & digitorum & extremarum partium frictiones.

Laborante utcunque reſtituto, exhibendum mox erit 5 vinum generoſiſſimum, ætate vetus, ſubſtantia tenue, colore fulvum, ac boni odoris. quod omnibus, ut Gal. 12. meth. ait, quos ſyncope malè habet, utiliſſimum : etiamſi à flava bile os ventriculi infeſtetur.

Tali autem uino deficiente, ſubſtitui poterit vinum ſaccharo & aromatis conditum : quod vulgò Hippocraticum nominant. Danda veró & electuaria, ac condita cordialia, ſimiliaque fomenta, aut ſacculi cordis regioni admovendi : veluti in palpitatione.

Si à venenis aſſumptis ſyncope exorta fuit, reparatis utcunque viribus ac venenis vomitione expurgatis, exhibendum mox erit aliquod alexipharmacum 6, ut Theriaca Andromachi, aut Mithridatium, vel aliud ſimilis facultatis. Cordi verò deinde & cordialibus elect. fomentis, unctionibus erit providendum : ut, ſi qua maligna qualitas, vel imbecillitas relicta fuerit, corrigatur. Ab ictu verò venenoſæ feræ, offerenda quoque ſunt antidota : ut Theriaca dicta. ſed vomitione non eſt opus.

Quod ſi autem magna aliqua & confertim facta 7 evacuatio, ſive ſanguinis, ſive alterius humoris, cauſa extiterit deliquij : non ſolum vino odoribuſq; reparandæ vires ſunt, ſed laborandum etiam, ut alimento idoneo reſtituantur : 8 ut juſculis caponum, vel aliarum carnium, vel contuſis ex pulpa caponũ, pulli, aut perdicis : quibus vel amygdala dulcia, vel nucleos nucum pinearum addi valde expedit.

Dari

Dari etiam poteſt ſuccus ex carnibus non plenè aſſatis expreſſus; vel ab ipſis, in duplici vaſe decoctis, reſolutus 9. In valde debilibus exhibetur quandoque aqua ex carnibus caponis coctis atque ipſius jure, additis conſ. roſarum, flor. cordialium 10 & aromatis nonnullis, extracta.

*Lect.76. Martij 2.*

Dolorem verò ſyncopes cauſam etiam ſedare oportet, pro conditione & partis laborantis, & cauſæ efficientis: veluti de dolore in febribus dictum eſt.

Si pravi, ac vitioſi humores, os ventriculi infeſtantes animi deliquium effecerint, expurgandi ſunt, qualeſcunque tandem fuerint, uti etiam dictum, ubi de ſyncope in febribus.

Ab uteri autem ſtrangulatione ſi animi fiat deliquium, 11 ſuaveolentia nec naribus ſunt admovenda, nec exhibenda. Frictiones, & ligationes inferiorum partium faciendæ. Cucurbitulæ 12 ad fœmora parte interiore admotæ multum proſunt. Reliqua verò & adhibenda, quæ affectus curatio poſtulat, de quo ſuo loco.

Syncope autem ſæpius aliquem, citra manifeſtam cauſam, corripi, non eſt bonum. nam, ut Hipp. qui frequenter & fortiter ſine manifeſta cauſa exolvuntur, derepente moriuntur. 41. aph.2.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Quia nulli adſint ſpiritus.

2. In ſiniſtra parte. in dextra tamen augeri poſſe teſtantur hodiè doctiores.

3. Id-

3. Idque per antiperistasin, quia excitat calorem naturalem.

4. Quia spiritus ac vapores malos à corde revocat.

5. Ratione symptomatis, non causæ. Hic enim symptoma magis urget.

6. Quæ contra venena assumpta, alexipharmaca; theriaca, quæ contra ictus animalium prosunt, dicuntur, theriace Androm. utrumque præstat.

7. Ut in aneurismate erumpente. Verum etiam hoc in malo humore, ut in aqua hydropicorum, vel puris, in thorace contenti. fieri enim non potest, ut non simul spiritus vitales exhauriantur.

8. Eoque liquido. facilius enim impleri potu, quam cibo.

9. His ferè, ac maximè opus, post magnam sanguinis evacuationem.

10. Quæ quum valde subtilium partium sit, parum nutrit.

11. Quia fumos magis ex utero exhalare, faciunt.

12. Ad miraculum prosunt. restitutæ his quandoque, quæ jamjam morituræ viderentur.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXXIII, ad Caput XXXIII.*

Differentia hæc parvi est momenti, quia ambo sedem in corde habent: sed syncopē sudor perpetuus, multus, aut paucus, pro causarum magnitudine, comitatur, qui in *Lipopsychia*, nullus apparet.

[*Si à venenis assumptis syncope exorta fuit.*] A causa pestilenti, aut à veneno, aut materia venenata, est lethalis.

Utere cardiacis intus assumptis, & extra admotis inter quæ præcipuum locum præstant, *Lapis Bezoardicus*, de cujus efficacia, contra venenum sat multa retu-

retulerunt aromatum ſcriptores, & non ſiluit clariſſimus *Bauhinus tractatu proprio*, de *lapide Bezoardico*.

# DE CARDIACA PASSIONE.

## Cap. XXXIV.

CArdiace 1 oris ventriculi affectus eſt, quia à corde nomen habet. propterea quod veteres os ventriculi καρδίαν .i. cor nuncuparint: & in hoc affectu cor per conſenſum laborat. Eſt autem vehemens oris ventriculi dolor, quem comitatur cordis 2 imbecillitas, & quandoque jactatio, animi angor, ſudores circa pectus, faciem, & caput copioſi, extremarum partium 3 frigiditas, cordis verò vehemens 4, frequentiſſimus, ac velociſſimus motus, quem palpitationi ſimilem Gal. affirmat, & ſimilis arteriarum pulſus.

Cauſa ſunt acres ac mordaces humores, vel alioqui maligni, os ventriculi infeſtantes.

In acceſſione hujus affectus, ori ventriculi adhibendum erit fomentum ex roſis rubris, abſinthio, floribus 5 chamæmeli ac meliloti in tenui albo vino, aut vino & aqua decoctis.

Frictiones verò, ac ligaturæ crurum, ac brachiorum etiam faciendæ. Enema verò & hoc leve injicere, aut glandem ſupponere etiam quandoque conducit. 6 Aëtius tum ſpongia ex poſca frigida faciem etiam lavandam, ſtragula incumbentia tollenda, & aërem refrigerandum conſulit: offerendumque panem vino intinctum.

Re-

Revocatio ab accessione laborante, cibi ? offerendi, qui non facile corrumpantur, ut qui lentum habent succum: veluti pedes suilli, ovilli, agnini, vitulorum pedes & capita. Ptisana etiam cum cibis utiliter coquitur. Si vires dejectæ sunt, cibus offerendus, qualis in † syncope ex nimia evacuatione. Expurgandi verò sunt & vitiosi humores: quemadmodum & in syncope. quibus expurgatis, os ventriculi ungendum ℥ ol. masticino, vel cytoneorum, vel myrtino, vel aliquot horum. addito nonnihil olei nardini; aut admovendum empl. ex mastiche corio inducta. exhiberi quoque utile syr. de absynthio addito syr. de granat. aut agresta, si calidior sit. Potest verò & commodum esse vinum absinthites, aut ejus loco cerevisia cum absinthio.

De hujuscemodi autem affectione scripsisse videtur Hipp. aph. 65. lib. 4. quibus in febribus fortis æstus & cardiogmos, malum. ubi Gal. in comment. ait; Si per Cardiogmum, Hipp. intellexerit, crebrum & velocem cordis motum, & præcipue palpitationi similem, extremum malum significari.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Cardialgia dolor stomachi: cardiogmos rosionis sensus in stomacho. quibus si accedat motus cordis celer ac vehemens, cardiaca est: non antea. In syncope causa potest & dolor idem esse: debilius tamen os ventriculi, quam in cardiaca.

2. Non mentis, ideoque Phrenitidi contrariam

Celſ.l.3.c.19. dixit; quamvis ſæpè ad eam phrenitici tranſeant. Tertullian. hanc, & Phrenitidem æmulas ſomno. illam deceſſu, hanc verò exceſſu. De Anima.c.43.

3. Et ſiccitas. Celſ.l.3.c.19.

4. In palpitatione rarus. tanta autem vehementia ac velocitas in quodam viſa, ut magis de dolore brachij, quam ſtomachi, conquereretur. quod factum ob vicinum nervum. ſano illi id nondū aderat.

5. Quæ magnam vim anodynam habet. abſinthium ad abſterſionem. roſæ ad aſtrictionem. pars enim princeps uſu non prorſus reſolvenda.

6. Quæ nos non facimus, quid enim ſudorem abſtergeri à facie refert, ventriculo laborante? ſtragula anguſtijs vexatus ipſe æger projicit. aër refrigerari poteſt. vino utendum, licet cauſa repugnet, ratione ſymptomatis. in quo Plinius unicam cardiacor. morbo ſpem eſſe dicit. aliquos autem in acceſſione dediſſe ut ſudorem coërcerent. plures imminente morbo, tutius putaſſe, l.23.c.1. Sentius prætor Chio utebatur, l.14.c.14. Hinc illud Senecæ; Bibere, & ſudare vita cardiaci.

† Nam prædicta longiori indigent concoctione.

7. Vinum enim, ni ſolidiori permiſceatur cibo, ἰυλαφόρητον. quod Medicis in artis ſuæ exercitatione compertum. cardiacis igitur cibum aliquem frumentaceum permiſcent vino. πρὸς κατοχὴν τῆς δυνάμεως. Athenæus.l.dipnoſoph.

8. Eæ unctiones, vel empl. non ſublatis humoribus, magis nocerent, quam prodeſſent.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXXIV, ad Caput XXXIV.*

Stomachus eſt inteſtinorum principium, de natura ſui nervoſus, à ſpinæ vertebra incipiens, circa

præ-

præcordia, cum ventriculo connexus. Quapropter non mirum eſt, quod ſæpius dictum eſt, præcordia interdum pro ore ſtomachi ſumi, quandoquidem ex vicinitate datur occaſio.

Sæpe pro toto ventriculo ponitur, ut *Iuvenalis* cantat: *Si ſtomachus domini fervet vinoque ciboque.*

[*Cauſa ſunt, acres, & mordaces humores, vel alioqui maligni, os ventriculi infeſtantes.*]

Multiplex cauſa eſt, ex *Galeno. 1. de cauſis ſymptom. cap. 7.* Tralliano *lib. 7. cap. 11. Celſo. lib. 3. cap. 19.*

Sic à flatu, etiam ab aduſto pituitoſo, ſalſo, acidoque humore à capite, hepate, liene, aut quavis alia parte elevato, qui tenaciter infixus, & impactus, vehementer os ventriculi mordet, ferit, pungit.

Sic etiam à violenti medicamenti vi venefica, & dira, etiam à vermibus; cum enim animalcula tetro ſuo odore vires ventriculi enervent, halitu maligno mordent, & ipſius os pungunt.

Denique ex cruditate nimiâ diſtendente, ex intempeſtivo frigidæ potu, maximè poſt exercitium hauſto, contingit: hoc modo fit *Cardialgia*, & paſſio illa ventriculi, quæ Cardiogmos, dicitur.

## DE INAPPETENTIA.

### CAP. XXXV.

*Lect. 75: Martij 5.*

INappetentia, ſive faſtidium cibi, facultatis eſt appetitricis abolitæ; ſeu debilitatæ ſymptoma, ad ipſius oris [1] ventriculi ſuctionis ſenſum, deperditum, aut multum debilitatum, ſubſequens.

Contingit autem inappetentiam fieri, aut quia corpus non evacuatur, neque ei quicquam decedit, aut propter oris ventriculi intemperiem, aut humo-

rum in ventriculo atque toto corpore redũdantium. 1. Corpus autem non evacuatur, vel propter consueta intermissa exercitia, vel quia otio ac somno deditum est. 2. Intemperies verò oris ventriculi appetentiam dejicit calida præsertim, & maximè humiditate accedente. Calor [2] siquidem corpora laxando robur eorum dissolvit, & attractionis functionem reddit imbecillam. 3. Humorum autem copia si adsit, & quidem in toto corpore, partium nulla fit naturalis appetentia [3], illaque cessante neque per venas exsuctio consequitur, multò minus suctionis sensus in ore ventriculi percipi aut sentiri potest. Sic & copioso in ventriculo, præsertim circa os ejus, hærente humore, suctionis sensus impeditur. Humores isti frequenter calidi sunt, quandoque verò frigidi, crassi, ac pituitosi, sed non [4] acidi. Signa autem calidorum sunt ructus [5] nidorosi, aut amarulenti. frequenter sitis, & subinde nausea. Frigidis verò, crassis, ac pituitosis humoribus redundantibus, ructus non acidi, sed insipidi, sitis nulla.

Quando igitur intermissa exercitia, vel nimia desidia, vel otium, vel somnolentia, inappetentiæ causæ extiterint, ad exercitia [6] & ad labores revocandus est malè habitus: vel ad minus, in cibi parsimonia, vel inedia continendus. Sic etiam, si humorum multitudo in corpore recens collecta fuerit. Sed si dudum repletio facta, vena secanda, aut humorum purgatio adhibenda.

Si autem sola ventriculi, aut oris ejus intemperies calida, inappetentiam causarit, offerenda erunt refrigerantia: ut lactuca, & similia acetaria, item edulia actu † frigida, præsertim ex aceto, panis in posca imbu-

imbutus aqua frigida, & potus qualiſcunque, frigidus.

Acetoſam, ſive ejus ſuccum, cum cibis ſumi confert. ſic & fructus immaturos : veluti uvæ criſpæ, uvæ immaturæ, & ſimilia frigida aſtrictionem nonnullam habentia.

Quod ſi verò & humores adſint ſimul, hos expurgari refert : calidos quidem vomitione, ſi ad hanc laborans facilis ſit, exhibita cum aqua tepida oxymelitis ℥ I. aut ℥ I. ß. Aut per inferiorem ventrem, & quidem cum hiera picra addito rhabarb. aut cum infuſo rhabarb. cui addi poterit aliquid ſyr. 7 ex cichorio. Frigidi humores ſimiliter per hieram picram, aut pill.[8] alephanginas expurgandi ſunt, addito agarico, vel pill. aggregativis, aut ſimilibus. prius tamen exhibito ſyr. acetoſo, aut oxymelite, vel eodem cum hiera dato.

*Lect. 78. Martij 6.*

Expurgatione facta, ſi adhuc relicta debilitas, aut frigida in ventriculo, aut ejus ore intemperies: offerenda confectio aliqua, velut aromat. roſar. vel diagalangæ; & in cauſa valdè frigida, diacalamenthon, aut diatrionpipereon. Vngendum verò & oſtium ventriculi ol. nardino, vel de mentha, vel de abſinthio, vel ſimili. Admoveri quoque poterit emplaſt. aliquod : veluti quod ceratum ſtomachale apellatur, vel aliud ejus generis. Loco verò empl. & ſacculus geſtari poteſt, in quo roſæ rubræ, abſinth. origanum, majorana, & mentha aut calamenthum (ſi odor non ſit moleſtus) & maſtiche, garyophylli, vel alia aromata, vel ſpecies dialangæ, & ſem. aniſi, ac carvi cum goſſypio inſuta 9 ſunt.

Victus ratio, quando frig. intemperie ventriculus vel ostium ejus laborat, ex optimis sit & concoctu facilibus cibis, non lentis, neque viscosis, [10] nec sale aut fumo duratis, quæ aromatis condiri utile est, vel calidioribus herbis : ut origano, calamentha, hyssopo, thymo, majorana, & similibus.

Vinum generosum commendatur. Ab usu omnium refrigerantium abstinendum. Ad exercitia & deambulationes laborans ducendus, præsertim corpore jejuno. Temperandum à [11] somno. Otium fugiendum.

Quod si calida intemperies in causa fuerit, non solum quæ ante dicta sunt lactucæ & acetaria; sed & cibi offerendi [12] lenti succi, ut in cardiacæ curatione dictum. Vinum conceditur tenue & pauciferum. Absinthij [13] quoque usus probatur; & inunctio ex ol. masticĥino, vel empl. ex mastiche, ut supra dictum.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Plurimum negotij hominibus alvus exhibet, cujus gratia major pars mortalium vivit. aliâs enim cibos non transmittit: aliâs non capit: aliâs non conficit. Plin. l. 26. c. 8.

2. Hinc qui versus Boream degunt voraciores ijs, qui ad Austrum; ob locorum nempè frigiditatem. 26. Problem. 16.

3. Quum enim melius & paratius habent alimentum partes, externum non appetunt. Gal. 3. de facultatibus naturalibus.

4. Illi enim caninam appetentiam, ac bulimum excitant.

5. Paulus oleosos vocat hos ructus, quod acci-

dant

dant maximè ijs, qui oleo usi sunt. R. Dodon. Non malè. κνίσσα enim ἡ τῦ λιπαρῦ θυμίασις, ἢ ἀνάδοσις. At Andern. τὸ βορβορώδης, non oleosum, sed oletosum reddidit.

6. Ut digeri corpus & occasio appetentiæ esse.

† Hinc illud; Si stomachus domini fervet vinoque ciboque, Frigidior Geticis petitur decocta pruinis. Iuven. sat. 5.

7. Vel de succo rosarum. ad refrigerandū, quum causa sit calida.

8. Quasi Aromaticæ. Arabicum est nomen.

9. ℞. Rosar. rubrarum, absinthij, origani, majoranæ, & menthæ (cui odor non est molestus) ana ʒ ij. Mastich. garyophyll. ana ʒ I. specierum diagalangæ ʒ ij. sem. anisi, ammios, carui ana ʒ ß. f. omnium pulvis. qui addito gossypio consuatur in sacculum, gerendum ad ostium ventriculi.

10. Quæ difficilis concoctionis. ventriculus autem hîc malè coquit.

11. Qui prohibet corpus difflari ac resolvi.

12. Ut extrema animalium, pedes, &c.

13. Ut in omni cal. affectione ventriculi: absterget enim bilem, & astrictione corroborat.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXXV, ad Caput XXXV.*

I*nappetentia* dicitur, quando quispiam ad assumendum cibum non insurgit.

Hæc licet à multiplici causa oriatur, tamen ab intemperantia calida, frigida, sicca, humidaque concitatur. Frigida enervat vires ventriculi, & sic non appetit. Calida sanguinem resolvit, & spiritum, quibus deperditis substantijs, animal ad assumendum cibum non incitatur. Humida relaxat, & humoris copiam creat; quia ventriculi os obrutum munus

ſuum exercere nequit. Sicca abſumit humidũ, quo reſoluto, vires fatiſcunt, & ventriculus debilitatur.

Occurres huic malo auxilijs contrarijs, quorum copiam auctor noſter rectè deſcripſit, tum in hoc capite, tum in ſequentibus de *debilitate ventriculi, nauſea, vomitu.*

## DE APPETENTIA DEPRAVATA.

### CAP. XXXVI.

TRes ſunt affectus præter naturam, qui ad depravatam appetentiam referuntur, Appentia ſive fames canina. bulimos ſive bulimia, & Citta ſive pica. Bulimia generale nomen quibuſdam videtur, omnem magnam excedentemque famem, ac appetentiam quoque caninam ſub ſe continens, ſed Medici inter bulimiam, & appetentiam caninam diſtinguunt, ut progreſſu fiet manifeſtum.

Eſt autem Canina fames, vehemens ac inſatiable cibi deſiderium, & appetentia modum excedens, ſic: ut hac laborantes nimijs cibis ſeſe expleant, pluresq; ingerant quam retinere in ventriculo queant, & eoſdem, vel mox, vel paulò poſt quã aſſumpſerint evomere cogantur, eoſque ſubinde omnino crudos, quandoque partim concoctos & pituitæ permixtos. poſt quos vomitione rejectos iterum cibum veluti prius appetunt, ſicuti canes à vomitu. unde affectioni nomen factum.

Cauſa eſt humor pituitoſus, acidus, vel ſolus, vel melancholico humori permixtus, ori ventriculi impactus, in ipſum refrigerando, pungendo, ac conſtringendo, veluti morſum inducit, ſuctioni naturali ferè aſſimilem.

Cu-

*Lect.79. Martij 8.*

Curationem breviter ostendit Hipp. famem, inquit, vini potio solvit, 21. aph. 2. ubi per famem non aliam quam caninam appetentiam intelligendam esse Gal. dixit. & vinum esse debere affirmans ex genere illorum, quæ sufficienter calfaciunt. Ante cujus assumptionem oportere tamen ait primùm offerri pinguia edulia, oleagina & ex oleo, parata. nihil verò austerum, aut acre dandum. postea vinum quale dictum est, etiamsi non sitiant ad potandum ipsis laborantibus exhibendum. atque sic quidem statim sedari famem; atque hac victus ratione observata cessare omnino. Potest tamen & alia ratione appetentia canina curari: attenuando videlicet & expurgando humores peccantes. Attenuari possunt humores syr. acetoso vel oxymel. simplici, vel scyllitico, si fortiori opus. Expurgari verò per hieram picram addito agarico, aut pilulis aggregativis, vel similibus; quæ non semel tantum, sed sæpius, si canina appetentia non cessaverit danda. Exhibenda verò & calfacientia ut diagalanga, diatrionpipereon vel diacalaminthes; aut his fortiora: ut diacyminum, vel diaspoliticon. reliquaque facienda, quæ in curatione inappetentiæ ab humoribus crudis ac frigidis dicta sunt 3.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Similis affectus naturalis in Seleucidis aviculis Asiæ. 6. Loc. aff. Gal. c. 3. Apellatur & Phagedæna; in definit. & Epid. 6, sect. 3. aph. 57.

2. Vel etiam butyro. quod ideo Septentrionalibus regionibus copiosius Deum Opt. Max. largi-

eum fuisse, vir excell. H. Mercurial. credebat, ut illarum incolæ famem, quam clima illud satis magnam inducit, illius usu quotidiano lenire possent.

3. Quidam appetituum rabiem, inquit Basil. cicuta domarunt. 5. Hexameri. Sensus acrimoniam obtundi narcoticorum usu posse certum est. sed alia fortè tutius quam cicuta adhiberentur, v. g. papaver. albi semen cum melle, aut sacch. præparatum; aut syr. papaverin.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXXVI, ad Caput XXXVI.*

[ *Vini potio solvit famem* ] Si non adfuerit magna caliditas, quia tunc potius per vinum augebitur: & fiet resolutio, & fortassis, excitabitur convulsio, delirium, aut saltem, ingens dolor capitis. Eodem loco loquitur de *Oleagine*, quæ alimenta danda sunt ex jussu *Galeni, lib. 6. de loc. aff. cap. 3.* dummodo, acredinem non habeant admistam.

## DE BULIMIA.

### CAP. XXXVII.

BVlimia 1 sive bulimos magna & ingens est fames, ut nomen ipsum ostendit: ad quam & inappetentia, & virium lapsus consequitur.

Causa est inedia & diuturna cibi indigentia. Potest & causa esse externũ frigus, non modo os ventriculi, sed 2 & universum corpus refrigerans: veluti ijs contingit, qui per loca frigida ac nivosa iter facientes, diutius famem tolerant. perit enim his tan-

dem

em appetentia, vires collabuntur, extremæ partes
frigerantur, faciei color mutatur, & pulſus colla-
tur. Sic & ijs contingit,qui propter famẽ, aut ine-
iam ex quacunq; tandem cauſa animo linquuntur.
am & his poſt diu toleratam famem appetentia pe-
t,& vires deficiunt. Ex his facilè cognoſci poteſt,
uid inter bulimiam & caninam appetentiam inter-
t. In appetentia canina cibus non deeſt, & propter
imiam ejus ingluviem vomitione laborantes infe-
antur. In bulimia cibi eſt indigentia,cui animi de-
quium ſuccedit.

Quando v g. aliquis propter inediam ac famem
iutius toleratam jam viribus eſt imbecillus, & ani-
no delinquit; primum odoramentis eſt revocandus:
t aceti, aromatum, & pirorum, malorum, vel alio-
um fructuum, ut Gal. ait, odore, ſi ad manum ſit.
tem panis, præſertim recenter cocti, ³ & carnium
liorumque cibariorum. Panis verò & vino intin-
tus exhibendus,& juſcula carnium,ovaque ſorbilia,
liaque, quæ citò alunt, veluti dicta ſunt in ſyncope
b inanitione facta. Exigua autem quantitas initio
fferenda. ſed frequentius & ſingulis ferè horis,do-
ec vires reparatæ & majorem ⁴ quantitatem ac ſo-
idiorem cibum admittant. Nihilominus tamen &
artes ⁵ extremæ vinculis conſtringendæ, vel leviter
ricandæ ſunt.

Quod ſi verò præter cibi indigentiam etiam ac-
ceſſerit magna refrigeratio,ut in itineribus,per loca
ivoſa, contracta, non ſtatim etiam laborans lucu-
ento aut magno igni admovendus erit, ſed ſenſim
& paulatim calfaciendus. Frictionibus, & ijs, quæ
am dicta ſunt,non prætermiſſis.

*Seba-*

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Novi majeſtatem boum, inquit Varro, & ab his dici pleraque magna, ut Bulimon. 2. de re ruſtica. Dicitur & βέπωνα. in definit. & 6. Epid. 3. aph. 37.

2. Quæ tamen neceſſariò non accedit. Bulimia potius in frig. aere, & hyeme. 8. Probl. 5. Eraſiſtrat. 1. διαιρέσεων. apud. Gellium. l. 16. c. 3.

3. Hujus odore per Theſmophoria vitam produxit Democritus. trium videlicet dierum ſpatio. Diog. Laert.

4. Hoc qui poſt obſidionem Lugduni Batavorum immiſſo mari ſolutam, non obſervarunt, cibis affatim ingeſtis, plerique mortui ſunt.

5. Ut calore revocato ad exteriora, alimentum in corpus deſtribui poſſit.

## NICOL. FONTANI.

## *Annotatio XXXVII, ad Caput XXXVII.*

*Bulimia*, alia famis ingens, ſpecies eſt, ex *Galeni* ſententia, *lib. 1. de ſympt. cauſis cap. 7.*

[*Quam virium lapſus conſequitur*] unde *ad Glauconem lib. 1. cap.* 14. ſcriptum inveni: quod *Bulimos*, nihil aliud eſt, quam animi defectus, hoc eſt, meo judicio, quod via eſt, quæ ducat ut ſemita in ſyncopen.

DE

# DE KITTA SEU MALACIA.

## CAP. XXXVIII.

### *Lect.80. Martij 9.*

CItta sive malacia, quæ piça non rarò Latinis dicitur, appetentia est depravata: non modum in quantitate, veluti appetentia canina, excedens, sed in qualitate aberrans. Est enim concupiscentia pravorum, nam vel acida, vel acerba, ut immaturos fructus, aliquando terram, testas, carbones extinctos, aliave similia absurda appetunt. Nonnulli etiam carnes crudas, vel etiam crudos pisces desiderant.

Consequitur & ista appetentia oris ventriculi pravam affectionem, tunicis ejus vitioso aliquo humore imbutis: pro cujus varietate modo hæc, modo alia prava appetuntur.

Frequentius autem hujuscemodi appetentia mulieribus uterũ gerentibus supervenit, & primis quidem mensibus ad 3. aut 4. usque, authore Gal. quum fœtus videlicet adhuc parvulus est,[1] nec multo eget alimento, & præsertim quando vitiosi humores ad os ventriculi confluentes vomitione non expurgantur. quamquam subinde & posterioribus [2] mensibus etiam κἰττῷ gravidis accidat.

Idem verò affectus & alijs nonnullis mulieribus, tum & viris nonnunquam supervenit, humore vitioso ad ventriculi ostium delato, atque illi firmius inhærente. Quandoque verò & alia quædam in corpore latens est causa, quæ appetentiam pravarum rerum

rerum excitat: qua permanente, etiam appetentia perseverat.

Gravitas autem, quando κίττα ipsis accidit, in cibo [3] parciores esse convenit, nec temerè quosvis ingerere, sed optimos tantummodo, & boni succi. Quod si nausea adsit, & morsus aliquis sentiatur in ore ventriculi, exhibenda aqua tepida, cum exiguo oxymelitis, ut vomitio succedat, atque vitiosi humores expurgentur. Mediocre corporis exercitium convenit. [4] deambulationes ad loca amœna, & cibi, ut Paulus refert, non nimium dulces. Vina fulva, odorata, & quinquennia .i. vetera; & moderata potio. Commendatur etiam initio sumere mensæ [5] olivas muria conditas, vel 6. aut 7. amygdala [6] amara, sub finem dandæ carnes cydoneorum conditæ: vel ex his facta alia bellaria: vel conserva rosarum rubrarum; vel aliquot mali punici grana, aut similia astringentia [7] ori grata. Paulus verò & rhaponticum [8] & ante cibum, & post, assumi posse refert.

Vnctiones verò oris ventriculi & faciendæ sunt ex oleis astringentibus: ut masticino oleo, cydoneorum, quibus aliquid ol. de [9] mentha, aut de absinthio admisceri poterit. Laudantur & cataplasmata ex œnanthe .i. immaturo uvæ fructu, balaustijs, smyrnij semine, pæoniæ, & fœniculi semine, cnm palmulis & vino veteri. Cujus loco admoveri poterit vel ex sola [10] mastiche emplastrum, vel sacculi [11] in quibus rosæ rubræ, absinthium, balaustia, fœniculi, coriandri & myrti semina, santali lutei & rubentes, mastiche, thus & garyophylli cum gossypio sint insuta.

2. Si verò mulieribus non gravidis, aut viris hujuscemodi depravata appetentia accidat, purgatione vitio-

vitiosorum humorum curandi erunt. Vomitu quidem ad hunc prompti, alij purgatione per inferna, veluti in curatione inappetentiæ dictum est.

3. Quibus verò aliqua in corpore latens hujus symptomatis [12] causa fuerit, non prius cessat depravata appetentia, quam causa sublata, quæ si tolli nequeat, affectio permanet: licet tamen non assiduè, sed per intervalla tantummodo recurrat, causa videlicet se movente.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Ita ut non possit sanguinem per menses purgandum absumere.

2. Non tamen cum vomitione.

3. Ut humores superflui melius possent concoqui. alioqui multi humores congesti corrumpuntur à malis illis succis.

4. Ita per universum distributi humores minus confluent ad ventriculum.

5. Et omnia quæ roborare stomachum possunt. Olivæ resiccant, quia salsæ. & astringunt, quum immaturæ conditur. unde & salivationi ventriculi conferunt.

6. Sic & absinthium. ratione abstersionis.

7. Ut pira omnia nostra, ac bellaria ex his confecta.

8. .i. Rhabarbarum per Barbariam ex regione Chinarum ad nos delatum. ratione astrictionis.

9. Ne ostium ventriculi omnino refrigeretur, admiscenda calida pauca astringentibus.

Laudat Aëtius pastillos Amazonum. verùm Gal. ex quo citat, ad ventriculi subversiones, non κίτταν commendat.

10. Non tantum prosunt in κίττα, sed & si non solum

ſolum manè, ſed etiam interdiu vomant:

11. ℞. Roſar. rub. balauſt. abſinthij ana ℥ ij. ſem. fœniculi, coriandri, myrti ana ℥ 1. ſantal. lut. rubrorum, maſtich. thuris, garyophyllorum ana ℈ ij. cum goſſypio q. ſ. S. ſacculus. Pulveres plures quam 12. & pauciores 16. ℥ debent eſſe. ideo abſinth. & roſas per pondera deſcripſi. R. Dod.

12. Ut à lato lumbrico. quod in viro factum. Alia, cui inteſtinum diſſectum plenum floribus inventum, quibus commotis cogebatur crudos piſces comedere, unde vulgò lutram eam in ventre habere exiſtimabatur.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXXVIII, ad Caput XXXVIII.*

[*Citta, ſive Malacia*] Ita ex *Græcorum* mente, ſed à *Latinis*, ut ait auctor, *Pica* nuncupatur, fortè quia ſimili ſymptomate multoties corripiatur avicula illa de qua *Martialis lib.*4. ita cecinit:

*Pica loquax certa Dominum te voce ſaluto,*
*Si me non videas, eſſe negabis avem.*

Eſt autem concupiſcentia quædam ciborum vitioſarum qualitatum, ut præ omnibus adnotavit *Aëtius lib.*9.*cap.*23, quando videlicet ventriculus, vitioſis humoribus ſcatet, natura ſimilia appetit, edulia vitioſa nempe, tetra, & nidoroſa, ut terram, teſtas, carbones, goſſipium, lanam, gypſam, & cætera.

DE

# DE SITI.

## CAP. XXXIX.

*Lect.81. Martij 12.*

SItis naturalis est appetentia humidi ejus, quod cibi ac alimenti est vehiculum; sed quæ modum excedit symptoma est appetitricis facultatis depravatæ.

Cujus causa esse potest aut calida, aut sicca, vel utraque, ventriculi & præsertim ipsius intemperies. Vel salsi & biliosi humores, os ventriculi mordicantes; vel etiam ejuscemodi edulia, aut potiones. non rarò verò etiam meracissimi ac potentissimi vini potus. In jocinore verò, ac præsertim ejus sima ac interna parte, in mesenterio, in jejuno intestino, in imo ventre, vel etiam in ipso pulmone si affectio aliqua constiterit erysipelatis aut inflammationis naturam referens: sitis etiam accenditur, ut in febribus acutis. Potest verò & inopia humidi sitis causa esse: veluti post copiosa sanguinis profluvia, vel post alias vacuationes sive sponte, sive à medicamentis factis: sic & post labores ac sudores immodicos. Non rarò autem & diabetes, proprius renum affectus ingentis sitis causa est. quem Gal. ea de causa Dipsacum vocat, & caninæ appetentiæ proportione respondere ait. Iam verò & hydropici frequentissime siti premuntur.

Si itaque sitis causa fuerit calida aliqua in ore ventriculi citra humorem intemperies, frigidæ potio conducit. tum & ea prosunt, quæ adversus inappetē-

tiam ex hac causa supra commendata sunt. Sic & siccitatis solius humidum remedium est.

Quod si verò salsi ac biliosi humores sitim excitarint: (quod ex salso vel amaro in ore sapore, aut ejuscemodi ructu cognosci potest) tunc humorum vacuatio facienda, ut in curatione inappetentiæ ex hac causa dictum est. Cibis verò salsis aut acribus assumptis, aut nimio vino meraco: superdormire utile fuerit. concoquitur enim ut Gal. in comment. 27. aph. 5. particulæ, per somnũ quod assumptum [5] est, ac deorsum descendit.

Quando verò interiorum partium aliqua inflammatio, aut erysipelatis naturam referens affectio, aut febris acuta, magnæ ac modum excedentis sitis causa extiterit: quomodo, & qua ratione, eis sit succurendum ante ostensum, ubi de siti in febribus. Ibidem quandoque dictum, quid faciendum: quando post magnam vacuationem, sive sanguinis, sive alterius humoris, sitis nimia urget. Citò enim nutriri, ac refici laborantes, debent, & humido quidem alimento: nam, ut Hipp. facilius est impleri potu quam cibo. 11. aph. 5.

Adversus diabetem autem, quæ semper ingentis sitis est causa; cujusmodi remedijs sit utendum, suo loco dicetur. Hydropicis sitim ferre expediens ac utile est.[6] præsertim leucophlegmatia sive hyposarca laborantibus. profuit his nonnunquam gingiberis frustum [7] in ore continere, atque ipsum subinde mandere, salivam enim provocat; per quam sitis nonnihil sedatur, & simul ad superfluæ humiditatis resiccationem conducit.

Cavendum autem est urgente siti, ne multus ac co-

copiosus potus affatim ingeratur: nam vehementi siti laborantes, si larga potione utantur. 4. accidentiũ periculum, ut Gal. [8] ait, subire solent: Vel enim ad vomitum irritantur: vel, potu citò per intestina descedente fluore, alvi aut lyenteria corripiuntur: Vel potus in ventriculo hærens ejusdem inflationem 9 parit: vel, celeriter per vias urinæ transiens diabetem, sive urinæ fluorem excitat.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Ut in bima puellula, cui ventriculus, qua folliculo fellis adjacet, non solum æruginosa bile perfusus, sed & ab eadem perforatus erat: unde ingestis uno die cerevisiæ libris sex, septemvè, sitim tamen restinguere non poterat.

2. Quæ inditium medicamenti benè operantis.

3. In ascite, quod humores sint acres. In leucophlegmatia, quia febricula ferè etiam adest; utpote humoribus putrescentibus.

4. Non solum aquæ, sed etiam cerevisiæ.

5. Ac tum qualitate amissa, sitim non faciunt amplius.

6. Concretis quosdam ossibus, ac sine medullis vivere accepimus. signum eorum esse nec sitim sentire, nec sudorem emittere. Quamquam & voluntate scimus sitim victam. equitemque Romanũ in pupillaribus annis aquæ subtercutem fusæ morbo prohibitum humore à medicis, naturam fecisse consuetudine, atque in senecta caruisse potu. Plin. lib. 7. cap. 18.

7. In ascite forte non prodesset ob humorum acrimoniam.

8. Lib. 6. de loc. aff. cap. 1. Nulla re similis est febricitantium sitis siti sanorum. hi si bibant, non ul-

tra sitiunt. illi verò brevi tempore se bibisse cum delectatione sentiunt, dein nauseant, aqua in bilem vertitur, vomunt, tormina patiuntur, iterumque validius sitiunt. Epictet. apud Arrian. l.4.c.9.

9. Quod multum contingit febricitantibus, crassam cerevisiam bibentibus, quum descendere non possit. Nocet etiam lac. magis tamen ex quo butyrum extractum. cito enim concrescit in ventriculo calido. sic quidam subito pereunt hausto lacte: nisi id concretum evomant.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XXXIX, ad Caput XXXIX.*

Non parvi facienda est ejus curatio, nam nonnullos *Galenus. 1. de sympt. causis*, perijsse propter sitim docuit; quod confirmant historiæ illæ relatæ à *Iohanne Ravisio* Textore. 1. *tomo sui operis*, titulo de siti & fame mortui.

Nec minus gravitatem sitis ostendunt verba illa filiorum *Israel Exodi*. 17. contra *Moisen* dicentum: *Cur fecistis nos exire de Ægypto, ut occideres nos, & liberos nostros, ac jumenta, siti?*

Plura de ea, si legere concupiscis, consule *Plinium lib.*10.*Nat. Hist.cap.*43.

## DE NAUSEA ET VOMITU.

### CAP. XL.

*Lect.*82. *Martij* 13.

NAusea & vomitus facultatis expultricis ventriculi motus sunt depravati, accedente [1] retentricis debilitate. in hoc tamen differentes, quod nausea conatus quidam sit ad vomitionem irritus, sive

ſive inanis irritatio ventriculum atque ejus oſtium commovens; nullum interim humorem expellens: Vomitus verò eorum, quæ in ventriculo continentur, atque ipſi moleſta ſunt, ſurſum per os vehemens eſt expulſio.

Contrahit autem ſe tunc ventriculus circum ea, quæ in ipſo ſunt: ac eo modo extrudit & expellit, quæ excernuntur. Nauſea autem vomitum præcedit. non tamen ſemper, nauſeam vomitus ſequitur. Hæc ſi in morbis acutis in die ſuperveniat theoritico, aut decretorio, apparentibus ſignis concoctionis, futuræ per vomitum criſis & ſolutionis ipſius morbi ſpem facit. atque hujuſcemodi nauſeæ non eſt reſiſtendum: veluti neque vomitioni, quæ in die fit decretorio quamdiu confert, & leviter fertur.

Sed nauſeæ alio tempore moleſtæ, per curationem peccantium & vitioſorum humorum curandæ ſunt, ut prius dictum.

Sic & vomitus, qui die non decretorio, nec apparentibus ſignis concoctionis ſupervenit, & moleſtè fertur, modumque excedit, ac vires dejicit: omni ſiſtendus eſt modo, partim divertentibus, partim alijs remedijs, pro cauſæ tamen efficientis conditione: nam ſi humores bilioſi acres ac mordaces vomitum effecerint, veluti in febribus acutis, curatio inſtituenda ut dictum eſt, ubi de curatione vomitus in febribus.

Si autem frigidi ac pituitoſi humores copia ſua ventriculum aggravent, & ad vomitionẽ impellant, & ſimul adſint graves ac moleſti dolores colicis ſimiles (facta prius ſive per enemata, ſive per glan-

des diversione) fomenta erunt adhibenda ventriculo ac ejus ostio calida, veluti ex crusta panis tosta 2 aceto deinde, vel generoso vino leviter madefacta, superasperso pulvere caryophillorum: vel garyophillis 3 ipsis crustæ impositis, quæ tam calida quam ferri potest applicanda.

Hujus loco sacculo uti licebit, in quo absinthium, rosæ, origanum, calamenthum, pulegium, serpillum, thymus & similes herbæ :1 & 4 sem. anisi, carvi, cymini sint insuta 3. qui in vino decoctus & expressus erit ventriculo admovendus. Sedato vomitu, offerenda ventriculum calefacientia ac roborantia, & unguentis, ceratis, ac sacculis cum gossypio utendū: veluti in curatione fastidij à causa frigida. Observata eadem ac simili victus ratione. Si autem non vehemens pituitosorum ac crudorum humorum vomitio sit, neque cum magno dolore, & frequenter singulisque ferè diebus recurrens: hiera picra danda erit, vel pillulæ alephanginæ, aut simile aliquod med. cum syr. acetoso, vel oxymelite. Syr. etiam acetosus sive simpl. vel etiam 6 compositus jejuno ventriculo sumptus sæpè solus vomitionem curavit talē 7: humores pituitosos incidens ac deorsum compellens. Postea possunt confect. dari: & unctiones similiaque localia adhiberi, ut ante dictum.

*Lect. 83: Martij 15.*

Contingit autem vomitionem non solum propter vitiosorum humorum in ventriculo collectionem ac redundantiam fieri, sed & alijs de causis. Colicos, ac nephriticos dolores frequenter comitatur vomitus, & non rarò ipsius paulò ante assumpti cibi 5, nonnunquam verò & crudorum humorem.

Huic

Huic autem vomitioni non aliud adhibendum remedium, quàm affectio, quam comitatur, requirit. Exonerat ſe & quandoque lien, aut jecur, & copioſum ſanguinem, eumque atrum ad ventriculum demittit, qui deinde cum vomitu per vim cum moleſtia & magna virium dejectione rejicitur, de qua prius dictum eſt. Ilei dolorem vomitus quoque comitatur: qui gravis, moleſtus & pernicioſus, ut Hip. refert 10.aph.7. præſertim quando alvi excrementa per os redduntur, & ea quæ ſubtus injecta ſunt, ſive enemata, ſive glandes, ſurſum rapiuntur. Eſt & malus vomitus ex phymatis, ſive tuberculi interioris ruptione. quod quidem vel in ventriculo, [9] aut ſima hepatis parte, vel in liene, aut vicina aliqua conſtitit. Iam & malus vomitus eſt in omni capitis vulnere. oſtendit enim cerebri meninges, vel ipſam ejus ſubſtantiam ſimul læſam eſſe. quod abſque ſummo vitæ periculo non accidit. Peſtilentes febres comitatur etiam [10] pernicioſus vomitus: qui veneni vehementiam & malignitatem oſtendit. In omni a vomitu ex quacunque cauſa fiat, ſingultus & [11] oculorum rubor, Hipp. authore, mala ſunt. Malæ verò & convulſiones. ſignificant enim ſuperfluam ac nimiam corporis inanitionem. Extant verò & nonnullæ apud Hipp. 2. prædict. de vomitu ſententiæ, quas illinc requirendas reliquimus.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Sic quidam difficiles ad movendum: quod retentricem habent firmam. Loquimur autem de ea, quæ fit ante cibum aſſumptum. de ea, quæ poſt cibum, infra agemus,

2. Incrassis corporibus ut penetret. in tenuibus magis vinum placet, quum tanta diductione non est opus.

3. Quia calfaciunt, atque ut fructus immaturi astringunt.

4. Ut si sint flatus aliqui discutiantur.

5. Vel spongia horum decocto imbuta. quidam orbem ligneũ calfactum applicant. apponunt etiam ligneam patellam, cineribus calidis plenam, cui superinductus pannus duplex vino madefactus. Italæ mulierculæ cineres calidos linteo immissos applicant. Ex ligneis orbibus nimium calidis, nimisque frequenter admotis, hepar inflammatum, suppuratum, atque ægrum mori vidimus.

6. Vel ipsi ex ijs, quæ ventriculo utilia, ut enula, mentha, origano cum aceto & saccharo componimus.

7. In exigua quantitate, & ut vomitum faciat. tamen causam tollit.

8. Quicquid fuerit in ventriculo. non enim per se afficitur.

9. In pulmone, vel mesenterio vomitum non movet, sed quandoque per intestina effertur pus. quod Fernel. ait, & vidi. nihil autem mali, modo ita erumpat.

10. Semper quidem adest. verum quandoque minor. ita ut assumpta retineri queant. ac tum major spes salutis.

11. Qui vomunt facilè laborant oculis. nec adeò malum. neque etiam in Coacis ejus fit mentio. sed solum in aph. qui fortè depravati.

NI-

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XL, ad Caput XL.*

Fere omnes practici, quos ego legi, ſub uno, & eodem capite de Nauſea, & vomitũ, eſſentias, cauſas, ſigna, convenientiam, & differentiam conſcribunt: illo fortaſſis ducti, quod tanquam prius, & poſterius ſe habere certum teneant, juxta illud *Galeni, lib.2. de ſympt. cauſ.* 4. *Veluti autem vomitiones nauſeæ præcedunt.*

Sed cum certum ſit, atque experientia conſpicuum, quotidie unum ſine altero videri, quod ipſe *Galenus* paulo inferius teſtatur, ideo auctor levem inter has ſpecies, diſtinctionem rectè fecit.

## DE IMBECILLITATE VENTRICVLI.

### CAP. XLI.

VEntriculi imbecillitas ejus dicitur affectio, per quã cibus aſſumptus ægrè [1] retinetur ac difficulter tardèq; conficitur, & ſubinde cũ exigua appetentia concupiſcitur ſic, ut non niſi modicus aſſumi queat; languor nẽpe vẽtriculi & viriũ ejus exolutio.

Hujuſcemodi autem imbecillitas non rarò ex morbo [2] convaleſcentibus adeſt, quandoque verò ex ejus intemperie humida ipſum laxante, contingit, & talem quidem affectum ὑπτιασμὸν veteres appellant, ſive ſupinitatem. quod videlicet reſolutis ejus viribus quaſi ſupinus jacet.

1. Huic proxima eſt [3] ἀνατροπή dicta, ſeu ſubverſio

ventriculi. nauseosa affectio & conatus quidam vomendi, sed ab assumpto cibo. in quo à nausea differt; nausea enim jejuno accidit ventriculo: ἀνατροπὴ verò post cibum assumptum.

Accidit hæc propter ventriculi facultatis retentricis debilitatem: quando videlicet plus cibi ingestum est, quam commodè ventriculus amplecti & concoquere valet. Hoc autem modo affectos, stomachicos veteres nominant.

*Lect. 84. Martij 16.*

2. Reperitur verò & alterius ἀνατροπῆς apud Gal. mentio lib. 8. secund. locos qui εἰλεώδης cognominatur. interpres, volvulosam stomachi 4 subversionem vocat. hæc cum magno dolore contingit, & à priore differens est.

Superioribus autem duobus malis annumeratur etiam ventriculi πτυελισμὸς sive salivatio. quæ est humida 5 ipsius constitutio cum dulcis pituitæ in eo redundantia. quæ deinde sensim ad fauces sursum fertur, ac per frequentem screatum expuitur.

Curatio horum affectuum in bona victus vivendique ratione potissimum consistit. Resiccantium, ac mediocriter astringentium usus utilis est; Et si frigiditas adsit, moderatè calfacientium. Exercitium non vehemens 6 & sudorem non movens, jejuno corpore, conducit, & exigui temporis à cibo abstinentia. Post cibum sumptum quiescendum 7 est: præsertim quum ventriculus subversione laboret 8. ac suo tempore somnus admittendus. Cibum oportet esse facilis concoctionis: ut sunt ova, carnes vitulorum, & volucrium. inter quæ laudantur aviculæ silvestres & montanæ, longè à locis palustribus versantes,

ſantes. Præſtat autem cibum aſſum [9] magis quam elixum edere, & aſtringentibus nonnullis conditum ut uva immatura, uva criſpa, baccis oxyacanthæ ſeu berberis, mali punici acinis, vino omphacite, quod omphacium vocant; quibus & aromata admiſcenda ſunt [10]: ut gingiber, cinnamomum, caryophylli, vel etiam piper aut galanga. Poſſunt & olivæ muria conditæ dari, tum & cappares; & quæcnnque ſunt talia [11], quæ vel ſtatim initio, vel cum ipſo cibo aſſumere prodeſt. A cibo laudantur aſtringentia, ut ſunt carnes cydoneorũ, inter quas præſtant aromata admixta habentes. Dantur verò & utiliter tragemata quædam poſt cibum: ut [12] ex roſis rubris, ſem. coriandri, cinnamomo, & alijs nonnullis cum ſaccharo permixta; quæ cum particula panis toſti in vino madefacti aut aliter exhibentur. Vnctiones autem ex ol. aſtringentibus. tum & alia localia, qualia in κιττα' dicta ſunt, conveniunt.

Quod ſi verò & adeo multa ſit ventriculi humiditas ut præſcripta ratione non mox corrigatur, danda erit pill. una ex hiera picra, vel alephang. pondere [13]. ℈ ß. bis tervè in hebdomada, mane jejuno ventriculo. quæ ad humiditatem reſiccandam, & roborandum ventriculum prodeſſe poterit.

Subverſio autem illa, quæ volvuloſa dicitur curationem requirit, qualem crudi humoris cum dolore vomitio. de qua ante dictum. Commendant ad hanc veteres paſtillum Amazonium [14] quum ex calidis, aliquot med. componitur, quibus additur opium. hujus locò noſtra ætate diagalanga, diacyminum, & ſimiles compoſ. receptæ ſunt. neque

que alijs utimur, nisi magnitudo doloris ad opiata impellat.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Nescio an stomachi solutionem dicens Scribonius non hunc affectum intellexerit. Vox ὑπτάζειν cessationem denotat apud Polluc. l. 3. c. 25.

2. Ore ventriculi cum alijs corporis partibus debilitato.

3. Videtur sic appellare, tum appetitus perditionem, tum nauseosas dispositiones, in quibus aliquando quidẽ vomitus contingunt. fiunt, si post ad sumptũ cibũ paulò vehementius moveant. 8. κτ. τόπ.

4. [Aët. cap. de vomitu sic appellari dicit vomitus concitatiores à serosis ac malignis humoribus.]

5. Hic major humorum copia. quo à prioribus differt. πλάδον author lib. qui Medic. inscribitur cap. de humoribus appellat.

6. Quia omne, quod vires dejicit, etiam ventriculi robur frangit.

7. Ut concoctio melius perfici possit.

8. Quia levi motu ad vomitum incitarentur.

9. [Dicit hoc etiam Gal. 7. meth. 4. ac paucum etiam vult esse.] πλάδον ventriculi resiccat ξηροφαγία, & absinthij potus. In med. c. de humor.

10. Præsertim si frigidus ventriculus, ne frigidis offendatur. Prosunt verò, & quæ bene olent. nam odores τὸ κύτος ἅπαν quod inter verticem atque umbilicum est [imò & quæ infra, ut matricem] τραχύνει, ἢ πραΰνει, ut scribit in Timæo Plato.

11. Sic caro salsa, harenga, & similia, jus olivarum ratione salis resiccantia.

12. ℞. Rosar. rubr. sem. coriandri præparati, cinnamoni ana ʒ ij. mastich. garyophyll. sem. anisi. ana ʒ ß. sacchari quantum est pondus omniũ.

13. Magnam enim quantitatem non fert ventriculus

culus, & si non statim purget; tempore id faciet.

14. ℞. Sem. selini ʒ vj. anisi ʒ vj. absinthij ʒ iiij. piperis ʒ ij. myrrhæ ʒ ij. cinnamomi ʒ vj. opij ʒ ij. castorij ʒ ij. fiant cum aq. trochi Dosis integra ʒ j. Stomachicis cum vini protropi ℥ iij. exhibetur. 8. Secundum loca Gal. ex Asclepiade.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio* XLI, *ad Caput* XLI.

[*Ex intemperie humida.*] Calida intemperies etiam debilitat stomachum: licet enim calor sit amicus naturæ, tamen cum excedit, destruit mediocritatem caloris innati, spiritus dissipat, sanguinem resolvit, tonum symmetriamque hujus morbi omnino prosternit: ut placuit *Galeno libro de inæquali intemp*, *cap*. 3. Alioqui febricitantes melius concoquerent, quod falsum est, nam caliditas velut flamma major absumit minorem, nimia si sit, & superflua.

Corriges frigeriferis exhibitis intus assumptis, & extra ventriculum admotis.

Insuper ex calida & sicca intemperie homines facillimè resolvuntur, quia semper pori sunt aperti, & per has patentes vias continuo calidum evaporat. & ideo dicebat *Galenus lib*. 10. *Meth*. *cap*. 5. *calidum & siccum corpus, cum febricitat, oportet viribus sit valentibus. & cap*. 1. *ejusdem libri calidissimis corporibus adversissimam esse inediam.*

Quia ex inedia corpora resolvuntur, præsertim si adsit calida, & sicca corporis intemperies.

Frigiditatis autem in ventriculo præter alias & hæc est adjungẽda causa, ex *Galeni* doctrinâ desumpta, nempe omenti abscissio, vel extenuatio: nam omentum ventriculi calefactionem juvat multum, & idcirco calefaciendi gratia factum est ab ipsa natura, ex *Galeno lib*.4. *de usu part*.*cap*.9.

DE

# DE CRUDITATE.

## CAP. XLII.

*Lect.84. Martij 19.*

CRuditas facultatis concoctricis ipsius, ventriculi frustratio est. Triplici hæc accidit modo 1. Quando cibus assumptus omnino non alteratur: quæ ἀπεψία dicitur. & extrema est cruditas. 2. Quãdo cibus quidem alteratur, sed tardè & difficulter admodum, sic ut multo tempore vix mutationem suscipiat. Dicitur & hæc cruditas, non tamen privationem, sed vitium tantummodo significans; Græci βραδυπεψίαν .i. tardam concoctionem appellant. 3. Quando assumpta non ut oportet mutantur, sed non corrumpuntur, sic ut concoqui nequeant, atque in substantiam idoneam ad corporis nutritionem converti non possint. & tale quidem concoctionis vitium cruditatis etiam nomine comprehenditur, & nullum nomen proprium ut Gal. ait, obtinet.

Causa autem cruditatis duplex est: vel enim ipsius ventriculi facultas læsa, vel aliquis externus error. Læditur autem ventriculi facultas vel per intemperiem aliquam, frequentius frigidam, subinde & nimis calidam; & quandoque absque humore, quandoque cum humore: vel propter inflammationem, erysipelas aut similem instrumentalem morbum [2] in eo consistentem, per quem facultas ejus læditur.

Error autem extrinsecus adveniens concoctionem impediens tripliciter fieri potest. 1. propter humo-

humores vitiosos in eo contentos. 2. à cibis, 3. propter exiguum ac breviorem somnum. Et frigida quidem intemperies concoctionem impedit, vel tardiorem eam reddit. Similiter existentes in eo frigidi ac pituitosi humores concoctionem assumptorũ remorantur. Nimis etiam calida ventriculi intemperies cibos facilis concoctionis corrumpit, ac in pravam substantiam convertit. quod & biliosi, ac vitiosi humores in ventriculo existentes, faciunt. Pravi item ac vitiosi cibi [3] bonam concoctionem impediunt. licet nullo affectu ventriculus laboret. Impeditur verò, & concoctio per immodicam ciborum potionisque quantitatem. quando videlicet tanta assumptorum est copia, ut nec retinere eos ventriculus queat. tunc enim assumpta subinde vomitu rejiciuntur, vel multum temporis quietis ac somni ad concoctionem requirunt [4]. Mala verò & qualitas assumptorum non raro causa est, ut non concoquantur: ut cibi corrupti, malè cocti, adusti, & quos natura odit, [5] aut ventriculus fastidit.

Sic & nonnullorum substantia concoctioni rebellis est: ut sunt vinacea, & folliculi uvarum, cappares, aliorumque fructuum membranæ, furfures, & plura alia, quæ non permutata cum excrementis descendunt. Ordo quoque in assumendis cibis præposterus, ut Gal. ait, quandoque & cruditatis causa est: veluti, inquit, si quis exempli causa, aut cotonea, aut mala punica in primis ingessit, mox olera ex oleo & garo [6]. Potest & cibus intempestivè assumptus idem efficere: quum videlicet ingeritur priusquam antecedens concoctus sit, aut descenderit. Et totidem quidem modis per cibum concoctio impeditur.

Opus

Opus verò est ad cibi probam concoctionem, quiete ac somno ·.Si itaque somnus impediatur, aut brevior sit, cruditatis quoque causa erit, nullo in ventriculo interno vitio existente, ut Gal. confessus est.

*Lect. 86. Martij 20.*

Curatio cruditatis pro causæ efficientis conditione perficitur. Si frigiditas ventriculi sola concoctionem remoretur, exhibenda sunt aromata calida per se, vel cum cibis permixta: vel compositionis similes. deinde & unctiones, empl. sacculi ut in curatione ex causa frigida. Condúcit verò & fotus cum spongia ex vino forti, fulvo, veteri, non dulci, sed austero. Iam & catellos viuentes extrinsecus admoveri ventriculo non parum prodest. Gal. puellum carnosum per quietem admoveri consulit.

Quod si simul adsint frig humores, expurgare eos oportet: veluti in appetentia canina dictum, si non usu oxymelitis aut syr. acetosi concoctio emendetur.

Intemperies verò calida absque humore eadem curatione, qua cibi inappetentia à simili causa: usu videlicet actu ac potentia refrigerantium.

Humores autem biliosi, ac vitiosi concoctionem depravantes expurgandi sunt, veluti ante dictum.

Circa autem cibi exhibitionem solicitudo habenda est, ut non detur nisi post mediocre exercitium; & non nisi optimus ac facilis concoctionis, qualis ante dictus. & quies ac somnus non impediantur. Vitiosa verò ac corrupta alimenta quam citissimè vel vomitione rejicienda sunt, vel per alvum deducenda. Si immodica assumptorum quan-

quantitas offenderit [8], quies & somnus imperanda sunt. Eadem facienda quando præpostere, vel intempestivè cibi assumpti sunt.

Magna autem cruditas ventriculi diu consistens, vel ad lienteriam, vel ad hydropem laborantem perducit. Sed quæ ex vitiosis humoribus, aut ex pravis fit cibarijs, facilè febrem inducit [9].

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Ventris haud segne ministerium, nec magis alitur, quam alit, reddens in omnes corporis partes hunc, quo vimus, vigemusque divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. Agrippa Monen. apud Livium dec. 1. l. 2. Hunc regem totius corporis dixere: quod hujus validus firmet tenor omnia membra. At contra, ejusdem frangantur cuncta dolore. Sammon. Hunc quidam omnes morbos, quod omnes ex stomacho oriantur, uno remedio curari posse scripsit. Multos sanè propter errores in victu commissos, oriri; illosque uno ventrem deonerantium genere curari, verum.

2. Siquidem accedat intemperies. alias novimus aliquem, cui ob aneurisma nulla ventriculi, in quo erat, actio læsa; imò ob calidum sanguinem auctum, fortè etiam melior fuit, eo tamen rumpente subitò mortuus est; qunm antea benè pinguis, bona ratione victus, factus esset.

3. Sunt autem tales, vel sua natura: ut Fungi, ex quorum usu etiam non medicatorum (qualem Claudius sumpserat, post quem uihil amplius edit) quamplurimi quorannis moriuntur: vel vitium exterius ex putredine, aut prava præparatione contraxerunt.

4. Quanta est gula quæ sibi totos ponit apros. Pœna tamen præsens, quum tu deponis amictus

turgidus & crudũ pavonem in balnea portas. Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus. Iuvenal. Sat.l. Hinc illud. Plures necat gula quam gladius.

5. Ut caseum. sic quendam novi, qui ita oderat vaccinam carnem ut etiamsi ex bove comedisset & quis eum ex vacca comedisse diceret, omnîa evomeret. Nil autem refert, an propter ἰδιοσυγκρισίαν cibum aliquem adhorreat, an vero ἡ περὶ τούτων ὑπόνοια illos turbet. quod Asclepiades Menedemo quondam exprobravit.

6. Cujus loco nos oleo & aceto condimus cibos. Varietas etiam per se lædit: Neque verum est, quod ab Asclepiade dicitur, facilius concoqui cibos varios, eduntur enim facilius. ad concoctionem autem materiæ genus, & modus attinent. Cels.l.3.c.6. At vel ob idipsum vitanda, quod non esurientem ad comedendum invitent. Varietas itaque ciborum mala; condimentorum pessima reputanda est.

7. Nam calor, cujus opera concoctio fit, intrò per somnum fertur. Itaque quod Plinius dicit: Pervigilio præcipuè vinci cibos.l. 11. c.53. non aliter verum est, quam quod à ventriculo quem gravant, vel semicocti facilius descendant; vel jam cocti facilius distribuantur ad habitum. Eodem sensu, & illud Aëtij capiendum: erectior decubitus, si quid aliud, concoctionem adjuvat.s.4.c.50.

8. Si coactus fueris in epulis surge per medium transiens, vome, & quiesces. Ecclesiastic.c.31.v. 24. h. e. refrigerabit te, & corpori tuo non adduces infirmitatem, ut additur in vers. vulgari.

9. Quæ dato medicamento quam citissimè desinit. calor enim nondum in sanguine hæret.

NI-

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XLII, ad Caput XLII.*

Crudum enim dicimus non coctum, ut *Iuvenalis.*

*Qui crudum pavonem in balnea portas.*

Et crudus ſtomachus dicitur qui frigiditate impeditus eſcas non coquit. Sic *Horatius* 1. ſerm. *Namque pila lippis inimicum & ludere crudis.*

## DE INFLATIONE VENTRICVLI.

### CAP. XLIII.

INflatio ventriculi ejus cum dolore eſt diſtenſio, ex flatuoſo ſpiritu in ipſo collecto, & neque ſurſum, neque deorſum exitum habente.

Cauſa vel alimenta ſunt cruda: ut olera cruda, fructus crudi: qui ſuapte natura ad flatus gignendos ſunt idonei: ut & legumina quædam. Alia cauſa, frigidi & pituitoſi, craſſi ſunt humores à debili calore in halitus ac flatus reſoluti; qui à retentrice facultate diutius quam par eſt retinentur. Quæ autem harum efficiens ſit cauſa, non difficulter cognoſcitur: nam crudorum olerum, fructuum, leguminumvè eſus latere non poteſt. & hinc genita inflatio non eſt diuturna. Sed ſi cruda non fuerint aſſumpta, vel cibi ad flatus gignendos idonei, cauſam eſſe crudos, craſſos, viſcidoſque humores fit manifeſtum.

Ad inflationem autem ex crudis oleribus, aut similibus cibis flatũ ingenerantibus, ſufficiunt excalfacientia [2] piper, gingiber, galanga, & ex compoſ. diagalanga, diacyminum, diaſpolit. & ſimilia.

Si verò inflatio fiat ex crudis & craſſis humoribus; hos expurgare oportet. nec ſatis eſt hiera picra ſola, ſed admiſcenda ei fortiora ſunt, ut ſunt pill. aggregativæ vel iliacæ pill. Rhaz. [3] quæ in omni dolore ex flatu ſive ventriculi, ſive inteſtinorum, mirificæ ſunt & ſingulares. harum. g. 7. aut 8. cum pill. hiera miſceri multum conducit. In hoc caſu enemata aut glandes [4] parum proſunt: ſi tamen omnino enemata injicienda videantur, acria eſſe oportet, ne diu hæreant, & flatibus viam impediant. præſtat idcirco glandibus uti.

Victus ratio & reliquorum med. in hoc affectu talis eſſe debet qualis in omni ex cauſa frigida ventriculi affectione. de quibus ante dictum.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Tenuis enim pituita non facit flatus, qui diu in ventriculo hæreant. tenues enim ſunt; ideoque facilè diſcutiuntur.

2. Non vinum, ne parte crudi humoris ad hepar rapta, obſtructione febrem faciat. Piper, Zinzeber, & præſertim craſſiuſculè contuſa, aut integra vix ultra ventriculum actionem ſuam extendunt.

3. Recipiunt Colocynt ſagapeni an. ʒ 1. ſcammonij ℈ 1. Validæ quidem per ſe exiſtunt, ſed in exigua quantitate paucorum nempe granorum, lenioribus pilulis permiſtæ mediocriter, ac nihilominus tutò agunt.

4. Quia Glandes ſupra Rectum; Enemata ſupra Colum inteſtinum vix adſcendunt.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XLIII, ad Caput XLIII.*

Signa demonſtrat *Galenus* 14. *Methodi, cap.* 7. videlicet quod digitis preſſis veſtigia non retinet, ac ſonitum veluti Tympanum reddit.

Si flatus diu detineantur fiunt in toto corporis habitu frigidi, & ſi generati in veutriculo non reſolvantur, truduntur quandoque ad matricem in mulieribus, & illic inflammationem pariunt, ſi ad caput aſcendant in eo Tinnitum, Vertiginem, & Cephalalgiam generant.

Contingit nonnumquam ijs qui poſt prandium intempeſtive ſe exercitio tradidere, & eveniat fluctuatio: quo eventu magna adhibenda eſt cura, quia tunc aliquando naſcitur inteſtinorum levitas.

## DE INFLAMMATIONE VENTRICVLI.

### CAP. XLIV.

*Lect.* 87. *Martij* 22.

VEntriculum, vel ejus oſtium, inflammatione corripi poſſe, non eſt à ratione alienum; ſed tamen rarò admodum contingit. Nata autem in illo inflammatio dolorem & tumorem affert, qui & admota manu ſentiri poteſt. adeſt febris continua, ſitis, & linguæ ariditas, quæ etiam majora ſunt, ſi inflammatio eryſipelatis naturam referat; minora, ſi vel ex ſolo ſanguine, vel ſanguine pituitoſo originem habuerit.

Curatio à ſanguinis miſſione incipere debet. ſecanda autem erit vena dextri brachij media, aut interna; ſolicitudine adhibita, ne in animi deliquium incidat laborans. quamobrem non tantum ſanguinis quantum opus videbitur una vice, ſed potius duabus extrahendum erit. Ventriculo enim & præſertim ejus oſtiolo laborante facilè animi deliquium ſupervenit. Detracto ſanguine non [3] danda purgantia medicamenta, ſed alvus leni aliquo enemate expurganda. & quidem ſæpius, ſi opus fuerit: ut ex decocto malvæ, biſmalvæ, mercurialis, violariæ. quibus addi poteſt atriplex, & beta, & nonnihil florum chamœmeli. item & furfures. hujus decocti ſumenda ℔ 1. deinde ol. viol. ℥ ij. aut iij. ſi calor vehemens eſt: ſin minus ol. chamœmel. vel chamœmel. & violacei ſimul tantumdem. & diacatholicon, vel diacaſſiæ ʒ vj. vel ℥ 1. ſacchari rubri tantumdem, exiguo ſalis addito.

Victus ratio in hoc affectu humida ſit ac liquida, ne videlicet diutius aſſumpta in ventriculo [4] hæreant: ut juſcula caponum, gallinarum, cum ptiſana decoctorum. quibus initio [5] addi poteſt ſuccus malorum punicorum acidorum, aut cydoneorum, aut ſuccus uvæ immaturæ, aut omphacium, vel ſimilia aſtringentia: à quibus tamen in progreſſu [6] morbi abſtinendum. Potus ſit ptiſanæ decoctum cum uvis paſſis & glycyrrhiza, additis etiam ficubus, ſi videatur [7] inflammatio ad ſuppurationem tendere.

Extrinſecus admovenda ſunt cataplaſmata [8] partim ex aſtringentibus, partim ex reſolventibus, ut ex rad. biſmalvæ decoctis, farina hordei & fœnugræci, abſinthio, roſis rubris. floribus chamœmeli ac meli-

loti in aqua ſimplici, vel in decoctione radicum decoctis. quibus addendum ol. chamœmelinum, & tantundem roſacei, vel de abſinthio; roſaceum quidem, ſi ad eryſipelatis naturam accedat; de abſinthio, ſi minus calida inflammatio.

Quod ſi verò ad ſuppurationem tendat (quod cognoſci poterit ex tumore non imminuto, ſed molliore facto) tunc cataplaſma admovendum, quod nec roſas, nec abſinthium, aut horum olea, aut alia aſtringentia [9] contineat; ſed rad. tantummodo biſmalvæ, & farinam tritici, ſem. lini ac fœnugræci cum ol. chamœmelino, aut ſimili.

Poſteaquam in abſceſſum converſa eruperit, potioni admiſcendum erit mel roſaceũ, vel aqua hordei cum melle roſaceo [10] propinanda; vel ſaltem hydromeli pro potione exhibendum.

Eſt autem inflammatio ventriculi gravis inprimis, ac periculoſiſſimus morbus: magnam enim cauſam eſſe oportet, quæ in parte non carnoſa inflammationem excitare poteſt. Deinde ventriculus, & præſertim ipſius oſtium, pars eſt valde ſenſibilis, quæ graves affectiones diu ſuſtinere nequeat.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Omnis enim pars, quæ ſanguineum alimentum accipit, etiam oſſa ipſa, illo ſuperfluo irruente, inflammatione corripi poteſt.

2. Præſertim in non admodum obeſis.

3. Ne fiat attractio ad locum affectum.

4. Ac comprimendo locum affectum dolorem augeant.

5. Dum materia adhuc influit.

6. Quando non amplius influit: tum enim discutientibus, aut maturantibus utendum.

7. Quod inde colligemus, si morbus diutius consistit.

8. Dum materia peccans adhuc fluit, ut in principio, & in initio augmenti.

9. Saltem magna quantitate: nam exiguum quid astringentium, ob tonum ventriculi, quæ pars satis nobilis est, conservandum, immisceri, absurdum non fuerit.

10. Ad ablutionem ulceris.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio* XLIV, *ad Caput* XLIV.

Ventriculus aliarum partium instar, ab humore calido inflammari solet.

Signa sunt calor, dolor, tumor in ore ventriculi perceptus, febris est intensa, quia pars est propinqua cordi. Infestant vomitus, sitis, nausea, oris amaritudo.

Est morbus periculosus: nam si Inflammatio in suppurationem migret, vlcus fit immedicabile, & æger febri tenui correptus, vel moritur, vel in Hecticam commigrat.

Curatio fit per topica initio ori ventriculi admota, & deinde repellentia sunt utilia. Cætera præsidia universalia rectè proponit auctor.

DE

# DE CHOLERA.

## CAP. XLV.

*Lect.88. Martij 23.*

CHolera immoderata & vehemens eſt ventriculi perturbatio, cum aſſiduo vomitu, & continua ferè alvi [1] dejectione.

Cauſa aliquando ſunt corrupti, aut vitioſi cibi [2] aſſumpti. Sæpenumerò autem pravi humores: veluti bilioſi, ventriculum ad dejectiones & per ſuperiorem, & per inferiorem partem irritantes [3].

Qualiſcunque autem tandem cauſa fuerit, poſteaquam prava [4] alimenta ventriculo moleſta rejecta fuerint, offerenda & adhibenda ſunt, quæ venrriculum roborare queant: ut ſyr. de granatis acidis, de agreſta, de cydoneis, de mentha, diaribes. quorum ſinguli vel ſeorſim vel inter ſe permixti [5] ſæpius in exigua quantitate offerendi ſunt. Ventriculus verò & totus venter inungendus ol. maſtichino, vel cydoneorum, addito ol. de mentha, vel de abſinthio; niſi obſtet [6] calor. Potus ex vino auſtero cum ſpongia ſubinde etiam profuit [7].

Alimentum, veluti ſorbitio aliqua, in exigua quantitate, & ſæpius per intervalla exhiberi debet: ut lac ex amygdalis dulcibus, vel ſorbitio ex aqua & vino cum ovi luteo, vel [8] ſimilis, quæ alvum lubricam non reddat. Iurulenta fugienda ſunt, & olera: donec ventriculus robuſtior factus ſolidiorem cibum admittere potuerit.

Poſteaquam autem cholera repreſſa vomitus, &

alvi dejectio cessaverint: si linguam & palatum albis [9] sordibus gravari contigerit, utile erit pulverem specierum hieræ cum syr. aliquo, veluti de limonibus permixtum exhibere, vel pil. ex hiera picra dare, ut reliquiæ sordium ventriculo inhærentes expurgentur.

Os verò aqua hordei, in qua sit decoctum nonnihil herbæ morsus diaboli, & adstitum aliquid mellis rosacei, sæpius colluendum.

Acutissimus autem affectus cholera est, citò laborantem in vitæ periculum adducens [10], celerrimam idcirco curationem postulans.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Alba ferè sunt quæ excernuntur.

2. Ut fungi & similes cibi. pinguedo assa, aut frixa, &c.

3. Cholerâ subitò sæpè moriuntur; neque tamen ulli morbi minori momento succurritur, &c. Hic morbus & acutus est & inter intestina stomachumque versatur, sic ut cujus potissimum partis sit, facilè dici non possit. Cels.

4. Aquam tepidam Paulus exhiberi vult. Distinguit bene Trallianus, si prava alimenta adhuc in ventriculo sint, ac nausea ac conatus quidam sint, tunc exhibenda.

5. Gratius ægris ut singulis appositis, modo hoc, modo illo utantur.

6. Non obstat calor ubi ex vitiosis est humoribus: quod plerumque fit.

7. Sanitatis pars est vomitum esse suppressum. Cels. 4. c. 11.

8. Ut conserva rosarum in aqua dissoluta, inde panis intinctus sumendus.

9. Quod

9. Quod vocant die sprouw. non sunt autem ἄφθαι veterum, in quo valde errant neoterici. nam illæ sunt ulcera maligna cum quibus etiam partes maxillæ cum dentibus exciderunt: cujus remed. aqua in qua viride æris, seu ærugo, & alumen solutum. Sordes autem hæ etiam in tertiana, post nimium usum frigidorum, contingunt.

10. Aut sequitur mors, aut convulsio, quam curato morbo tamen cessare vidimus. Magna remedia non fert ventriculus. Convelluntur autem suræ, &c. eo affectu, quem de Cramp vocamus; alij Spasmum flatulentum.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XLV, ad Caput XLV.*

*Cholera morbus*, passio est communis intestinis & ventriculo, asserente *Galeno lib. 6. de locis aff. cap. 1. & 3 de caus. sympt. cap. 2. & Celso lib. 4. cap. 11. Avicenna Fen 16. lib. 3. tract. 1, cap. 2.*

Hic morbus peracutus est, ut idem attestatur *lib. Defin. med.* quo ait: *Peracuti Cynance, & Cholera.*

Quando purgationem institueris ad vacuandam causam ne observes præceptum practicorum, qui laxantibus utuntur; quoniam semper optima methodus est exhibere expurgantia, quæ secum frænum adducant, & expurgent cum astrictione ut sunt Rhabarbarum, & cortices Myrobalanorum torrefactorum.

DE

# DE DIARHOEA.

## CAP. LXVI.

*Lect. 97. Martij 8.*

DIarrhœam Græci vocant alvi illud profluvium, per quod liquida defluunt excrementa citra tamen crudorum & non concoctorum ciborum, vel ſanguinis alicujus permixtionem. in quibus à lienteria, & dyſenteria differt. Paulus hujuſmodi affectum Cœliacum vocat. contra Celſo: Cœliacus affectus talis eſt aſtrictio, ut nec flatus erumpere, nec excrementa deſcendere, nec excerni queant.

Contingit autem alvi profluvium, vel univerſo corpore, vel una aliqua, vel pluribus partibus malè ſe habentibus, à quibus humores ad inteſtinũ tranſmiſſi diarrhœam excitant. quandoque & ventriculus ac jejunum inteſtinum malè affecta ſunt, reliquo corpore bene ſe habente. Ab univerſo autem corpore alvi profluvium non uno incidit modo: aut enim in febribus, aut in alijs acutis ſupervenit morbis. in quibus quando fit, ſi poſteaquam bona & concoctionis apparuerint ſigna, & in die critico contingat, bonum eſt: nam confert, & morbum ſolvit. tale etiam leviter fertur, nec ſtridorem facit, aut tormina infert: neque reprimendum eſt, niſi ſuperfluat & vires dejiciat. quo caſu adhibenda erunt remedia, qualia infra dicentur. Accedit verò & quandoque alvi profluvium in morbis acutis, aut febribus diuturnioribus, non apparentibus ſignis con-

concoctionis. quod diuturnitate sua molestum est, & propter corporis fit colliquationem. excrementa autem in hujusmodi profluvio liquidiora quidem sunt,non tamẽ omnino aquosa,sed glutinosa & pinguia,& ad hæc admodum graveolentia,& frequenter colore flava ac biliosa apparent. Quomodo autem huic sit occurrendum, inter accidentia in febribus,ubi de Syntexi, dictum est.

Fit verò & quandoque alvi profluviũ à toto corpore citra febrem,quando humorum in toto corpore est redundantia, quam consuetorum intermissio, & otiosa vita frequenter præcedit, vel consuetæ alicujus vacuationis suppressio,aut ciborum potuumq; immodica repletio. Tale [2] autem alvi profluvium si absque torminib. & doloribus fiat,& leviter feratur,confert, nec prius cohibendum est,quam superfluere videatur, vel tormina ac dolores accesserint, ac vires dejiciantur. Interim observanda bona victus ratio,& abstinendũ ab ijs,quæ alvum lubricare, vel irritare queant:ut sunt jura carnium, [3] olera pleraque & fructus : veluti poma,pruna,cerasa [4]. Exhibenda verò initio non ea, quæ valenter astringunt, sed quæ ad ciborum distributionem faciunt : ut vinum album tenue, & ex hoc factæ cum aqua sorbitiones : vel aqua decoctionis sem. anisi addito aliquantulum cinnamomi. Carnes potius sint assæ quam elixæ. Panis absque furfuribus, sed benè fermentatus. Perseverante autem fluxu, & molestiam afferente, præter ea quæ dicta sunt, exhiberi poterunt, quæ magis astringunt ac ventrem retinent : ut conserva rosarum rubrarum antiqua, syr. de rosis aridis, syr. de cydonijs ; & in causa calida

calida. ſyr. de mentha. carnes etiam cydoniorum conditæ ante cibum dandæ.

Vngendus verò ventriculus, tum & ipſe venter oleo maſtichino, roſarum, cydon. myrtino, aut de mentha, vel cum aliquot horum inter ſe permiſtis.

Adhiberi verò poterunt & emplaſtra, tum & ſacculi, & fomenta, ut in curatione Dearhœæ, provenientis ex mala affectione ventriculi, & jejuni inteſtini; ut infra dicetur.

A toto autem alvi profluvium etiam accidit phthiſicis, ac tabeſcentibus, ſed non propter humorum copiam, ſed propter virium naturalium imbecillitatem, & retentricis debilitatem. quale alvi profluvium lethale Hippocrates aph. 12. & 14. lib. 5. refert. Sic & quandoque [5] hydropicis alvi profluvium accidit, viribus plane dejectis, & inteſtinis à copia humorum ita preſſis, ut diu retineri nequeant. atque his, non minus quam phthiſicis, lethale eſt alvi profluvium.

*Lect. 90: April.* 10.

A jocinore autem fit alvi profluvium: quando in dextro hypochondrio gravitatis ſenſus cum tenſione aliqua ſentitur, & excrementa chyloſa fuerint, hoc eſt, concocta quidem, ſed liquida & inſtar glutinoſi humoris lenta, & ſubinde nonnihil flava, à [6] bile permiſta, vel etiam [7] varij coloris, odore nonnihil graveolentia, non tamen ita fœtida, ſicuti quando febris adeſt, vel inflammatio jecoris, aut alterius partis. deſcendunt autem hæc frequentius per noctem, quam [8] per diem. Accidit hujuſmodi alvi profluvium propter jocinoris, aut venarum meſeraicarum obſtru-

obſtructionem, & propter ipſius viſceris imbecillitatem.

In curatione autem hujuſmodi fluxus, præſertim initiò, abſtinendum ab omnibus, quæ obſtruunt & validè aſtringunt. exhibenda verò, quæ aperiunt, & ad alimenti diſtributionem faciunt. & præter hæc etiam, quæ jocinori prodeſſe poſſunt, qualia ſunt non 9 vehementer aſtringentia, quæ aperientibus admiſceri queunt. Ad aperiendum utiles ſunt rad. apij, petroſelini, ruſci, fœniculi & graminis. Ex herbis commendantur cuſcuta, cichorium, & ſi affectus frigidior, vulgare hepatorium. Ex ſeminibus, quum affectus frigidior eſt, ſem. aniſi, apij, fœniculi; quum verò affectus calidior eſt, ſem. citrulli, cucumeris, melonum, cucurbitæ. ex quibus decoctum parari poterit, agrimonia, rad. plantaginis, & ſem. coriandri additis: quæ ad jocinoris confortationem faciunt. In decocto illo diſſolvi poteſt ſyr. aliquis leniter aſtringens & roborans: veluti ſyr. ex roſis aridis, aut de granatis acidis, aut ex ſucco cydoneorum, vel oxyſacchara; quæ ad aperiendum, & ad nonnullam aſtrictionem conducit. Sic & ſyrupi dari poſſunt, ſi affectio calidior, de cichorio vel de endivia; ſi frigidior, ſyr. de Bizantijs, quibus aliquid ſupradictorum addi poterit. Conveniunt & electuaria ut diatrionſantalon & diarhodon Abbatis: & in morbo frigidiore aromaticum roſatum, vel etiam diagalanga. ex quorum ſpeciebus, additis corticibus myrobalanorum, præſertim citrinarum, & cinnamomo, cum vino albo claretum factum, utile.

Conducit verò & theriaca 10 quandoque cum vino albo à jejuno ſumpta. Proſunt & brachiorum, cru-

crurum ac dorſi ſatis fortes frictiones, & mediocre corporis exercitium, ſi vires admittant. Perſeverante diutius fluxu, vitioſos humores etiam expurgare convenit. ad quod maximè conducit rhabarbarum, maximè toſtum, cujus plus minus ʒ I. cum vino albo exhibenda.

Localia etiam remedia in hoc fluxu non ſunt prætermittenda. ungendum eſt dextrum hypochondrion † oleo maſtichino, myrtino, vel de abſinthio; & ſi calor adſit, addito roſaceo. quibus addi poteſt ceratum ſantalinum, aut unguentum comitiſſæ.

Poteſt verò adhiberi fomentum ex decocto roſarum rubrarum, abſinthij, agrimoniæ, ſeminis aniſi, coriandri, & myrti in aqua & vino decoctis.

Victus ratio non diſſimilis eſſe debet ab ea, quæ in profluvio ex humorum in toto corpore redundantia convenire ſuprà dicta eſt.

## *Alvi profluvium malè affecto liene.*

*Lect.* 91. *Apil.* 12.

A liene autem ſi diarrhœa fiat, adeſt vel tumor vel durities, vel gravitatis ſenſus aliquis in ſiniſtro hypochondrio. excrementa etiam quandoque nigricant. Talis fluxus, ſi fiat initio quartanarum, non eſt ſtatim reprimendus: etiamſi cruenta admiſceantur. terminantur ſiquidem per hujuſcemodi fluxum quartanæ, & Hipp. dyſenteriam lienoſis [11] ſupervenire bonum eſſe [12] ait 48. aph. 6. quod ſi tamen diuturnior talis fuerit fluxus, ei occurrendum. nam & lienoſis longa difficultas inteſtinorum, vel [13] hydropem, vel lienteriam & mortis periculum,

lum,

lum, affert 43. aph. 9. Sic & fluxus ventris, qui in fine quartanarum supervenit, non statim est reprimendus: nam majori periculo liberat. si tamen diuturnior fuerit, ei erit resistendum; non tamen cum astringentibus: sed per excalfacientia, & concoctionem promoventia. dandum el. diagalanga, diatrionpipereon aut simile. Venter ungendus oleo de mentha, & de absinthio. Possunt & fomenta adhiberi ex floribus chamœmeli, rosis rubris, origano, pulegio in sacculo consutis; vel ex milio, vel etiam malto torrefacto.

Victus ratio sicca esse debet. vinum laudatur generosissimum, ac potens; non tamen rubrum.

Quod si absque febre, neque post quartanam febrem, diarrhœa superveniat, excrementaque nigra fuerint: citò remedium adhibendum, priusquam in dysenteriam transeat.

Observanda bona victus ratio, qualis supra dicta. Absinthij usus quovis convenit modo. Vtiles sunt cum cibo assumpti cappares. empl. ex ammoniaco commodè lienis regioni admovetur. vel ex ol. capparorum & de absinthio unguentum. Exhibenda quæ astringunt, etiam initio, calidis tamen permixtis: ut est diacydonion cum speciebus; vel quale à Gal. in fine lib. 6. de sanit. tuend. describitur. Sic & conserva rosarum rubrarum, & trochisci de spodio conveniunt, additis speciebus diagalangæ, & diatrionpipereon; & syr. de mentha. quibus si addatur sem. nasturtij 14 modicè torrefacti med. fiet utilius. Fomenta verò & paulò antè dicta in hoc casu etiam conveniunt.

Ex capite autem destillantes humores si causa diarrhœæ fuerint, adest dolor vel gravitas capitis, & excrementa spumosa sunt, ut Hipp. 30. aph. 7. ait. Contingit autem hujuscemodi diarrhœam citius fieri sub austrina & pluviosa cæli constitutione, quam sub alia, ut aph. 16. lib. 3. Capiuntur maximè hoc fluxu balbi, ut aph. 32. lib. 6. Victus autem ratio in hac fluxus specie sicca esse debet, & cœnæ tempore admodum parca. à vino abstinendum [15]; tum & à crassa, & potentiore cerevisia. Potus sit tenuis cerevisia, vel decoctum ptisanæ cum cinnamomo; vel decoctum sem. anisi; vel decoctum cinnamomi; vel similis aliqua potio.

Capiti admovenda etiam localia: qualia in curatione destillationis dicta sunt, prosunt & apophlegmatismi, seu masticatoria: ex cubebis, mastiche, aut ex pyretri, vel pimpinellæ saxifragæ radice. Perseverante fluxu etiam purgans med. dandum [16]: ut sunt pil. ex mastiche dictæ. quæ componuntur ex agarico, mastiche & aloë vel pil. assajereth Avicennæ. quæ mastichen & myrobalanos recipiunt. quibus si nonnihil addatur rhabarbari tosti, præstantiores erunt.

Post purgationem mithridatium [17], vel theriace dari potest, vel ex his conditum additis cubebis, cardamomo, speciebus pleris archontici cum syr. de stœchade.

Huc pertinet & fluor ille ventris, qui pueris quum dentiunt supervenit. qui bona victus ratione non difficulter curatur [18], & inunctione ventris cum ol. mastichino si perseveret.

Ven-

*Lect.92. April. 16.*

Ventriculum autem & jejunum intestinum, quum alvus fluida est, malè affici existimandum est; quando nec plenitudinis, neque universi corporis, aut alicujus partis laborantis signa adsunt. alimenta tunc satis concocta apparent, sed humidæ, liquidæ & aquosæ sunt dejectiones. adest verò & quandoque nausea; præsertim ventriculo malè habente. In hoc fluxu ventriculus quandoque nonnulla imbecillitate laborat, sed præcipuè ora venarum meseraicarum ad intestinum jejunum pertinentia obstructa, impedimento sunt, quo minus alimentum distribui queat. Afficiuntur autem hæ partes non rarò propter frigidorum, præsertim astringentium, usum: ut sunt fructus immaturi [9], vel alij astringentes, ut sorba, mespila, corna, vaccinia, & vinum rubrum austerum immaturum. quandoque & fructus nullam astrictionem habentes, sed frigidi alvum perturbant: ut sunt persica, pruna, uvæ, melopepones, cucumeres; & tunc quidem præcipuè, quando in ventriculo corrumpuntur. Provocant & alvi profluvium cibi acres, salsi, aut alioqui corrupti, vel corruptioni obnoxij: ut sunt pisces, & lac quandoque post alium cibum sumptum. ab his abstinere oportet eum, qui profluvio ventris laborat: alioqui facilè illo corripiuntur, cujusmodi sunt quibus ventriculus natura debilis est. Victus autem ratio in hoc alvi profluvio talis esse debet, qualis in profluvio à corporis repletione; non astringens videlicet, sed aperiens & ad alimenti distributionem faciens [10]. Si verò cibi pravi, aut corrupti causam dederint; rhabarb. tostum utiliter exhibetur modo, quo supra dictum est. Pro-

deſt verò & exercitium corporis, & fœmorum, & dorſi frictiones. Perſeverante verò hoc profluvio, tandem & aſtringentia danda erunt; veluti primo loco dicta ſunt. & ventriculus ungendus ol. maſtich. cydon. myrtino, vel etiam de mentha. Fomentum ex milio vel malto, vel ex herbis & floribus, ut antè dictum eſt, etiam conveniunt.

Poſſunt verò & in iſto profluvio diuturno enemata injici aſtringendi vim habentia [21]: ut ex hordei mundati, roſarum rubrarum, fol. thapſi barbati, fol. ſumach. cortic. granatorum, calicum glandiũ, aut ſimilium decocto. cui adjiciendum vel mel roſaceum, ſi abſterſione opus ſit, vel ſyr. de roſis aridis, vel myrtinus, vel ex ſucco cydoneorum, (nullo addito ol. aut pingui.) & ſi adſit dolor, etiam unum aut duo ovi lutea.

In alvi autem profluvijs excrementorum mutationes juvant; ut Hipp. ait 14 aph. 2. veluti ſi prius flava ac bilioſa excernantur, dein pituitoſa: ſignificat enim hujuſmodi mutatio corpus à varijs humoribus expurgari, ſed ſi viridia, nigra, aut livida, & pinguia, atque graveolentia fiant excrementa; mutatio mala: vel enim naturalis caloris defectum, vel maximam putredinem, vel corporis colliquationem oſtendit. Vomitus autem ſpontaneus in longa, ac diurna diarrhoea ſuperveniens bonus eſt. ut Hipp. 15. aph. lib. 6. prodeſt ſiquidem vomitus ratione revulſionis & tunc quidem, quando humor aliunde in ventriculum influit, veluti quando ex capite. ſed tamẽ idcirco non eſt vomitus provocandus, niſi in longis alvi profluvijs, & quidẽ viribus conſtantibus, & his qui vomitioni aſſueverũt, ut diligẽter Hollerius annotavit.

*Seba-*

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Libr.4.c.12. Sed nescio an non virum eruditum quidẽ, sed qui animum nunc ad rem rusticam, ac militarem, nunc ad Philosophiam, & jus civile divideret, affinitas nominum Cœliaci morborum, deceperit; ut de eodem affectu hoc 12. & 14. cap bis ageret; sic tamen ut huic cap. quædam ad Cœliacum quædam ad Colicum morbum pertinentia insereret.

2. Una die fluere alvum interdum pro valetudine est, atque etiam pluribus dum febris absit, atque intra septimum diem conquiescat. purgatur enim corpus, & quod intus læsurum erat, utiliter effunditur. Verum spatium periculosum est Cels.

3. Ut sunt spinachia, malva, beta, decoctio brassicæ, &c.

4. Potui etiam quantum fieri potest, demendum: exemplo Corvorum, qui quod æstate alvi fluxu laborent, etiam nitidissimis Arethusæ, Danubij, Nili, aut alicujus alterius fontis, aut fluminis, aquis, ut bibant irritari se non sinunt; ne morbum augeant; sed quasi Tantali alij sitim perferunt; non ab Hippocr. Machaone, aut Centauro Chirone, sed à natura sola docti. Theophylact. Simocatus in physicis.

5. Hoc alvi profluvium observavi aliquando. nullus autem præter Rondeletium ejus meminit, qui omnes mori scribit.

6. Quia folliculus fellis plerumque, quando hepar debile est, & ipse simul debilitatur.

7. Pro ratione ciborum assumptorum.

8. Quando calor externus, atque motus distributionem chyli promoveat.

9. Vias enim distributioni chyli dicatas coarctare non debent, sed tantum robur partis nobilis conservare.

10. Quod motum ad centrum, seu primam corporis regionem, contrarium motum versus peripheriam inducendo, si stat.

† Ut tonus, seu robur hepati addatur. cujus virium rationem, utpote nobilissimæ partis, Medicum semper habere convenit.

11. Quibus longo tempore lien obduruit.

12. Ratione translationis, & evacuationis materiæ, quæ lieni infarcta erat.

13. Lienteriam, debilitatis diuturno pravorum humorum transitu intestinis; Hydropem hepate, liene, & toto venoso genere consentiente.

14. Ut etiam cochlearia & quæcunque nasturtio similia sapore.

15. Quia vaporibus cerebrum copiosioribus replent; qui ejus frigore densati in catarrhos vertuntur.

16. Tale quod astrictionem post se relinquat.

17. Faciunt enim ad corroborationem. & resiccationem cerebri. ut etiam cardamomum & cubeba, quæ singularia.

18. Non utendum multis med. nisi quis aliquid conservæ rosaceæ, vel viol. dare velit.

19. Sic usu uvæ crispæ multos in diarrhœam incidisse novi.

20. In omni fluore ventris necessarium est, non quoties libet desidere, sed quoties necessum est; ut hac ipsa mora in consuetudinem ferendi oneris intestina deducat. Cels.l.4.c.16.

21. ℞. Hordi mundati ℥ ß. fol. thapsi barbati. M. 1. rosar, rubrar. fol. sumach. ana M. ß. cortic. granatorum, aut calicum glandium ʒ ij. sem. coriandri, sem. anisi ana ʒ 1. f. decoctio in cujus liquor. dissolve mellis rosacei ℥ 1. ß. vel syr. myrtini & de rosis aridis ana ℥ 1. f. enema.

## NICOL. FONTANI.

## *Annotatio XLVI, ad Caput XLVI.*

In *Diarrhæa*, major copia humorum fluit, & rejicitur per alvum, quam in *Lienteria*, vel *Dyſenteria*. Si ſit cum febrè, exonerante ſeſe natura in inteſtina, & peccantes humores per alvum conante propellere, non dubites ſanguinem emittere : nam venæ ſectio revellit ab alvo, demit plenitudinem, levat naturam, & fluxum ſupprimit, præſertim in bilioſa, in qua à temperamenti cauſa commodum eſt auxilium. *hoc. 1. prorhet. ſect. 3. com. 49. monuit Galenus, & Avicenna* 4 - 1. *cap.* 20 hiſce verbis : *Amplius phlebotomia, propterea quod ad diverſum trahit, naturam ſecundum plurimum retinet.*

# DE LIENTERIA.

## CAP. XLVII.

*Lect. 93: April. 17.*

DIarrhœæ diuturniori Lienteria. i. inteſtinorũ levitas ſuccedit : quandoque verò & dyſenteriæ, ut Paulus tradit. Eſt autem lienteria velox aſſumptorum ciborum, ac potuum per alvum deſcenſus, eorundemque crudorum & nondum concoctorum, idque præcipuè propter imbecillitatẽ retentricis ventriculi, & ſuperiorum inteſtinorum. ad quam & concoctricis debilitas accedit. interdum etiam expultricis motus depravatus. atque in hoc à diarrhœa differt. nam in diarrhœa excrementa quidem liquida deſcendunt, ſed concocta. in lienteria & liquida, ſed vel parũ, vel omnino nihil mutata,

ſic ut aſſumpti alimenti genus manifeſtè agnoſcatur, vel omnino tale, quale aſſumptum eſt, dejiciatur.

Curatio non diſſimilis curationi inveteratæ diarrhœæ, quæ vel à toto corpore, vel ventriculi & inteſtinorum vitio nata eſt.

Aſtringentia, aſſumenda ſunt, & foris admovenda calfacientibus permixtis. Abſtinendum ab oleribus & fructibus, quæ alvum [6] humectant. braſſica bis cocta, ſi concoqui queat, non improbatur. Fructus aſtringentes utiles ſunt: mala cydonia quovis apparata modo, pira cocta, caſtaneæ, amygdala dulcia, ex meſpilis, ſorbis, ribeſijs [7] rubentibus, cornis cum ſaccharo bellaria confecta. Cibus ſiccior: ut ex carnibus vitulorum, aut pullis aſſis utilior eſt, quam liquidior. ſi tamen laborans aſſumere recuſet; dandæ erunt ſorbitiones: ut ex vino & aqua: vel lac amygdalarum dulcium: vel lac vaccinum, in quo ferrum candens, aut calculi [8] igniti extincti ſint: aut ex lacte puls cum oryza, milio, vel panico cocta. Ova recentia etiam conveniunt. Potus ſit vinum generoſum [9] ac potens, vel rubrum [10], vermiculum ſi maturum ſit, quod dilui poterit aqua decoctionis ſem. coriandri, vel cinnamomi, vel etiam maſtiches.

Ex medicamentoſis, utile diacydonion cum ſpeciebus, tum & alia in curatione diuturnioris diarrhœæ dicta. Vngendus verò & ventriculus ol. aliquo aſtringente: ut ol. maſtichino, vel de cydoneis, vel de mentha, vel myrtino, vel de abſinthio, aut aliquot horum permixtis, addita cera & pulveribus garyophyllorum, cyperi, galangæ, maſtiches, &

ſimi-

ſimilium. vel empl. ventriculo imponendum, quale eſt ceratum ſtomachale: præſertim ſi loco ol. roſacei [11], quod compoſitio apud Cordum habet, ſumatur ol. maſtichinum, aut de mentha. Vel poteſt componi empl. iſto præſtantius, ex ladano, cera, & oleo maſtichino, de mentha, & de abſinthio, cum garyophyllis, galanga, thure, maſtiche, roſis rubris, & lauri baccis, in pulvere tritis. Vel hujus loco applicari poteſt, quod apud Nicolaum titulo cerati Gal. extat [12].

Difficilis autem morbus lienteria eſt [13], præſertim ſi autumno [15] incipiens in hyemem pertrahatur, ut Aëtius ait. Conſequitur hunc atrophia, ſeu univerſi corporis extenuatio. In longis autē lienterijs, ſi ructus acidus, qui prius non fuit, ſuperveniat, ſignum eſſe bonum Hipp. refert aph. 1. lib. 6. ſignificat enim, ut Gal. ait, cibum aliquandiu in ventriculo retineri, mutationiſque principium accipere.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Nonnunquam enim per ſe ſupervenit quum facultatis tanta imbecilitas non ſit initio.

2. Ut quū ob cicatrices lævia ſunt inteſtina. quam Galenus ſententiam rejicit; quum ſemper lævia ſint inteſtina, & tamen cibum retineant.

3. Hæc cauſa proprijſſimè dictam, atque ab alijs morbis diſtinctam Lienteriam facit, intenſiſſima accedente cruditate. nam à Cœliace, cui maximè complicari illam Paulus exiſtimavit, diſtinguitur; quod cibi in ventriculoſa affectione liquidi, crudi tamen, in lienteria neque in conſiſtentia, neque in colore, odore, aut ulla alia quali-

tate mutati, ſed quales adſumpti ſunt, veluti per canalem (unde vulgus σωλῆνα vocat. Steph.) dejiciantur. Poteſt autem hæc debilitas poſt Ileum, hydropis per alvum ſolutionē, diuturnas Diarrhœas, aut Dyſenterias relinqui. A Rheumatiſmo autem ac Diarrhœa ſecernitur; quod nulli humores cum cibis non concoctis deſcendant. A Dyſenterijs tum per jam dicta; tum quod tormina nulla conjungantur.

4. Ut quum cibi non concòcti pondere; vel ubi ſuperficiaria excoriatio eſt acrimonia quaſi expultricem irritant. ſed illud ad Cœliacem; hoc ad Dyſenteriam potius referendum. Occludi cicatrice Meſeraicas, & ægrum vivere poſſe; imaginarium eſt.

5. Ad retentricem corroborandam, calida verò ad roborandam concoctricem adducuntur.

6. Robur & tonus nervorum & fibrarum in mediocri ſiccitate conſiſtit.

7. Aut albis; non nigris. Ante alios autem cibos hæc dentur.

8. Ut feroſæ partes abſtergentes abſumi queant, Albi autem, propter munditiem fortè, præferuntur.

9. Ut poſſit concoctio promoveri.

10. Moderatè tinctum. Potus verò parciſſimus eſſe debet. Sic Corvi, quod æſtate ventris fluxu laborare conſueverint, fontium, fluviorum, aut ſtagnorum aquas illò tempore haudquaquam attingunt; nec Arethuſæ ſplendidis, Iſtri frigidiſſimis, aut Nili latè ſtagnantibus lymphis, ut malum ſuum bibendo majus faciant, impelli ſe ſinunt; non quod ab Hippocr. Machaone, vel Chirone Diæteticen didicerint, aut ratione utantur, ſed à Natura docti, ductique. Theophil. Simocat. in Phyſicis,

11. Quod ut frigidum, concoctricis defectum augere poſſet. Ideoque nec lotio ol. & ceræ per aquam roſaceam, præſertim ſæpius repetita, hic requiritur: & pro roſis non malè, vel ſalvia, vel mentha ſubſtitueretur.

12. Vel ipsius Gal. 8. secundum loca, & 8. Methodi descriptum.

13. Quum causam habeat intemperiem factam, seu hecticam & quidē intensissimam. Atque ægros interdum trahit, interdum præcipitat.

14. Quando calidum nativum debile est; ut hyemis condensante frigore restinguatur potius quam excitetur.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XLVII, ad Caput XLVII.*

Quomodo *Cœliaca*, & *Lienteria* inter se communicent & differant petes? dic: licet uterque affectus ex offensa facultatis retentricis proveniat, quæ tanto tempore cibos non detinet, quanto indiget concoctrix facultas, pro eorum concoctione, tamen in *Cæliaca*, cibos complectitur facultas, sed non ita exacte usque ad consumatam concoctionem: In *Lienteria* abolita est omnino actio retinendi, & nullo modo concoquit ventriculus, quod non accidit in *Cæliaca*.

## DE DYSENTERIA.

### CAP. XLVIII.

*Lect.* 94. *April.* 19. *Dysenteræ differentiæ.*

DYsenteriæ nomen aliquando generaliter sumitur [1] pro quavis sanguinis per alvum & intestina excretione. Aliquando verò magis propriè, pro illa tantummodo affectione, per quam sanguis cum torminibus, ramentis quibusdam & excrementis permixtus rejicitur. Ad generaliorem appellationem

tionem pertinet ille alvi fluor, per quem tenuis sanguis loturæ recenter mactatarum carnium [2] similis excernitur: deinde aucto malo, ut Gal. 6. de loc. aff. ait, crassus humor fecibus vini, rubri videlicet, aut limo sanguinis [3], haud absimilis. Fit autem hic fluor propter retentricis, sed potissimum alteratricis jocinoris facultatum imbecillitatem, & frequentissimè citra inflammationem: quandoque verò & inflammatione accedente. hunc fluxum hepaticum, & jecorariam dysenteriam Paulus vocat.

Huc verò facit & ille sanguinis per alvum fluxus, quando natura gravata sese exonerat [4]: veluti his contingit, quibus præcisa magna aliqua corporis est pars, veluti crus ablatum, aut brachium. Vel qui priori tempore laboribus ac validis exercitijs assueti derepente hæc deseruerunt, non imminuta interim alimentorum quantitate, qua uti solebant. tunc enim sanguis, qui per validas exercitationes ac labores digeri solet, vel qui prius ad partem præcisam deferebatur celeriter, in venis colligitur, & copia nimium adaugetur. auctus autem supra modum sanguis, sæpius per nares, vel per hæmorrhoides, aut mulieribus per menses, aliquando verò & per ora venarum in intestinis [5] aperta excernitur, ut Gal. comment. 4. in lib. Hipp. de articul. vidisse se refert. Hujusmodi autem sanguinis fluorem, cruentam dysenteriam Paulus [6] nominat. Exonerat verò se & quandoque hepar, sed frequentius lien à sanguine crasso, qui plurima parte vomitione rejicitur: partim verò etiam per intestina descendit, de quo supra ubi de sanguinis vomitu.

Con-

Contingit & quandoque ſanguinem per inteſtina expurgari ab his, qui aliquando vel [7] ex alto ceciderunt, vel circa hypochondria, vel lumbos gravem aliquem ictum ſuſtinuerunt. & talis quidem ſanguis quandoque nigricans eſt, interdum vero & graveolens exiſtit.

Per hujuſcemodi autem excretiones, & multa excrementa. & affatim excerni ſolent [8], ut Gal. teſtatur.

At in dyſenteria propriè [9] dicta non copioſè, ſed paulatim, & per brevia intervalla dejectiones fiunt. nec purus ſanguis ſtatim initio, ſed in morbi progreſſu excernitur. initiò enim quidam mordaces, & acres humores cum liquidioribus excrementis deſcendunt. muccoſa deinde quædam ab inteſtinis abraſa, & ſubinde adipoſa, ac pinguia ſuccedunt. poſtea ſanguinis nonnihil admiſcetur: & tunc propriè dyſenteria dicitur. quum videlicet non ſolum abraſa ſunt inteſtina, ſed & læſa, ac exulcerata [10] eorum ſubſtantia apparet. Adſunt tunc dolores, & tormina ventris & inteſtinorum. accedit ſubinde & ſitis, & febricula quædam, interdum verò & affectio eouſque intenditur, ut membranoſæ quædam inteſtinorum particulæ ſimul expurgentur, quæ ſubinde tam magnæ, ut carunculæ quædam videantur & dicantur. Humores autem acres & mordaces, dyſenteriæ effectrices cauſæ frequentiſſimæ, bilioſi ſunt: ſubinde pituitoſi, ſalſi ac corrupti: rarò melancholici ex aduſtione nati. qui ab ipſorum excrementorum colore cognoſci, ac diſcerni poſſunt. Quandoque verò & vehementiſſimorum medicamentorum immodicus uſus, dyſen-

dysenteriæ causa est, ut scammonij, vel colochyntidis †, vel aliorum venenosorum [11]. Dysenteriæ autem à biliosis humoribus promptissimè accidunt, quando aëris constitutio calida ac diutinè sicca permanet. nam ut Hipp. 16. aph. 2. in siccitatibus dysenteriæ fiunt. sic & per aëris constitutionem humidam, præsertim pestilentem, dysenteriæ fiunt ex [12] humore pituitoso corrupto [13].

Afficiuntur autem in dysenteria propriè dicta quandoque crassa ac inferiora intestina, alias tenuia & superiora. inferiora potissimum laborare atque exulcerari, adiposa ac pinguia simul cum excrementis expurgata ostendunt: sic & sanguis ipsis non exquisitè permixtus: tum & dolores circa inferiorem ventrem. Superiora verò magis affici existimandũ, exeunt [14], & sanguis excrementis permiscetur, & dolor circa umbilicum magis existit ‡.

1. Fluxus hepaticus, jecoraria, quæ dysenteria vocatur, quomodo sit curandus, dicetur ubi de imbecillitate jocinoris.

2. At cruenta dysenteria initiò sanguinis missionem [15] requirit: qua ex communi brachij vena facta, ac etiam repetita, si repletio corporis magna fuerit, si non cesset, & superfluere videatur; adhibenda erunt remedia, quæ adversus sanguinis immodica profluvia commendantur: ut sunt rosæ rubræ, balaustia, berberis fructus, semen myrti, sem. acetosæ, acacia, hypocistus, sanguis draconis, gummi Arabicum, gummi tragacanthæ, rad. tormentillæ, bistortæ, pimpinellæ sanguisorbæ, mastix, thus, bolus armenus, terra lemnia, lapis hæmathites, corallium, succinum, cornu cervi ustum, ebur ustum quo pro spodio

ſpodio [16] officinæ utuntur. Ex his poſſunt variæ med. formæ componi. ex nonnullis poſſunt fieri pulveres qui cum aſtringentium herbarum decocto [17] aut aquis deſtillatis exhiberi queant, veluti plantaginis, polygoni, pyrolæ, equiſeti, burſæ paſtoris, & ſimilium. Si verò & pulveribus addatur conſ. roſarum rubr. vel ſyr. de roſis aridis, vel myrtinus fiet utilis mixtura ſive conditum.

Ad eundem modum licebit uti troch. de carabe [18], & de berberis, & de ſpodio nuncupatis. Sic & aquæ deſtillatæ ſupra memoratarum herbarum commendantur, præſertim addito aliquo dictorum ſyruporum. Magis tamen proſunt earundem decocta [19] additis ſupradictis rad. vel aliquibus illarum. quibus ſi acceſſerint conſolidæ majoris rad. decoctum erit præſtantius. licet enim aſtrictionem non habeant manifeſtam, tamen ad omnem ſanguinis fluorem reprimendum lentore ſuo conducunt. Conducit & fructuum aſtringentium uſus, atque ex ipſis paratorum ſyruporum, conditorum, &c. de quibus in curatione Diſenteriæ dictum eſt. Prodeſt verò & aqua in qua ferrum [20] candens ſæpius extinctum: quam ſorbitionibus & potionibus admiſceri in omni ſanguinis per alvum fluore, utile habetur.

Victus autem rationem oportet eſſe ſolito tenuiorem, ne ſanguinis copia iterum augeatur. à vino [21] abſtinendum, & in quiete tantiſper manendum, donec fluxus ſanguinis ceſſarit. quo ceſſante ſi ſuſpicio ſit aliquem in inteſtinis concretum ſanguinem hærere, leviter abſtergente enemate alvus diluenda: veluti ex hordei non purgati, vel furfurum ℔ 1. vel juris carnis ovillæ tantundem; additis ol. amygd.

dul.

dul. vel chamæmelini ℥ ij. & tantundem mellis rosacei, sacchari rubri ℥ 1. diacathol. ℥ ß. aut ʒ 6. & salis nonnihil. Vel si laborans recipere recuset enema; dandum rhabarbari infusum cum syr. ex infusione rosarum, vel diacatholicon, vel simile [22] leve medicamentum.

In illo autem sanguinis per alvum fluore, qui post causam aut vehementem percussionem accidit, si mox initio & statim [23] post casum, aut percussionem fiat; sanguis etiam, si vires ferant, mox detrahendus erit; non neglectis remedijs, quæ casus aut percussio [24] postulat. Quod si multo post tempore, eumque nigricantem & fœtidum per alvum effluere contingat, sanguis [25] non erit mittendus: nisi aliud aliquid accedat, quod missionem ejus requirat. nec initio talis sanguinis fluxus reprimendus est, sed exhibenda, quæ abluere & abstergere intestina aliquo queant modo. decoctum ptisanæ cum melle rosaceo utiliter pro potu exhibetur. Vtilia sunt & juscula caponum, aut carnis vervecinæ cum ptisana decoctorum. cum quibus procedente [26] tempore simul coquenda quædam astringentia: ut rosæ aridæ, vel fructus berberis, vel myrti semen, vel oxalis herba, aut plantago, aut pyrola, vel alia similis. aut addi omphacium, vel succus malorum punicorum, vel cydoneorum. Excedente verò & eodem fluore, & sanguine florido profluente; facienda & adhibenda erunt omnia, quæ in dysenteria cruenta mox dicta.

*Lect. 96. April. 24.*

In dysenteria autem propriè dicta siquidem à bile facta sit, & ab initio invaserit, & febris adsit, viresq; con-

constent; sanguinem [27] detrahere mox primis diebus etiam convenit. Sed si alteri morbo successerit [28] à sanguinis missione abstinendum; præsertim si is antea detractus fuerit. Sic etiam si ab atra bile, vel à salsa pituita originem habuerit; sanguinis quoque detractioni parcendum erit.

Initiò verò & purgans aliquod exhibendum, à biliosо nempe humore, acri ac mordaci dysenteria originem habente. quod tale esse debet ut astrictionem post se relinquat, quale est rhabarbarum, & præcipuè nonnihil tostum [29]. torreri autem non eousque debet ut aliqua ejus pars aduratur, sed ad ignem tantummodo tantisper resiccandum ut friabile reddatur, & facile in pulverem atteri queat.

Vtendum deinde astringentibus & fluxum reprimentibus [30], ut in dysenteria cruenta quibus tamen misceri refert lentam habentia substantiam, qua & acrimonia humorum obtundi, & intestina oblinири queant. exempli gratia. acc. conf. rosarum rubr. & carnes jujubarum, & carnes cydoneorum, aut potius gelatina eorundem. ijsque admisceantur troch. de spodio, aut de berberis vel utrique, & alia astringentia. ex quibus cum syr. myrtino, vel de rosis aridis fiat conditum. Sic & pulvis trochisc. vel aliorum astringentium exhiberi potest cum syr. de jujubis, aut cum decocto rad. althææ, aut sem. malvæ. Possunt & decoqui rad. tormentillæ, bistortæ, & alia astringentia. additis rad. althææ, vel consolidæ majoris cum aqua simpl. aut quod melius, cũ aqua in qua ferrum candens sæpius, extinctum. atque hujuscemodi decoctum condiri potest cinnamomo, &

addita glycyrriza, vel uvis paſſis dulcius reddi,ut palato ſit gratius.

Exhibenda verò non modo talia ſunt,ſed enemata injicienda ex hujuſcemodi med. compoſita; quorum præcipuè uſus requiritur quando magna & inferiora [31] inteſtina exulcerata ſunt.quũ enim aſſumpta eò pervenire nequeant niſi multum permutata, per enemata ipſis magis erit ſuccurrendum, quam per aſſumpta; quæ tamen negligi non debent. Tenuibus inteſtinis quæ aſſumuntur plus proſunt: minus utilitatis enemata conferunt. Gal.6. de loc. aff. Enemata autem initiò refert eſſe abſtergentia [32],ut ex decocto hordei non purgati addito melle roſac. & nonnihil ſacchari rubri, & uno aut altero ovi luteo,ad doloris lenitionem. Poſt hujuſcemodi enemata, injicienda alia aſtringendi vim habentia ac ſimul inteſtina oblinentia, & dolores [33] lenientia: qualia componuntur ex ptiſanæ [34], tapſi barbati, plantag. roſarum rubrarum, balauſtiorum, calicum glandium,ſem. myrti, & ſimilium decocto; addito ſem. cydoneorum, aut ſem. malvæ, lentorem ipſis communicante. deinde & ſem. [35] lini urgente dolore: nam & ad dolores mitigandos iſtud plurimũ, teſte Aëtio,confert. adduntur ovi lutea, eadem de cauſa. ad hujuſcemodi decocti ℔ 1. adduntur ſyr. myrtini, vel de roſis aridis, aut de jujubis ad inteſtina oblinenda ℥ij. & ſi opus eſt majore aſtrictione additur & [36] michletæ Nicol. plus minus ℥ 1. vel aliud ſimile, quandoque verò & bolus armenus lotus in aqua plantaginis. Olea autem, vel alia pinguia conſultò omittuntur. quia ulcera reddunt ſordidiora, & inteſtina humectant, quæ fieri non expedit.

Reite-

Reiteranda autem sæpius 37 hujuſmodi ſunt enemata, & diutinè retinenda. quo enim diutius retinentur, hoc plus utilitatis ab ijs laborans conſequitur.

*Lect.97: April. 27.*

Victus ratio in dyſenteria à bilioſo humore talis eſſe debet, ut bilis acrimonia retundatur & alvus ſimul aſtringatur. Ptiſanæ cremor, vulgò hordeatum vocant, commendatur, præſertim aliquot amygdalis dulcibus una admixtis. Conveniunt cydonea quovis modo apparata, & pira cocta, tum quæ ex fructibus aſtringentibus componuntur. Carnium uſus non admodum 38 utilis eſt. in longiori tamen morbo dandæ ſunt caponum, aut 39 perdicum carnes cum amygdalis dulcibus contuſæ. & cum aqua chalibeata decoctæ, addita etiam ptiſana. Dandus autem cibus non multus eſt una vice, ſed potius ſæpius offerendus. Laudatur & ab Aëtio ac Alexandro 40 lactis uſus poſt 3. aut 4. priores dies, ſi febris permittat; cui utile fuerit aliquid ſacchari, & aquæ chalibeatæ admiſcere. Sic & ex lacte cum oryza, panico, milio, amylo, aut etiam cum pane puro pultes factæ utiles habentur. Potus ſit ptiſanæ decoctum additis paſſulis & conſerva roſarum rubrarum, aut aliquo alio aſtringente. Vinum non dandum, niſi tenue 41 & multa aqua, chalibeata potius quam alia, dilutũ. In quiete æger continendus. Corporis enim exercitium & qualiſcunque motus, exulcerationes exaſperat, & humores reddit acriores. Somnus omnino admittendus, & ſi non ſuccedat, etiam provocandus: nam, ut Aëtius ait, optimum dyſentericis ſomnus eſt remedium.

Quod ſi verò dyſenteria ab atra bile inceperit, ta-

metsi talem Hipp. lethalem [42] affirmet 24. aph. 4. nihilominus tamen huic quoque occurrendum est; & ijsdem quidem medicamentis, tum & simili victus ratione, quibus dysenteriæ à flava bile.

Differt autem hæc non parum ab illa dysenteria, quam lienosis supervenire bonum judicavit Hipp. 48. aph. 6. talis enim non ab atra bile per adustionem genita, sed à melancholico succo originem sumit, à quo se lien exonerat. Nec hanc dysenteriam mox lethalem esse pronuntiavit; sed postquam longiori ac diuturniori factæ hydrops successerit, aut lienteria: tum demum laborantem mori scripsi.

Huic autem primo tempore non esse occurrendum [43] satis ab Hipp. monemur, sed hydrope, aut lienteria succedente; remedia haud dubiè talia adhibenda, qualia affectus qui successit requirit.

Ab humore autem pituitoso contingit & dysenteriam, licet rarius, excitari. nam & salsa mordax & corrupta pituita intestina vellicare, atque exulcerare potest. Comitantur quandoque flatuum multitudo, & procedente tempore etiam crassa non rarò pituita simul cum sanguinis grumis descendit. Initiò expurgari etiam ventrem in hac convenit. Rhabrab. tostum, licet præcipuè cholagogum, tamen & in hoc affectu utile est: nam intestinis & proximis venis inhærentia, qualiacunq; ea sint, educit. Post purgationē uno aut altero die [44] theriaces ʒ ß aut ℈ ij. dedisse cum aqua tormentillæ & ℥ ß. syr. de limonibus, non parum profuerit. Reliqua med. non refrigerantia sed calidiora, nec fortiter astringentia esse refert. Aromaticum rosatum, diaga-

diagalanga & ſimiles compoſ. conveniunt; cũ quibus nonnihil conſerva roſarum rubr. admiſceri poterit, addito ſyr. myrtino, vel de roſis aridis. Vtile & in hoc affectu diacydonion cum ſpeciebus, vel illud Gal. de quo prius dictum, & maximè morbo jam inveterato. Enemata in hoc fluxu parum proſunt, & minimè conducunt aſtringentia. ſubinde verò etiã nocent, dum crudos humores retineri efficiunt, & flatus remorantur. Victus ratio temperata eſſe debet. lac ex amygdalis dulc. convenit. ex lacte pultes antè dictæ etiam utiles ſunt, & carnes pullorum gallinaceorum, ac perdicum aſſæ, vel cum amygdalis contuſæ. Potus ſit decoctum ſem. aniſi cum cinnamomo & conſ. roſar. rub. aut vinum tenue decocto ſem. aniſi dilutũ. Ventrem ung. aut ol.[45] aſtringente inungi non admodũ prodeſt. Fomenta erũt potius adhibenda ex abſinthio, roſis rubr. florib. chamœmeli in ſacculo conſutis: qualia, præter quod concoctinẽ adjuvant, flatus etiam diſcutiunt & dolores leniunt.

*Lect. 98. May. 7.*

Quando vehemens med. purgans veluti ſcammonium, aut colocynthis dyſenteriæ cauſa fuerit, [46] theraices uſus inprimis utilis eſt. Si verò nec ſic fluxus ceſſet; offerenda ſunt, quæ ſingulorum ſunt, remedia, veluti contra noxam à ſcammonio danda ſunt lentam ſive lubricam habentia ſubſtantiam: ut ſunt muccago ſem. cytoneorũ, aut ſem. pſyllij, aut ſem. malvæ, vel etiam rad. altheæ, & caro prunorum aut jujubarum: quorum uni aut pluribus cum maſtiche, vel caro cydoneorũ admiſ. atq; ſic exhibenda, & quidem ſæpius, donec fluxus ceſſarit. Vnctio verò ventris cum oleo maſtichino etiam conducit, aut ex cydo-

cydoneis coctis catapl. cum oleo mastichino. Sic & noxa à colocyntide, corrigitur aqua mulsa, uvarum passarum decocto ol. amygd. dulcium, ut refert Mezues. Prodest & lactis tepentis potio. quod dolores lenit & intestina abrasa curat.

Omnis autem dysenteria gravis ac difficilis 47 est morbus, & frequenter 48 contagiosus. quæ si ab atra bile inceperit, deterior est, &, ut Hipp. ait, lethalis 24. aph. 4. nam ab atra bile ulcera omnia incurabilia habentur. veluti cancer ulceratus, qui ullo remedio nunquam curari potuit. Lethale autem & in dysenteria ab Hipp. judicatur, si cum excrementis veluti carunculæ exeant. 26. aph. 4. carunculæ verò Hipp. dicuntur, majusculæ partes interioris tunicæ intestinorum. tales si cum excrementis permisceantur, magnitudinem & profunditatem ulcerum ostendunt: qualia carne iterum impleri ac cicatrice obduci posse, pro impossibili habetur; 49 atque idcirco dysenteria, per quam tales excernuntur, exitialis judicatur.

Malum quoque in dysenterijs longis cibi fastidium esse Hipp. affirmat. aph. 3. lib. 6. & cum febri pejus. Quando videlicet is, qui diu dysenteria laboraverit & antea mediocriter cibum appetiverit ac sumpserit, postea eundem fastidit. signum est enim, vel pravos humores ventriculo ac ostio ejus communicari; vel per consensum ipsis laborantibus appetentiam perire, quæ ad vitam est necessaria. Si verò & febris accesserit, quæ antea non affuerat, aut si, quæ exigua fuit, intendatur, ostendit vel putredinem circa ulcera majorem factam, vel inflammationem aliquam effatu dignam supervenisse: quorum utrum-

utrumque etiam pejus. Quamobrem si ad cibi fastidium etiam febris accesserit; salus omnino est desperata. Vires enim corporis dissolvuntur, & tandem superveniente sudore frigido ægri moriuntur. Quando autem dysenteria furori ac maniæ supervenit bonum esse Hipp. ait 5. aph. 7. per humorum enim transmutationem, & à cerebro ad intestina translationem, expectanda mentis sanitas & furoris solutio: non tamen omnimoda sanitas: nam & dysenteria, si diutius perseveraverit, etiam in periculum ægrum adducit.

Solvitur autem illa potissimum mania, quæ primaria ac propria affectione cerebro laborante, ex biliosis humoribus eo perlatis nascitur. non illa, quæ per consensum fit: qualis in febribus ac morbis acutis subinde accidit. Lienosis & dysenteriam supervenire idem affirmat bonum esse. de quo jam ante, ubi de diarhœa à liene, latius dictum.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Vide Gal. 4. de artic. comm. 38. & 39.

2. Quamdiu propter atoniam semicoctus, seu crudus solummodo.

3. Quando succedente putredine, atque ex illa, calore humor qui effluit tostus, seu superassatus est, ac in melancoliam mutatus.

4. Ideoque valentis, non debilis facultatis ut fluxus hepaticus, indicium est.

5. Etiam in Recto, longè tamen supra Anum: quo solo ab Hæmorrhidibus differt. Gal.

6. Ex Gal. 5. de locis affectis circa finem.

7. Fit hoc aliquando per multos menses, vel annum etiam à percussione. oportet autem illum san-

guinem in venis loci contusi hæsisse, alioqui putruisset.

8. Præsertim in 2. & 3. specie.

9. Nomen hoc locum affectum, & symptoma, dolorem nempe, simul definit: unde fluxui, qui cũ Torminibus, solummodo propriè tribui potest.

10. Adeò ut interior tunica, soluta connexione, secundum longitudinem abscedat, egrediaturque Aret. lib. 4. cap. 6. Exulceratio autem in Dysenteria duplex; aut enim nuda intestinorum exulceratio est; aut cum putrefactione, quam Nomen Medici appellant. Gal. 9. sec. loca.

† Vel Lap. lazuli, & illorum quæ ex metallicis conficiuntur.

11. Sic Ranunculus flammula Dysent. facit. Arboris cujusdam in India fructûs quamvis dulcis, esũ Alexander Magnus, quod dysenteriam faceret, prohibuit. Theophrast. 4. histor. plant. c. 5.

12. Exercitûs Francorum pars tertia ex carnium bovillar. & aq. Padanæ nimia ingestione dysenteria facta, interijt. Proco. de bello Gothor. l. 2.

13. Tachus quum frugalem Ægyptiorum vivendi rationem Persarum delicijs permutasset, Dysenteria interijt; delitijs mortem sibi lucratus. Ælian. l. 5. var. histor.

14. Particulæ nimirum seu grumi, nam supernatat quandoque pingue quiddam, ut in colliquatione.

‡ Amphiretus à piratis, ut magnum ab ipso lytrum extorquerent, in Lemno detinebatur. at ille à cibo abstinens rubricam marinæ permistam aquæ bibebat. itaque cum sanguinis fluxu laborare illum crederent, ne moreretur, vinculis illum liberarunt: atque ita clanculũ elapsus Acanthum fuga devenit. Polybius l. 6. stratagem. Hic fluxus sanguineum mentiens ad Medicinam quidem propriè non pertinet. est tamen ubi technas hasce nosse, & Magistratus de ijs monere, necessum est.

15. Quum

15. Quum enim ex ſanguinis natur aonerante copia proveniat, ſine illius imminutione, fruſtra omnia, quæ ſanguinis fluxum ſiſtunt, adhiberentur, aut exhiberentur.

16. Nam Spodium Græcorum metallicum eſt; quod foris admoveri, non intus dari debet.

17. Ut liquoribus hiſce veluti vehiculis pulverum vires ad loca affecta deducantur.

18. Troch. de Charabe, & de Spodio, ijs qui de Berberis dicuntur magis adſtringunt; de Carabe propter papav. nigrum, & opium, etiam leviter narcotici ſua vi dolores minuunt: de Berber. verò calidiores, & cordis dejectas vires magis refocillantes exiſtunt propter ſpicam, & Galiam muſchatam, quæ recipiunt.

19. Quia adſtringentes partes, quod terreſtres ſint, in diſtillationibus vix adſcendunt.

20. Qua vino permixta, quidam à fluore ſanguinis curati fuere. Sub ferri verò nomine etiam chalybs intelligendus. Itaque & aquæ per ferri fodinas labentes, quales Spadanæ creduntur eſſe, cum fructu ægrorum exhiberi poſſent.

21. Quod calore & tenuitate ſua fluxiles humores faciat.

22. Quæ ſine acrimonia, aut vellicatione id quod in Inteſtinis continetur, educunt, & levem poſt ſe adſtrictionem relinquere ſolent.

23. Ne ſanguinis impetus ad loca caſu, vel percuſſione læſa, fiat.

24. Foris, quæ phlegmonẽ repellendo inhibeant, & dolorem ſedent. Intus quæ ſanguinis fervorẽ minuant, ne ex venis effluat prohibeant, atque oſcula venarum firment: quæque, ſi forte quid jam è venis exciderit, ne in grumos concreſcat impediant; aut ſi jam grumoſus factus ſit incidendo, &c. diſſolvant.

25. Vires enim non ultra jam conſtant; nec ſanguinem iſtum retrahere in venas, aut poſſibile, aut utile eſt.

26. Ubi corruptus ſanguis jam eductus fuerit.

27. Dum vires adhuc ſinunt, verum paucus, detrahendus. Et hoc benè ſucceſſiſſe R. Dodon. teſtari ſolebat. Laudat & Aëtius ubi vehemens ſanguinis impetus, inflammatio magna, & corpus ſanguine plenum, ut ijs, quibus conſuetæ vacuationes ſuppreſſæ ſunt &c. inflammationem namque & innatum calorem refrigerat; ſucceditque ſomnus, optimum Dyſentericis remedium. Archius apud Aët. Alijs partibus exulceratis venam ſecamus: quidni & inteſtinis? faciunt id & Turcæ. Proſper Alpin. Vide Botallum, Trellian. Althòm. Ammatum. Maſſar. &c.

28. Vires enim jam prædebilitatas eſſe neceſſe eſt.

29. Potius reſiccari debet, ut aliquid purgatricis facultatis pereat. Rondeletius torreri vetat. intelligit autem, ne aduratur. Maſſaria nunquam, & nuſquam med. danda putat, quæ quomodocunque poſſint alvum ducere.

30. Quod faciunt, vaſa per quæ mittuntur humores ad Inteſtina coarctando; & partem ad quam feruntur, Inteſtina nempe, corroborando.

31. Quia enemata inferiorem Coli partem; aut ſaltem Colum rariſſimè tranſcendunt.

32. Ne acres & corrupti humores, per ſubſequentem adſtringentium uſum retenti, majorem eroſionem faciant.

33. Qui inſtar cucurbitæ ad locum affectum alioquin trahunt humores magis fluxiles, quales præſertim bilioſi.

34. Qui reſiccandi vim habet, & dolorem ſedare poteſt.

35. Quod expertum ſe fæliciter R. Dodon. teſtabatur.

36. Vox ne Italorum, ſeu peregrina potius videtur. expertam interpretantur. ſatis adſtringens eſt.

37. Quia diu retineri non ſolent quamdiu malum non remittit.

38. Ne

38. Ne febrem augeant, auctis humoribus putredini obnoxijs.

39. Quæ reliquis ſicciores exiſtunt.

40. Quod acrimoniam humorum obtundat, inteſtina muniat, ac nonnihil roboret.

41. Ob febrem quæ plerumque conjungitur.

42. Inteſtinorum enim veluti cancerosam exulcerationem conjunctam habere ſolet.

43. Motus enim naturæ, quo peccans humor à nobiliori ad minus nobilem partem expellitur, nequaquam à miniſtro naturæ medico impediendus eſt. Quædam fit ſoluto morbo aliquo, quam curare non oportet, ne majus aliquod malum retento humore fiat. Autor libri qui Medicus inſcribitur ex Hyppocr. ſententia, cap. de humoribus.

44. Nam dolores ſedat, cruditates minuit, & fluxus omnes moderatur, ac minuit.

45. Propter rationem jam de clyſteribus allatam.

46. Non ſolum quod quatenus Narcoticam ex opio vim habet, omnes actiones in exceſſu peccantes inhibeat; quodque contrarium humoribus motum, à centro nimirum ad circumferentiam inducat; ſed potiſſimum quod quatenus Antidotum eſt, purgantibus validiorib. quæ proprie Pharmaca dicuntur & ad venenorum naturam aliquatenus accedunt, adverſetur, eorumque Alexipharmacum ſint. Vide Gal. 12. Meth. c. 7.

47. Adeo ut hiſtoricus de dyſenteria Leonis Cæſaris, qua in tantam extenuationem devenerat, ut corpus ejus undequaq; lumen tranſmitteret, dicat; Ἤλεγξε τὸ πάθος τὴν ἰατρικὴν τέχνην ἐν κινδύνοις ἄπρακτον ὑπάρχειν. Cadren. Debuiſſet dicere; In quibuſdam periculis Medicinam nihil poſſe.

48. Quando putredinis humorum gradus valdè intenſus. Talis ſæpè in caſtris uno in loco diutius hærentibus, graſſari ſolet. Plato Theætetum Corintho ex caſtris Athenas ob dyſenteriam & vulnera reverſum narrat.

49. Aretæus quidem inferioris inteſtini (Colon credo intelligit) interiorẽ tunicam connexione ſolutâ, foras exire, reliquam cicatrice ſolidari, ac hominem id paſſum ſine noxa vivere poſſe credidit. l. 4. c. 5. Gal. itidem id factum ſæpè ſe vidiſſe teſtatur, ac nihilominus ſuperſtites ægros fuiſſe, 4. de uſu parr. c. 17. ſed quum in exitialibus dyſenterijs id fieri dicat, 5. de uſu part. c. 12. ad tempus tantum ea, quæ relicta supereſt, ægros ſuſtentari, ſentijſſe videri poteſt.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XLVIII, ad Caput XLVIII.*

Hanc Latini tormina, & inteſtinorum difficultatem appellant.

Diſtat ab alijs alvi fluxibus ſanguineis (ut colligere licet ex *Galeno com.* 4. *In lib. Hippocratis, de articulis aph.* 40) quantitate, qualitate, & ſitu.

Quantitate ut in ſuppreſſis menſibus, Hæmorrhoidibus, & mutilatis, in quibus quidem fluit ſanguis qui inteſtina non ulcerat, & eſt ſine dolore; contra, hæc cum dolore, & exulceratione, ut docet auctor.

Qualitate, ſanguis bilioſus, aut melancholicus interdum per inteſtina fluit, & Dyſenteriæ nomen non meretur: quia is ea non ulcerat, & tormina non parit.

Situ, quoties hepar imbecillius redditur, ſanguis crudus, & aquoſus ab eo defluit ad inteſtina, qui loturæ carnis recens mactatæ eſt ſimilis, & à multis (*Dyſenteria Hepatica*) nuncupatur, quæ vera *Dyſenteria* eſſe non poteſt: quia per hanc inteſtina non ulcerantur.

Quomodo autem à Dyarrhæa, Cæliaca, & Lienteria;

teria, Dyſenteria differat, ex ſupra-dictis judicioſus colliget.

Recte auctor conſulit phlebotomiam in hoc affectu, quâ tu utere præſertim in gravidis, quæ ſæpe hac paſſione tentantur.

## DE TENESMO.

### CAP. XLIX.

*Lect. 99. Martij 8.*

TEneſmus 1 eſt frequens deſidendi cupiditas ad quem pauca muccoſa, raro cruenta, vel nulla ſequuntur excrementa 2. Symptoma eſt recti inteſtini, quod dyſenteriam ſæpenumerò 3 comitatur, & ſæpius eam quæ à bilioſis ac acribus & mordacibus humoribus oritur. tunc enim bilioſi humores vel ſeorſum, vel cum excrementis ad inteſtinum rectum delati illud irritant, & cupiditatem excernendi irritant, hærentiumque illic excrementorum opinionem, & ea dejiciendi deſiderium movent. à quibus humoribus & quandoque rectum inteſtinum exulcerari contingit, ſed tamen rarius. & tunc propriè Teneſmus dicitur.

Contingit verò Teneſmum fieri propter recti inteſtini inflammationem 4, veluti quandoque internè hæmorrhoides vehementius dolentes inflammantur. tunc enim aſſiduum deſidendi etiam adeſt deſiderium, de quo latius ſuo loco. Sed & duris excrementis, quæ σκύβαλα dicuntur, in inteſtino recto hærentibus deſidendi cupiditas & inani quidam conatus ſuccedit. Calculo etiam magno in veſica

vesica existente frequenter etiam tenesmus comitatur, cui non est remedium nisi calculo exciso.

Tenesmus igitur qui cum dysenteria molestus est, absque exulceratione intestini fiat, calidis [6] lenitur fomentis : & citius siccis, quam humidis. intestinum enim rectum quum substantiam habeat membranosam, & muccoso humore imbuatur, calido & sicco foveri gaudet. Fomenta ista fieri possunt ex furfuribus, floribus chamæmeli, milio, aut simili aliquo calfactis, & in oblongo tenuique sacculo impositis, ac ano admotis. Sic & asseres calidi, vel bacilli calentes ex foco sumpti panno aliquo involuti prosunt. Potest & tegulæ, aut ferro, aut lapidi ignitis vinum inspergi, vel solum, vel cum aceto mixtum, ejusque fumus calens recipi. Fomenta verò etiam ex flor. chamæm. meliloti, anethi, sem. ammios, aut cumini in aqua aut vino decoctis, subinde conducunt: potissimum quando flatus simul molesti sunt. Commendantur & exiguæ glandes, licinia vulgò appellant ex licio, thure, ladano, & alijs astringentibus addito opio, si dolor [7] vehemens, & croco opij correctorio. sed ab his abstinendum quamdiu licij loco officinæ succo periclymini [8] perperam utuntur, sed quando pro licio, vel mastiche, vel hypocystis vel aliud astringens sumitur; utilis erit hujusmodi glandium usus.

Ab exulceratione si tenesmus fiat, eadem sunt rem. adhibenda, quæ adversus intestinorum exulcerationem.

Si ab excrementis duris, erunt hæc humectantibus & mollientibus enematis mollienda, ut ex decocto malvæ, bismalvæ, flor. chamæmeli, cum ol. amygd.

amygd. dulcium, vel viol. vel chamæmelino. Quod ſi verò adeò dura fuerint ut fiſtula clyſteris nequeat imponi, parandum erit ex ſupradictis balneum, in quo æger tandiu ſedere debet, donec fæces emolleſcant. & ſi tunc neque ſponte expurgentur, vel enema quale prius dictum eſt, vel ol. viol. vel amygd. dulc. per ſyringem injiciendum, aut leve aliquod medicamentum propinandum.

Teneſmum autem gravidæ ſupervenientem abortum facere Hipp. refert 27. aph. 7. Veluti enim recto inteſtino inflammato veſica in viris, ſic uterus in mulieribus per conſenſum afficitur. quapropter graviter affecto inteſtino recto, & uterus propter propinquitatem ſimul laborat 9, unde ſequitur abortus.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Παρὰ τὸ τείνεσθαι τὸ μόριον, ὃ πέπονθεν, καὶ πρὸς ἔκκρισιν βιάζεσθαι. Hincolim βιασμὸς dicebatur.

2. Quidam in hoc lapides excrevere; quod tamen non vidi. Gal. 6. de loc. affect. c. 2.

3. Affine enim malum eſt. Nicandri comment. Sæpè etiam præcedit.

4. Tali teneſmi ſpecie T. Pompon. Atticum correptum vitam inedia finiviſſe, Nepos refert, quum prius per lumbos fiſtula puris erupiſſet. In vita Attici. Lumbos autem honeſte vocat partem quæ circa inteſtinum directum eſt. Paulus hanc inflammationem œdematoſam eſſe ſcribit.

5. Pondere enim, & aliquando etiam aſperitate Sphincterem veſicæ quidem immediatè, Recti verò inteſtini mediatè, per illum ſcilicet, irritando, frequentem deſurgendi cupiditatem excitat.

6. Quod

6. Quod à Græcis non annotatum, usus tamen ostendit, & Avicenna quoque recensuit.

7. Alias enim omittere Narcotica satius erit, ne Sphincteris Paralysin faciant.

8. Vehementer enim calidus & incidens est ideoque irritando sphincterem, malum augeret.

9. Accedit quod expulsio fæcum alvi non solùm ope facultatis expultricis Intestinorum, sed & actione musculorum Abdominis peragatur; quorum contractione foetus itidem depellitur.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio XLIX, ad Caput XLIX.*

Hic affectus quamvis (*Celso auctore lib.* 4. *cap.* 18. neque acutus neque longus sit, cum facile tollatur, ut ipse inquit, & numquam per se juguler) molestus tamen est omnibus, & uterum gerentibus molestior: nam sene & sapientissimo *Hippocrate* auctore *lib.* 7. *aphor.* 27, *mulieri uterum gerenti si Tensio supervenerit, facit abortum.* Hoc ob dolorem ex ulcere subortum, sic & ob compressionem uteri à musculis abdominis factam, & ob frequentem ructum ex quo etiam *Febris Diaria* oriri solet.

Cætera celebrare opus est ut in *Dysenteria*, nam *Tenesmus*, ulcus est intestini recti quod similem curationem efflagitat.

## DE 1 PURULENTO SECESSU.

### CAP. L.

INter intestinorum symptomata, annumerari posse apparet & fluxus quosdam foetidos ac graveo-

letis puris; quod ſubinde bis vel ter per diem nullis excrementis permiſtum ſecernitur.

Præcedit hunc affectum in meſenterio inflammatio, [2] qua in abſceſſum converſa tandem pus per venam aliquam proximam in capacitatem inteſtini influit, ac deinde fœtidum excernitur.

Remedium huic malo nondum repertum [3], ſed hoc vitio laborantes, quum reliquarum partium ſanitate fruantur, etiam multis annis ſupereſſe poſſunt.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Cujus unus meminit Fernelius παθολογ. l. 6. c. 7. Apud Rhazin tamen iſta reperiuntur; Rupto in corpore abſceſſu maturo ſanguini miſtum pus confertim prodit; ſi is in ventre aut locis laxos rectoſque meatus ad ventrem habentibus, fuerit. Sin minus, ut ex thorace, paulatim prodit. In diviſionibus c. de fluxu ventris.

2. Cui dolorem adeſſe quamvis Fernel. hoc neget, obſervavimus quandoque R.D.

3. Quidam diu de tenſione ſub liene ad umbilicum uſque conqueſtus, & febri laborans, poſt frigus extremorum puris libras octo ſanguine mixti per alvum excrevit: ſubſequentibus nigris, & viridibus dejectionibus. quibus dolores nonnihil, minuebantur. Dedimus rhabarb. & ſimilia lenia purgantia. & poſt illa ſine calore detergentia & leniter aſtringentia, ut decoctum hordei cum betonica, & glycyriza, addito melle roſac. Foris linimentum ex ol. roſac. & chamæmel; cum pauco cerato ſantalino convaluit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio L, ad Caput L.*

Sæpius ex inteſtinorum inflammatione, fiunt ulcera, ex quibus pus fœtidũ excerni ſolet. Cognoſces ex prægreſſo morbo, ex dolore, umbilici calore intus percepto, febri aſſidua, ſæpe in inteſtino recto, ex acri, & mordaci fluxione ulcera ſuboriuntur.

Curabis aſtringentibus clyſteribus, ſicut in Dyſenteria, Medici facere conſueverunt.

Deinde accedas ad emplaſtra, & cicatricem inducentia.

Si vero adhuc perſeveret fluxus, & timor ſit, ne *Cancro* occupentur inteſtina, tunc neceſſe eſt ſudorifica præſidia exhibere parata ex *Smilacis aſperæ*, & *Ebeni* decocto, plures dies aſſumpto.

Experimento enim frequenti compertum habeo hæc ulcera velut Gallicana curata ad ſanitatem fuiſſe perducta.

Lac caprinum chalybeatum, & deinde vaccinum ſummam utilitatem præſtare ſolet, uti uſus docuit.

## DE COLICO DOLORE.

### CAP. LI.

*Lect.* 100. *Maij* 11.

COlica, affectus eſt craſſioris [1] inteſtini, quod colon dicitur, cum torminibus & magno ventris dolore. qui frequenter non uno loco [2] hæret, ſed modo in una, modo in alia parte vehementior exiſtit, accedente alvi tanta conſtipatione, ut neqne excrementa excerni [3], nec flatus emitti queant: quem

nauſea,

nauſea, & ſæpè vomitus comitantur.]

Cauſa efficiens hujus dolores frequenter eſt craſſus ac pituitoſus humor lentore ſuo inteſtinis adhærens, & excedente frigore 4 dolorem inferens. Quandoque cruda olera, aut fructus 5 crudi & præcipuè 6 aſtringentes: ut pira, corna, meſpila, & ſimilia, à quibus aſſumptis flatus gignuntur, qui quum exitum non habeant, moleſtiam ac dolorem inferunt. Sunt & quandoque calidi, acres 7 & bilioſi humores, vel inflammatio aliqua doloris colici cauſa 8: ſed tamen rarò.

Annumeratur & à nonnullis coli doloribus & is, quem fæces & excrementa ſupra tempus, & præter conſuetudinem diutius retenta faciunt.

Similis colico, nephriticus in multis eſt dolor, ſic ut difficulter ab eo dignoſci queat: præſertim quando colicus dolor 9 uno loco hæret. tunc enim non niſi poſt aliquot dies diſcrimen obſervari poteſt; quando videlicet in urinis ſabuloſa, aut arenæ apparent, vel ſanguinis grumi. tunc demum enim manifeſtum fit dolorem eſſe nephriticum. ſic & quando dolor non uno loco hæret, ſed modo hanc, modo aliam partem ventris occupat, colum affectum eſſe manifeſtum fit. Ex frigidis humoribus dolorem factum oſtendet corporis temperamentum frigidius, ſitis exigua, vomitus pituitoſi, conſtitutio aëris frigida ac potiſſimum humida. & quæ præceſſerunt ut vita otioſa, ſatietas, repletio frequens, ciborum potuumque frigidorum & difficilis concoctionis frequens uſus, ventriculi cruditas. A recenter aſſumptis frigidis contractum eſſe dolorem ex relatione laborantis cognoſci poteſt. Ex calido autem & bilioſo

lioſo humore, vel inflammatione factum coli dolorem, habitus univerſi corporis bilioſus, vita laborioſa, vomitus bilioſi, multorum calidorum uſus, & ab his quod percipiuntur nocumentum, demonſtrant. Quibus ſi febris continua acceſſerit, inflammationis ſuſpitionem affert.

Curatio autem colicæ ex frigido ac pituitoſo humore partim per vacuationem, partim per ea fit quæ excalfaciunt. Initiò enemata † injici convenit ex biſmalvæ, flor. chamomeli, centaurij minoris, pulegij, origani, ruthæ, & ſem. ammios, cumini, ſeſelios ac ſimilium decocto. in cujus ℔ 1. diſſolvendæ ℥ ij. vel iij. ol. anethini, ol. ſem. lini, ol. liliorum, ol. chamæmelini, vel etiam rutacei, ſi dolor vehemens. & addenda ℥ 1. diaphœn. elect. Indi, bened. laxativæ, & nonnihil hieræ picræ, aut hieræ 10 diacolocyntidos, quæ fortior, & nonnihil ſalis.

Dolore nonnihil ſedato, & fæcibus aliquot expurgatis, purgantia propinanda: veluti unum aliquod ex ſupradictis elect. vel ſpecies diaturbith, vel pill. aggregativæ, aut ſimiles, aut aliquod aliud med. quod humores pituitoſos educat.

Ex calfacientibus conveniunt diagalanga, diacyminum, dianiſum, diacalamentum, diaſpoliticon, theriaca, mithridatium, ſic & gingiber, piper, ſem. aniſi, ſeſelios, ammios, cymini, & alia ejus generis.

Venter verò ungendus eſt ol. rutaceo, liliorum, aut ſimili. quod ſi cum ſtillatitio vini liquore aqua vitæ vulgò dicta, recoquantur efficaciora redduntur.

Similia remedia etiam adhibenda ſunt, quando poſt

post frigidorum usum colicus dolor ex flatuum retentione juvat : nisi quod non adeò fortia debeant esse remedia. quandoque ex supradictis elect. unum aliquod, ut diacyminum sufficit. Si opus fuerit enemate, quantitate purgantium imminuta addi ipsis convenit aliquod elect. de baccis lauri flatus discutiens.

Victus ratio in utroque affectu cal, & sicca esse debet. abstinendum ab omnibus frig. seu fructibus seu oleribus quibuscunque. Optimum, ac generosissimum vinum conducit.

*Lect.* 101 : *Maij* 12.

Si coli dolor ab inflammatione, aut acri materia fiat ac biliosa; curatio superiori contraria instituenda est. Inflammatio sanguinis missionem requirit, quæ facienda è communi vena aut interna dextri brachij; sed tamen non [11] copiosa. Si soli biliosi humores citra inflammationem dolorē excitaverint, à sanguinis missione erit abstinendum : reliqua remedia frigida & humida esse convenit. Enemata erunt paranda ex fol. malvæ, bismalvæ, mercurialis, betæ, violariæ, lactucæ & similium : cum quibus & furfures abstersionis causa admisceri possunt : & sem. lini aut malvæ ad dolorem sedandum. ad hujuscemodi decocti ℔ 1. addendæ ℥ ij. vel iij. ol. violacei, aut rosacei, vel utriusque : ovi lutea ij. aut iij. sacchari rubri ℥ 1. aut ij. diacathol. vel similis compos. lenitivæ ℥ ß. aut ʒ vj. & nonnihil butyri vulgaris [12] loco salis. Purgantia med. sint ex ijs quæ bilem expurgant : ut infusum rhabarbari cum syr. ex infusione rosarum, aut cum manna, vel diaprunum solut. aut diacathol. cum decocto cichorij,

 vel

vel aliorum refrigerantium. Ad ventris inunctionem convenit ol. rosaceum, vel butyrum lotum, cui addi potest ol. chamæmelinum ad doloris sedationem. Balnea in [13] hoc affectu conveniunt ex decocto malvæ, bismalvæ, violariæ, additis floribus chamæmeli.

Victus ratio humida & frigida esse debet. cremor ptisanæ utilis est: & lactuca sive cruda, sive cocta, & alia ejus generis. Laudantur & pedes & extremæ partes vitulorum, ovium ac similium. Potus ptisanæ decoctum, vel tenuissima cerevisia, vel aqua frigida, ijs qui assuevêre.

A retentis fœcibus si coli dolor fiat, injiciendum enema molliens ex decocto malvæ, bismalvæ, flor. chamæmeli & furfurum, addito ol. amygd. dulcium, aut chamæmelino, velut in tenesmo à fæcibus retentis, & si opus fuerit balneis similibus utendum.

Vtile verò fuerit & his purgans aliquod medicamentum dare quale in colico dolore ex humore pituitoso.

Colicus dolor diuturnus, aut sæpius recurrens, non rarò in paralysin brachiorum & manuum terminatur [24]: consequitur non rarò & crurum impotentia. de cujus curatione supra dictum est, ubi de paralysi. Supervenit verò & quandoque colico dolori quando admodum vehemens, convulsio ac comitalis morbi accessio: & talis dolor gravis, & admodum periculosus. Sic & colicus dolor à biliosis humoribus factus, facile in dysenteriam commutatur: acris enim & biliosus ac mordax quum fit humor, intestina radit & exulcerat. quod aph. 23. lib. 7. testatur Hipp. A sincera, inquit, dejectione, dysenteria:

teria : ſinceram ſiquidem dejectionem appellat, merè bilioſam. Exemplaria quædam habent additam dictionem, *malum* : ſed Gaza, Leonicenus, & Cornarius in ſua verſione non habent.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Seu plenioris Inteſtini, ex quo, & nomen habet, in ea maximè parte quæ cæca eſt.

2. Prout nempe humores pituitoſi, atque hinc orti flatus, locum mutant.

3. Hinc illa; πορδή ἀποκτείνει &c. πορδὴ καὶ σώζει, &c. In anthologico epigramm. Quin & Urinæ aliquando retinentur; imò & evomuntur.

4. Tenſione etiam à flatibus, qui ex talibus humoribus produci ſolent.

5. Ut limonibus, cucumeribus. ex quibus Tiberius in Colicam incidit. Plin. 26. c. 1.

6. Quod excretiones impediant tam humorum, quam flatuum.

7. Oſtendit hoc curatio; ut in illo nobis noto P. Sautxo qui colicam ſibi familiarem hauſtu frigidæ curare ſolebat.

8. Vide Celſ. 4. c. 13. & libr. Medic. inſcribitur. c. de humoribus. Non poſſunt autem, quum denſæ ſubſtantiæ ſint inteſtina, ab alijs quam tenuibus humoribus inflammari.

9. Calculi deſcendunt quidem, ſed non niſi ſecundum ductum Ureterum, ad alterum verò locũ, vel ſurſum moveri non poſſunt.

† Ægri tamen ſæpe admittere nolunt, uti nec Plotinus Philoſoph. quamvis hunc affectum ſæpius pateretur. quod ſenem talem curandi rationem haud decere arbitraretur.

10. In Hierarum & nominibus, & deſcriptione multum variant libri medicamentarij. Nos Pachij

Antiochi auditoris Philonidis Hieram hoc nomine intelligendam credimus; qui non primus quidem hanc invenit (nam ante illum Archigenes, ac Ruffus descripserant) sed ponderibus, & quibusdam simplicibus mutatis, usu illustravit. nulli autem se vivo compositionem dedit, sed per libellum ad Tiberium Cæsarem misit; qui publicis illam bibliothecis posuit. unde Scribonius Largus ad manus suas pervenisse dicit. Exhiberi etiam intus potest à ʒ ij. ad ʒ v. quæ tamen dosis satis magna est. In clysteribus non facilè peccatur in dosi purgantium Electuariorum. Non est autem alius Pachius, alius Antiochus ut ex Aëtio vides putasse Renod. Vixit ante Gal. atque Asclepiadem. nam Gal. Colicam Pachij Antiochi ex Asclepiade libro 9. de med. secund. loca, inseruit. Misisse autem ad Tiberium verisimile, quod illius principatu id malum irrepsisset, nec quisquam prior ipso Imperatore id sensisset. Plin. l. 26. cap. 1. De quo morbo & illud Suetonij capiendum, quod convulso latere in graviorem illum morbum incidisse dicit.

11. Quia Intestina venas suas ex Porta, non ex Cava, cujus rami secantur, habent.

12. Nostrum enim quo vescimur butyrum, cum sale parari consuevit; ut stimuli loco servire, nec acrimonia, quum pinguedine obtundatur, lædere, possit.

13. Quod multò tutius. nam mixta calida quadam materia, quum reliquæ partes sunt frigidæ, sæpe decipitur medicus. à refrigerantibus in dolore colico semper abhorrendum: ac ubi communia non proficiunt, balneorum usus sæpe utilis.

14. Hipp. lib. de humor. in fine, & 6. epid. sect. 3. in articularem morbum terminari observavit. Rationem reddit Langius, quod nervi quidam à ventriculo ad brachia ferantur: quæ nulla, alij, quod feratur ad cerebrum humor (cerebrum autem intestinis συμπάσχειν; indicat comitialis morbus à colicæ

licæ

licæ ſuperveniens quandoque) unde ad nervos brachiorum dilabitur. quod probabile aliquo modo. Paulus per criſin fieri ait, poſt colicam à calidis humoribus; tum etiam epilepſiam, verum ego ſolum poſt colicam à frigida cauſa utrumque affectum obſervavi. R.D.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LI, ad Caput LI.*

*Colon* inteſtinum à dextri renis regione procedens antrorſum ad ſima jecoris convertitur, rectaque quaſi zona cingit uſque ad ſiniſtra, atque ibi deorſum flectitur, definitque in rectum inteſtinum: qua in parte *Galenus* ſentiens dolorem, credidit ſe lapidem in ureteribus pati *5. de locis cap. 2. & 2. de locis, cap. 5.*

Tenuia verò in hujus ductu, medio ſitu, ſuas faciunt revolutiones multiplices. Tenuia dico, non capacitate ſolum, & craſſa: ſed ex tunicorum qualitate.

Utrumque enim genus duplici confirmatum eſt tunicâ, verũ duplo fere craſſiores ſunt, quam craſſorum: præterea carne denſiore conſtant alia, quod jam non cibum, ſed fere cibi expurgatum quoddam continere debeant.

De curatione ſatis docte diſputat auctor. Unum ſic addas: quod in *Colico* dolore ab inflammatione, factâ phlebotomiâ, ex parte ſuperiori convenit detractio ex ſaphenâ, ex parte qua magis afficit dolor, præſertim ſi urinæ, aut alvi ſuppreſſio contingat; ut *Paulus* narrat *Capite de Colico dolore.* Alterum notanter adverte quod in colico dolore ab hac cauſâ, vel à bilioſo humore pronato purgantia caute, & ſolum urgente neceſſitate ſint propinanda, & quo ad fieri poſſit ſolis

clysteribus mollibus res sit peragenda, ne humor præcipitanter confluens in partem affectam, dolorem geminet.

# DE ILEO.

## CAP. LII.

*Lect.* 101. *Maij*. 28.

ILeos tenuioris intestini morbus est, acutissimos dolores ac gravissima ventris tormina invehens, præsertim circa umbilicum, ipsius umbilici & vicinarum partium tumore [2] quandoque accedente. Adest alvi obstructio, & subinde tanta, ut etiam ab injecto clystere nihil subsequatur comitatur verò & nonnunquam [3] vomitus non modo assumpti cibi, aut vitiosorum humorum, sed & morbo in deterius abeunte, subinde ipsorum ventris [4] excrementorũ.

Causa doloris ilei, tanta est intestinorum obstructio ut deorsum excrementorum descensum impediat. Obstruuntur autem intestina vel à crassis ac viscidis humoribus: vel à tuberculo aliquo, veluti inflammatione [5]: quandoque verò etiam à fæcibus alvi induratis [6], & alicubi in intestinorum revolutionibus impacti: veluti propter ramicem, quando intestina extra locum suum delapsa sunt, atque in ijs dura excrementa hærent. Adjuvat [7] ad has causas non parum intemperies frigida, & similiter frigidorum usus, intestina coarctans atque constringens.

Inflammationem autem tenuium intestinorũ comitatur non modo calor circa umbilici partes, sed adest & febris continua. Hac præsente, à venæ inter-

internæ dextri [8] brachij ſectione curatio auſpicanda. Deinde exhibenda & admovenda, quæ inflammationem ſedare, dolorem mitigare, & alvum, lubricam reddere queunt: ſunt enemata ex malva, biſmalva, mercuriali, folijs betæ & violarum, addito exiguo flor. chamæmeli, & furfurum, in quorum decocti ℔ 1. addendæ ℥ ij. vel ʒ. oleorum: partim humectantium ut amygd. dulc. ſeſamini, vel horum loco butyri: partim refrigerantium ut ol. violarum: & diſſolvenda ℥ 1. medullæ caſſiæ fiſtulæ, aut tantumdem el. lienitivi, aut deacathol. ovorum lutea duo aut tria & leniendi doloris & lubricandi inteſtinorum cauſa, & talia quidem enemata non ſemel, ſed ſæpius [10] erunt injicienda. Exhiberi verò & convenit lenientia, ac refrigerantia med. qualia in coli inflammatione. Similis quoque victus ratio obſervanda.

Quod ſi autam à craſſis ac viſcidis humoribus ilei dolor originem habuerit, cujus teſtimonium dare poteſt febris vel nulla vel intermittens, enemata etiam conducunt, ſed fortiora: & talia, qualia [11] in colico dolore à frigidis humoribus. Plus autem conferunt medicamenta aſſumpta: ut diaphœnicon, elect. indum, vel tale aliquod, vel pill. aggreat. aut de 8. rebus, ſed potiſſimum pillulæ iliacæ [13] à Rhazi. 9. ad Almanz. deſcriptæ: quæ acutiſſimos atque graviſſimos ilei ex craſſis viſcidiſque humoribus dolores una, aut altera aſſumptione curant, bona obſervata victus ratione: quæ talis eſſe debet ut alvus reddatur facilis. ad quod faciunt humida alimenta, ut jura gallorum, caponum, & aliarum carnium præſertim muſculoſarum; quæ inteſtina & lubrica reddunt

dunt

dunt & dolores leniunt. Ab omnibus non modo potentia, sed & actu frigidis abstinendum.

Et si quando manifesta frig. crassorumque humorum adsint signa; uti etiam licebit aromatis, aliisque calfacientib. 14 uti in colico dolore ex causa frigida.

Contingit autem frequenter ut humores crassi viscidique, ilei dolorem facientes, non sint frigidi; sed ad bilis crassæ ac vehementius tostæ, quam Vitellinam appellant, accedant naturam: qui ubi in ileo impacti sunt magnos quoque dolores inferunt, & computrescentes febrem excitant tertio die recurrentem. sunt autem tales humores non modo crassi ac viscidi, sed & fœtidi admodum ac graveolentes. Apparentibus igitur talibus excrementis una cum febri tertiana, abstinendum erit ab omnibus calfacientibus potenter, & utendum alvum lubricantibus, & dolorem sedantibus supra dictis.

*Lect.103. Maij 29.*

Quando autem propter ramicen ilei sit dolor, quum videlicet intestinorum aliquod vel in scrotum est delapsum, vel alicubi extra peritonæum excidit, & repletum sit induratis fæcibus 15 sicut introrsum & in suum locum reponi nequeat; enemata indere convenit mollientia, ut ex decocto carnium, aut ficuum, fol. bismalvæ, flor. chamæmeli, meliloti, & furfurum: cui addenda sunt alvum lenientia prius dicta, & ol amygd. dulc. cum ol. 16 sem. lini, ut videlicet fæces emollescunt: quibus remollitis (si non succedant) glans supponi potest, quæ ipsas exttrahat atque educat: ut ex speciebus hieræ

picræ,

picræ, vel potius hieræ Logadij, aut similis, aut fortior clyster, priori tamen educto [17], injiciendus erit. Balnea verò, vel illorum loco fomenta adhiberi etiam poterunt, veluti in colico dolore à retentis fœcibus.

Intestinis autem à fæcibus expurgatis, laborandum est ut introrsum repellantur, & in locum suum restituantur. Medicamenta purgantia [18] per os exhibere parum conducit, subinde etiam nocet: propelpellunt enim excrementa deorsum, atque in intestinum, quod à loco suo excidit, impellunt, quod deinde magis repletum difficilius introrsum imponitur, atque in suum locum reducitur. Abstinendum verò & in hoc ilei dolore ab omnium frigidorum usu: & victus ratio talis esse debet, ut alvus reddatur liquida ac facilis

Acutus autem morbus [19] ileos est ac periculosus. Gravissimus verò etiam qui propter ramicem [20], & in intestinis duriores fæces hærentes accidit. Hippocr. autem in ileo vomitum, vel singultum, vel desipientiam malum esse tradit, vel convulsionem. aph. 10. lib. 7. Vomitus siquidem in ileo non semper adest: frequentius in colicis accidit doloribus; in ileo autem si accesserit, malus est: quia ferè vix alios quam exitiales dolores comitatur, ut Gal. testatur. Non omnis autem vomitus æquè malus est: nam eorũ, quæ assumpta sunt, vomitio minus mala: Humorum verò corruptorum & fœtidorum, alviq; excrementorum maximè lethalis est: sic ut teste Gal. 6. de loc. aff. à tali ilei affectu vix unquam potuerit aliquis sanus evadere. Desperatus etiam affectus est, quando singultus supervenit: accidit verò

propter

propter vitioſos ac mordaces humores, qui ab inteſtinis tenuioribus ad oſtiolũ ventriculi regurgitant, atque ipſum irritant: omnia enim acria, corrupta, ac fœtida ventriculo inprimis moleſta ſunt. Fieri verò & ſingultus poteſt propter excedentem, & nimiam vomitionem. Sive autem ab hac, ſive ab illa cauſa fiat, malus eſt: præſertim ſi vires ſint imbecilles. Mala verò & deſipientia in ilei dolore: fit enim quia maligni vapores, vel etiam humores ad cerebrum perferantur: aut propter oris ventriculi affectum, cui cerebrum conſentit. Sic & convulſio lethalis habetur, quæ ſupurvenit non modo compatiente cerebro, ſed & [21] nervoſo genere. In Coacis verò etiam ſurditatem ſupervenientem ileoſis, malum eſſe ſcribit. oſtendit enim & hæc, quod mali ac vitioſi humores ad cerebrum perferantur. Aëtius ilei dolorem [22] familiarem ait puerili ætati, & beneficio naturalis humiditatis hos evadere: ſenibus verò minus eſſe familiarem, eoſque ſi in hunc incidant raro convaleſcere. In Coacis autem ileos inter morbos numeratur, qui ante pubertatem non fiunt: ſed ab anno 14. ad 42. superveniunt: quo tempore naturam omnium morborum feracem eſſe Hippocr. ait.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Quòd anfractus inteſtinorum εἰλεῦνται; vel quod flatus ἐν ἑλίξεσι eorundẽ coarctentur ſic dictus. Hinc & Volvulus appellatur. Barbari, qui Miſerere mei, &c. appellarunt, ad ἔλεος reſpexerunt.

2. χορδαψὸς, quum locus circa umbilicum prominet,

net, â Veteribus dicitur, quod qui locum affectum tangit, quasi chordam tangat.

3. Quia quum inteſtina conſtringantur, nec excrementa diſcendere queant, neceſſariò ſurſum feruntur.

4. Ac tum ὀυσωδὴς Hippocrati dicitur. 3. prorhetic. comm.66.Gal.

5. Quam ad gangrænam vergentem aliquando vidimus. Vide Archigenem apud Aëtium. qui tale quid etiam vidit. Inflammationis autem cauſa quandoq; exiſtit Inteſtinorum violenta nimis tentata, aut etiam facta repoſitio.

6. Vide Hippocr. 3. de diæta circa finem.

7. Non facit per ſe, ſed ſi cauſa ilei adſit eam juvat. ſic etiam vinum frigidum lædit.

8. Vel etiam in talo, aut poplite, inquit Trall. Poplitæam tamen ſecare nunc in uſu non eſt.

9. Ne fæces duriores comprimendo locum inflammatum, dolorem augeant. Præbent autem Enemata alium etiam uſum; fomenti nimirum calorem Phlegmones temperantis, dolorem mitigantis, & leniter diſcutientis, &c.

10. Diu enim locum affectum contingere non poſſunt.

11. Ileus enim nihil aliud quam doloris Colici intenſio Tralliano videtur. loco enim, non cauſâ differt hæc Ilei ſpecies à Colica diatheſi.

12. Quia ſuperiora afficiuntur Inteſtina, Ileum nempe potiſſimum.

13. Deſcriptio talis eſt. ℞. Colocyntid. ſagapeni, ana ʒ x. ſcammonij ʒ iiij. ℈j. f. catopotia. Dantur obuli. v. ſeu aureus ß. Raz. 9. ad Almanz. c. 71.

14. Quæ ſimul incidere, & concoctionem humorum iſtorum promovere, & diſcutere poſſint: nam quæ potenter calfaciunt. nec ſimul etiam diſcutiunt, ſæpe dolorem augere ſolent. Gal. 12. Meth. med. cap. 8.

15. Retinentur autem potiſſimum quando Rup-

tura magna eſt, ſed quæ Inteſtinum coarctet, tum que fæces paulatim exſuccæ fiunt & indurantur.

16. Quod in hoc caſu ſingulare, nam & mollit fæces, & vias aperit,

17. Nam ſi prius injiciatur, metus erit ne prius ſuccedente poſteriore, ad ſtomachum propulſum evomatur. In alijs tamen morbis ſi 24. horis non egerit, ſpes eſt eſſe diſtributum enema, & ita aliud injici poteſt.

18. Non enim hic afficitur tenue inteſtinum. illa enim vix ex loco ſuo excidunt: ſed propter ſimilitudinem tantummodo ſymptomatum ileos dicitur hic Affectus. ideoque imaginem Ilei quidam vocant.

19. Propter retentionem excrementorum, accedentem febrem & dolorem intenſiſſimum, multi ſubito moriuntur, in illa quæ ex Inflammatione fit; quidam etiam intra tertiam, aut quartam horam, ut Archigen. apud Aët. ſcribit.

20. Præſertim ſi febris & ſingultus jam oborta, vireſque debiles ſint: repoſitis enim inteſtinis, intra 6. vel 8. horas moriuntnr.

21. Magna enim ſimilitudo ſubſtantiæ inteſtinorum & nervorum, præſertim tenuium, quod in teſtudinum nervis apparet.

22. Si ex vermibus dolorem, ileum appellat, quod quidam faciunt, verum dicit: alioqui pueri non ſunt obnoxij facile ileo.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LII, ad Caput LII.*

[*Cauſa doloris Ilei, tanta eſt inteſtinorum obſtructio ut deorſum excrementorum deſcenſum impediat.*]

Sed num aliquid dejiciatur in volvulo ut auctor eſt *Galenus* 6. *aphor.* 54 & 7. *aphor.* 7. eſt quod peto? quando-

quandoquidem in hoc videtur manifesta contradictio.

Solvo. Quod auctores movent hanc contradictionem ut *Massaria, & Mercatus capite de Volvulo*, qui dicunt quod in Volvulo vero, & legitimo ex quo omnimoda datur obstructio nihil descendat ad interiora, in eo verò qui dicitur illegitimus, & nothus, quando absoluta non adest obstructio, tunc dejectiones fiunt tenues aquosæ, fætidæ, & imperfectæ.

De quibus dixit *Hippocrates in libris Epyd.* multos ægros ileo esse correptos, quibus per alvum, fluxus aderat strigmentosus.

De curatione nihil attinet dicere; nam illi est simillima, quæ colico debetur dolori, cum uterque ab ijsdem causis emanet.

# DE VERMIBUS.

## CAP. LIII.

*Lect. 104. Iun. 4.*

TRia vermium sunt genera [1]. Quidam teretes ac oblongi instar terræ lumbricorum: alij lati & admodum prolixi: reliqui parvi qui ascarides dicuntur.

Oblongi in tenuibus intestinis, vel in [2] monocolo generari existimantur: origo est ex crassis, pituitosis, putrescentibus humoribus, qui ex cibis corruptioni obnoxijs generati in intestinis cum excrementis hærent, & à valido calore naturali in lumbricos commutantur: frequentissimi isti in corporibus puerorum gignuntur, rarò in aliorum qui majorem ætatem habent [3]. Signa istorum vermium non admodum certa sunt: alijs enim alia ac diversa

ſymptomata ſuperveniunt: quibuſdam nauſea adeſt ac cibi faſtidium, aliis appetentia inordinata, & modum excedens: dolor, veluti à morſu nonnullis circa ventriculum, aliis circa umbilicum punctorij dolores: ſingultus quandoque accedit, non raro & febres adſunt erroneæ: in ſomno tremor aliquando accidit, maximè pueris in quibus pruritus narium & malarum, ſive genarum pars ſub oculis livens vermium in corpore latentium ſignum habebit.

Occidunt autem teretes vermes quæcunque amara [4] ſunt: ut abrotani, abſinthij folia & ſemina, centaurium minus, perſicæ arboris folia, ruta, gentianæ & ariſtolochiæ radices, lupini, myrrha, ſemina [5] ſantolinæ, tanaceti, & præcipuè ſementiæ, quod vulgò ſemen contra lumbricos vocatur: aloë, colocynthis, & cucurbita [6] ſilveſtris & ſimilia amara. Sunt verò & alia, quæ à tota ſubſtantia vermibus reſiſtunt: ut
7 cornu cervi, unicornu, lapis bezoar, bolus armenus, ſemen oxalidis, ſemen coriandri, cytri, portulacæ, & ipſa herba [8]: ſic & corallina [9], & carduus benedictus, & agroſtios radix: & ex compoſitis theriaca & mithridatium. Pleraque horum teri & in pulveris forma exhiberi poſſunt cum aqua cardui benedicti, aut portulacæ, aut graminis; addito etiam ſyr. de limonibus vel de acetoſ. citri ſi febris adſit: niſi enim calida, veluti ſem. ſementinæ, vel abſinthij aliquo refrigerante contemperentur, febrem augent & calorem eorum intendunt. Nec ſatis verò eſt vermes occidiſſe, ſed & ſi alvus per ſe liquida non fuerit ſupradictis admiſcendum aliquid quod mortuos
10 vermes expellat: ad quod rhabarbarum additum conducit. Poterit itaque pulvis aliquis hunc in modum

dum componi ℞ sem. sement. vel alterius amaræ ʒ I. ramentorum cornu cervi, vel unicornu, sem. citri, sem. oxalidis ana ℈ I. rhabarb. ʒ ij. misce f. pulvis. cujus plus minus ʒ I. dari potest cum aliqua supradictarum aquarum. Poterit verò & talis aliquis pro ijs parari, qui ab amaris abhorrent, ℞ ramentorum cornu cervi, aut corallinæ ℈ I. sem. coriandri & citri ana ℈ ß. rhabarb. ℈ I. detur pro vice: aucta etiam rhabarb. quantitate ubi vires robustiores & ætas major. Inter ea. a. quæ exhiberi possunt, utilissima quoque est aloë vel ex hac composita hiera picra: quæ non modo interficit vermes, sed & mortuos, subinde etiam vivos expellit, tum & subinde assumpta vermium generationi [11] obsistit. Ex supra verò enumeratis simplicibus possunt [12] & fomenta, ol. unguenta & catapl. fieri quæ umbilico & ventriculi regioni admota vermes interficiunt ac expellunt: sic absinthium cum aceto tostum pueris subinde profuit: præsertim addito ol. ex absinthio, aut rutaceo, aut ex amygd. amaris: quale ol. etiam solum umbilico ventriculoque illitum, quandoq; confert. Qui ex hisce componere volet cataplasma, herbas, radices & semina ex supradictis quæ volet accipiat, & colocyntidos medullam: atque hæc in aceto donec emolluerint coquat: deinde contusis addat farinam lupinorum, aloëm, myrrham, fel alicujus animalis veluti bovis aut ovis, & ol. absinthij, rutæ, vel amygd. amar. quantum ad cataplasmatis compositionem requiritur. Qui verò maluerit unguento uti, aceto ex decoctis herbis reliquo, addet aloën, myrrham, fel, oleum absinthij, rutæ, amygd. amar. & ceræ q. s. & tali unguento uti licebit, vel

 solo,

ſolo, vel cum theriaca permixto, atque ſic emplaſtri modo umbilico imponi, vel abſque theriace umbilicum & ventriculi regionem iſto inungere.

*Lect. 305. Iunij 5.*

Latus lumbricus non eſt tereti, aut terreſtri lumbrico ſimilis, ſed eſt inſtar [13], oblongæ, albidæ, tenuis, & anguſtæ faſciolæ : [14] qualis illa eſt, qua mulieres ſuas comas obvinciunt, qui inteſtinorum ſubſtantiæ ſecundum longitudinem ſic adnaſcitur , ut exiſtimetur à nonnullis [15] interior membrana inteſtinorum in talem lumbricum converſa , quod veritatem non habet : nam illæſis inteſtininis excidere poteſt.

Generatio hujus eſt ex crudis & admodum craſſis pituitoſis humoribus inteſtinis ſecundum longitudinem adhæreſcentibus. Hipp. connaſci pueris exiſtimat & cum ipſis augeri, atque pubertatis tempore, aut ſerius inteſtino adæquari, & quandoque longiorem ac majorem factum cum ſtercore exire, atque particulas ejus excidere magnitudine ſeminis cucurbitæ , unde & cucurbitinus lumbricus dicitur.

Qui autem hunc lumbricum in corpore geſtant ut plurimum pallidi ſunt, imbecilles, & ad opera tardi : [16] quandoque inordinata quadam appetentia laborant : [17] nonnunquam cibum faſtidiunt : ſed tamen incerta hæc ſunt ſigna. Certiſſima autem & minimè fallacia indicia ſunt lumbrici ipſius particulæ ſemini cucurbitæ ſimiles, vel majores , cum excrementis exeuntes.

Ad curationem horum vermium requiruntur ſimilia remedia, qualia ad ſuperiora : quæ tanto fortiora

tiora esse debent, quo firmius lumbricus isto intestinis adhærescit: nec amara sufficit esse medicamenta, sed simul satis valenter purgantia esse oportet, ut sunt hiera Logadij, aut hiera Archigenis, pill. aggregat. pill. de nitro, & similes quæ colocyntidem admittunt. Convenit quoque diaturbith & elect. Indum [18]. Fomenta, unctiones, cataplasmata adversus hos vermes nihil conducunt. Laudatur verò & ab Aëtio ac Paulo compos. ex nitri, piperis, & cardamomi partibus æqualibus, cujus ℥ 1. cum vino [19] aut aqua exhibita fertur confestim lumbricos istos educere. Signum curationis est, si vermis rotundus & in pilæ modum convolutus, excernitur, ut Hippocr. ait. quando enim partes solummodo, etiamsi duorum aut 3. sint digitorum, prodeunt, reliquo intus manente, nondũ curatio perfecta: licet nisi multo post tempore, particulæ aliquæ excidant. Victus ratio in hoc affectu esse debet ad caliditatem inclinans: allium in cibo commendatur; piper, & alia aromata & sem. cymini ad ciborum condituram conducunt. Fugienda quæcunque facile corrumpuntur, ut cerasa, pruna, persica, armeniaca, & similes fructus, tum & omnes [20] crudi. Legumina immatura [21], & quæcunque frigidos ingenerant humores. qualis etiam victus ratio convenit ijs, in quorum intestinis teretes generantur vermes.

Ascarides [22] exigui sunt vermes, in crasso intestino ab humore aliquo ibidem putrescente, aut à stercore illic retento geniti, qui subinde cum alvi excrementis exeunt, aut post illorum exitum circa anum hærent.

Adversus hos prosunt & amara quovis modo per

inferiores partes adhibita. possunt fieri glandes ex aloë, aut hiera picra cum melle cocto, addito sale nitri, vel sale gemmæ. Conducunt & lotiones ex decocto aristolochiæ, vel gentianæ, vel bryoniæ, & absinthij, centaurei, rutæ ac lupinorum: ex quo decocto aliquid etiam cum [23] syringa in anum injici potest: addito, si placet, ol. absinthij, aut rutaceo, cum quibus ol. & anum inungi etiam expediens est.

Teretes autē lumbricos in acuti morbi principio excerni, malum est; non etenim à forti ac vincente natura, sed à vi morbi & causa ejus perniciosa expelluntur: nam, ut Gal. lib. 4. comment. aph. 24. quando aliquid initio morbi excernitur, id propter dispositionem in corpore præter naturam contingit: quo tempore natura à causis morbum efficientibus gravatur: atque idcirco in initio alicujus acuti morbi lumbricos exire, malum habetur. Pejus verò si non per alvum, sed vomitione reddantur. ostendit enim majorem naturæ à causis morbificis oppressionem. In progressu verò morbi concoctionis signis apparentibus, veluti circa statum, aut in ipso statu; & præsertim in die decretorio expelli lumbricos bonum est, ut Hippocr. lib. 2. prædict. ostendit. Lumbricos, inquit, teretes eunte morbo in judicationem descendisse idoneum est. tunc enim à vincente ac superante morbum natura rejiciuntur.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

**1. Sunt & alia vermium genera observata, sed quūm omnium eadem ferè curatio sit, non simus ea in re curiosi.**

**2. Ubi**

2. Ubi facile humores ſubſiſtunt: quia veluti ſacculus eſt. In ventriculo autem non poſſunt gigni: quia tanta putredo magnum aliquod incommodum inferret. Dixit id Ariſtot. 1. de affectionibus mixtorum. Vide Scalig. qui in ventriculo gigni poſſe exiſtimat. 26. exercitat. contra Cardan. Autor libri de Catharticis Gal. adſcripti omnes teretes in ventriculo gigni aſſerit. Paracelſ. hinc in Inteſtina deſcendere ait. Iucutanam lues 80. ante Hiſpanor. adventum annis invaſit, in qua multi ingentem vermium vim evomerent; quibuſdam alvo perroſa foras proruperunt. In puerulo per umblicum vermem prorupiſſe novimus, qui tamen convaluit.

3. De tineis, lumbriciſque accepimus, inquit Plin. ineſſe Ægypti, Arabiæ, Syriæ, Ciliciæ populis. è diverſo Thraciæ (ſic enim ex Theoph. legendum) Phrygiæque omnino non naſci. Minus id mirum, quam quod in confinio Atticæ, Bæotiæque Thebanis innaſcantur, quum abſint Athenienſibus, lib. 27. cap. ult.

4. Sunt nonnulli qui dulcia primum exhibent. & nonnunquam turgidi excernuntur à vino Cretico ſeu malvatico, & ab uvis paſſis: legitima tamen ea curatio non eſt. Vide Lemnium de natura, lib. 3. cap. 21.

5. Quæ quorundam chamæcypariſſus eſt.

6. Quæ Cucurbita Barbara & Pyriformis ab aliis appellatur.

7. Crudi utilitatem maximam expertus ſum. ſin reſiccare velimus, torrendum eſt. hic crudum magis convenit: quia proprietas uſtione tollitur.

8. Propter ſalem quem in ſe hàbet. nam ſi aquæ calidæ immerſa paulum fuerit, tota albeſcet velut ſale conſperſa.

9. Quæ & muſcus marinus dicitur.

10. Alioquin in inteſtinis putreſcentes graviora ſymptomata excitant.

11. Quia putredini & quæ illam procedit, cruditati reſiſtit.

12. Rara enim & perſpirabilia ſunt corpora puerorum. unde medicamentorum, licet exterius adhibitorum, vis facilius penetrat.

13. Intra hominem gignuntur tæniæ tricenum pedum aliquando & plurium longitudine, Plin.l.11. c.13. Atqui Inteſtinorum omnium longitudo tanta non eſt. Sed reſpexit forte Plin. aut is ex quo hæc deſcripſit, ad longitudinem imaginatione compoſitam ex omnibus abruptis, & per intervalla prodeuntibus partibus; quæ duas, aut tres quandoque ulnas excedunt.

14. Unde & Tæniarum nomen illis inditum.

15. Aëtius ex Herodoto, ni fallor. Serm.9.c.40.

16. Propter frigiditatem humorum qui in corpore exiſtunt.

17. A cruditate. humorum os ventriculi oblinentium, & functionis, ſenſum impedientium.

18. Dulcia med. non conveniunt, ut eſt diaphœnicon.

19. Non febricitantibus? febris tamen rarò adeſt, morbus enim aliquot annorum eſt. qualis ſi febris conjungeretur, eſſe non poſſet.

20. Poma, pira cocta non adeò facilè corrumpuntur, unde non ita valde mala.

21. Theophraſt. 4. de ſtirpib. cap.17. teſtatur ex leguminibus lupinos, ervum, cicer ſola ἐ ὠζῦσι; propter acrimoniam & amarorem. Athenæus l.2.

22. Ab ἀσκαρίζω deductum hoc nomen, vel propter mobilitatem iſtorum, vel quod caſeorum vermiculis quodammodo ſimiles, qui non tantum agiliter moventur, ſed & ſaliunt.

23. Non opus clyſtere quia una aut alia ℥ rectum inteſtinum impletur. quod ſufficit.

NI-

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LIII, ad Caput LIII.*

Has Lumbricorum differentias *Galenus* præscripsit *lib.3. Aphorim. Com:26.*

Plurimi manifeste gigni conspiciuntur in jumentis male cibum concoquentibus: quorum malam concoctionem fætor indicat excrementorum.

Et licet *Paulus Aëtius, Celsus lib. 4. cap. 17*, quatuor species Lumbricorum statuant, qui in corpore nostro pocreari possunt, tres tamen frequentiores esse dicendum.

Num vero latum Lumbricum prisci cognoverint (nam *Teretes*, & *Ascarides* quotidie conspicimus) lege per otium *Marcellum Donatum lib. 4. de Med. Hist. mirabili cap.26.*

Num vero ex succo Melancholici terrestri ac crasso, cui multa humoris copia sit admixta, gigni possunt?

Respondeo affirmative, licet enim à pituitosa crudaque materia ut pote ad putredinem magis apta generentur Lumbrici facilius, attamen ex Melancholico succo generari posse, licet difficilius, certum est.

Utrosque distingues ex colore: nam orti ex pituita sunt albi, ex succo vero Melancholico, nigri.

A sanguine putri, corrupto, crasso, multoque vermes oriri non est negandum: ex bile tamen gigni non posse dicendum; quoniam bilis flava est amara, & vermium generationi inepta; nam amara eos interficiunt, & non generant, ex *Galeno 14. Meth. cap. ultimo.*

De loco quo generantur vermes variant auctores, ut inquit Auctor de *Aristotele*, & *Scaligero.*

Sed meo quidem judicio dicendum in omni corporis gigni posse parte.

Aristotelis sententiam quod attinet: dic illum de ventriculo sano esse intelligendum, cui inest naturalis calor, in eo non generare: at verò in ægro, hoc est debili, humidiori, & in quo multa pituitosi excrementi copia inest, potissimum gignuntur, ex qua materia, agente calore putredinoso, in humore putredini obnoxio, eos regigni, certa res est: quare ubi adest calor putredinalis, adestque materia in putredinem facile, abiens, nempe efficiens & materialis, in qualibet nostri corporis parte generari posse, plurimis auctorum testimonijs palam fit: quandoquidem in cerebro à mucoso crassoque succo generari *Hollerius l.* 1. *cap.* 1. nostram experientiam firmans asseverat.

Per tussim, urinas, oculos, nares, aures & per aliam corporis regionem exiisse vidi, quod simul *Mercellus*, & *Schenkius lib.* 2. *titulo de* Lumbricis non siluere; de quibus late cum Deo, in raris observationibus nostris agam.

## DE HÆMORRHOIDIBUS.

### CAP. LIV.

*Lect.* 106. *Iunij* 28.

HÆmorrhoides appellantur [a] venæ illæ ad sedem sive anum pertingentes, quæ quando patent, sanguinem [b] fundunt. dicitur & ipsum sanguinis per has profluvium hæmorrhois: sed frequentissimè venæ sanguifluæ hæmorrhoidum nomen obtinent. Sunt autem hæ duplices: quædam etenim interius latent, aliæ extrinsecæ conspectui patentes.

Tument quandoque hæmorrhoides: & si tunc san-

ſangiunis nullus per has profluat, cæcæ [4] dicuntur : à quibus verò ſanguis fluit apertæ nominantur.

Dolorem autem frequenter cæcæ hæmorrhoides & quandoque, admodum vehementem inferunt; præſertim quæ intrinſecæ ſunt : & tunc quidem quando acri ac mordaci aliquo admoto exacerbantur, veluti enemate quod ſalem multum, aut hieram picram [5] vel etiam fortiorem aliquem hieram permixtam habet, aut ſimili aliquo ſuppoſitorio impoſito. Intendunt verò & dolorem duræ alvi fæces quando excernuntur.

Dolorem autem intrinſecus latentium hæmorrhoidum etiam vehementiorem & cum calore conjunctum cito ſedat [6] ol. violac. ℥ 1. aut 1 ß. menſura cum parva ſyringe per ſedem injectum, ſi frequentius imponantur. Nonnulli hujus loco ol. roſac. utuntur : ſed illud minus efficax eſt. Prodeſt verò ol. ex violis etiam ad exteriores tumentes ac dolentes hæmorrhoides, cui ovi luteum crudum quandoque admiſcetur ut melius adhæreſcat. additur verò & ol. ſem. lini quando nullus calor adeſt, aut unguentum popul. calore præſente. Vtile quoque fomentum ex floribus chamæmeli, meliloti, fol. biſmalvæ, & violariæ herba, aut violis ipſis Sic & cataplaſma imponi poteſt ex radicib. biſmalvæ decoctis, addita ſem. lini & fœnugræci farina, & butyro recenti, aut ol. violaceo. Quod ſi duræ alvi fæces hæmorrhoidum dolores intendant ſive cæcæ, ſive apertæ illæ ſint, enemata alvum lenientia injicere convenit : ut ex decocto carnis abſque ſale, vel ex decocto florum & herbarum jam dictarum emol. amygd. dulc. & butyro, & uno aut

altero

altero ovi luteo: quale fæces emollit & earum absque dolore exitum procurat. Quibus autem enemata displicent, his subinde danda est manna aut medulla cassiæ fistulæ, aut muscolosarum carnium insulsa juscula [8], aut similia quæ alvum lubricant & facilem reddant, observata idem faciente victus ratione.

Conducit verò sæpè non modo dolorem lenire, sed & sanguinem ex ipsis hæmorrhoidibus evocare frequenter expedit: veluti quando admodum tument, & laborans affectui alicui sit obnoxius, qui sanguinis per hæmorrhoides fluore curari, aut mitior reddi potest; vel quando solitæ fluere, præter consuetudinem diutius sunt repressæ. tunc enim sanguinis fluorem per hæmorrhoides provocari maximè expediens est: prius tamen quam id fiat, si corpus valde repletum fuerit, sanguis erit detrahendus [9] ex cubiti vena media, aut interna. neque verendum sanguinem hoc modo revellendum; licèt enim sursum videatur retrahi: non cessabit tamen idcirco natura quod reliquum erit impuri ac melancholici sanguinis, per hæmorrhoides ablegare.

Aperit autem hæmorrhoides aloë [10] assumpta, & quæcunque cum hac componuntur; evocat verò & ex his sanguinem frictio frequens cum aspero aliquo, veluti rudi panno lineo, aut cum fici aut symphyti folijs. Aperit verò & has ceparum succus felle bovino admixto, cum lana aut gossypio appositus. Item & cylamini succus per se, aut cum melle illitus. Quod si verò istis hæmorrhoides non aperiantur, sanguisugam unam aut alteram tumentibus hæmorrhoidibus apponere conducet.

Vel

Vel si hæ ad manum non sint, scalpello ipsas aperire utile erit, sic enim sanguine profluente & dolores cessant, & à vitiosis humoribus venæ expurgantur. Hæmorrhoidibus autem obstructis & dolentibus victus ratio convenit attenuans, ut ex carnibus volucrium circa aquas non versantium, & talis, qualis in curatione quartanæ ac melancholiæ. Potus sit vinum album & tenue, vel cerevisia tenuis ex bonis frugibus cocta.

*Lect. 107. Iunij 8.*

Apertæ hæmorrhoides à quibus sanguis profluit sinendæ, neque has reprimere expediens est: nisi superfluant aut modum excedant: per has enim à nonnullis morbis vel præservari vel liberari hominem contingit: nam ut Hipp. 6. epid. part. 3. hæmorrhoidibus laborantes neque pleuritide, neque peripneumonia [11], neque phagædena, neque furunculis, neque thermintis, neque lepra corripiuntur [12]. Sic & liberari ac sanari per hæmorrhoidum fluorem contingit insania aut melancholia laborantes, eodem teste. Insanis, inquit, si varices vel hæmorrhoides superveniant, insaniæ solutio, aph. 21. 6. Item melancholicis & nephriticis hæmorrhoides supervenientes, bonum 11. aph. 6. Nam in utrisque melancholici humores insaniæ ac melancholiæ efficientes causæ, per hæmorrhoides expurgantur. Nephriticis verò eadem conducunt ratione, qua à pleuritide ac peripneumonia præservant: sanguinis videlicet quantitatem minuendo. nec enim soli humores melancholici (licet hi præcipuè) sed serum & alij, ac subinde purior sanguis per has expurgatur. Atque propter has rationes hæmorrhoi-

dum

dum fluor, nec ſtatim, nec temere eſt ſiſtendus, niſi ſuperfluat [13]. Quando autem ſuperfluit, ſanguine tenui ac ſeroſo profluente, & vires redduntur imbecilliores, faciei color pallidior, & reſpiratio quandoque difficilior, tunc eas ſiſti convenit.

Siſtunt autem hæmorrhoides aſtringentia: ut ſunt roſæ rubræ, balauſtia, cortices granatorum, calices glandium, plantago, equiſetum, verbaſcum, rubi folia, galla, nuces cupreſſi, ſem. berberis, ſem. myrt. & ſimilia. Item hypociſtis, acacia, ſanguis draconis, alumen, vitriolum & ſimilia. Ex quibus lotiones, fotus, & cataplaſmata fieri poſſunt: ut ℞ Roſar. rubrarum, balauſtiorum, cort. granat. cal glandium ana ℥ ij. fol. verbaſci ſiccorum, fol. rubi, aut myrti ana M. ß. nucum cupreſſi, gallarum, ſem. berberis ana ℥ I. aluminis ℥ ij. f. omnium decoctio in aqua plantag. vel equiſeti, vel in aqua chalibeata ad conſumptionem medietatis: colato adde mellis roſati, aut ſyr. ex roſis aridis ℥ I. cum hoc ſubinde abluantur hæmorrhoides. Poteſt deinde imponi tale cataplaſma. ℞ Hypociſt. acaciæ, ſang. draconis, thuris ana ℥ I. cum ovi albo & modico ol. roſacei, aut myrtini miſceantur. Huic verò & addi poterunt emplaſticam ac reſiccantem vim habentia, ut bolus armenus, terra ſigillata, vulgaris mumia.

Cataplaſmatis verò loco etiam ſymphyti trita radix appoſita confert: jam & atramentum [14] ſcriptorium cum goſſipio impoſitum ſiſtit fluorem hæmorrhoidum.

Veteres nimium diu profluentes hæmorrhoides extrahere, filo conſtringere, dein reſecare, aut urere ſolebant; & poſtea cicatricem ipſis inducere, ut

Hipp.

Hipp. lib. de hæmorrh. ac Aët. & Paulus faciendum docent. Atque sic curatæ non amplius aperiuntur [15], sed occlusæ permanent, fluxu earum perpetuo suppresso, quod bonum non est: nam ut Gal. 6. epid. ait, periculosum est si hæmorrhoïdes in totum supprimantur: atque idcirco Hipp. unam servandam consulit; per quam videlicet melancholicus sanguis expurgari possit: *A diuturnis*, inquit, *sanato hæmorrhoidibus, à una non servetur periculum est aquam intercutem vel tabem advenire*, 12. aph. 6. Verum hæc sententia locum non habet quando per ea, quæ prius sunt dicta, hæmorrh. sistuntur: non etenim sic obstruuntur quin suo tempore, quum natura sese exonerare cupit, iterum aperiantur ac dehiscant.

Victus autem ratio nimium profluentibus hæmorrhoïdibus convenit [16] crassos, ac lentos ingenerans humores. Ad quod faciunt ea, quorum jus gelatinæ instar concrescit, ut sunt pedes & extrema ovium, porcorum, boum, & similium animalum: item & carnes vitulinæ præsertim musculosæ. Vinum dulce, non tenue, quale Creticum & Passum. Cerevisia crassa, qualis [17] Gedanensis vel alia similis.

Cæterum quemadmodum Hipp. abscissis omnibus hæmorrh. periculum esse ait adventus [18] hydropis aut phthisis, ita etiam nimium ac supramodum hisce profluentib. omnes, aut plurimas naturæ operationes, qui sic affecti sunt, offensas habent: nonnulli verò etiam & hydrope corripiuntur, ut Gal. comment. 22. lib. 2. aph, ait.

*Seba-*

## *Sebastiani Egberti Scholia*

1. Αἱμόῤῥοες φλέβας vocat Hippocr. magnas venas quæ divisæ multum sanguinis fundunt. 2. de fract comm. 24. Eandem ob causam forsan venæ circ anum sic vocari cœperunt, quod apertæ multũ san guinis fundant; vel quod præ cæteris aperiri con sueverint.

2. Quæ omnium ferè consensu ex vena porta de ducuntur, Internæ nempe, & vasa sunt tunicarum directi Intestini. Istas autem venas comitari ramo Arteriæ Cœliacæ notarunt Anatomici recentiores Externæ verò à cavæ ramis exoriuntur, & muscu lorum sunt Sphincteris motum peragentium.

3. Qualitate, aut Quantitate, aut Motu ad illa partes, peccantem. sæpe copiosissimum: ut in illo qui per 45. dies quotidie libr. iij. (nisi error scripto ris, aut typographi sit) excrevisse narratur.

4. Sive intrinsecæ sint, sive extrinsecæ.

5. Aloës vel minima particula sumpta venas hæ morrhoidales illico aut turgidas facit, aut aperit, quod validiora alia medicamenta non faciunt, ut turbith, esula, &c.

6. Nam præterquam quod tamquam rosaceum refrigeret, insuper etiam mollit, quod rosaceum non præstat: quum astrictionem quandam habeat.

7. Velut quidam faciunt, ex radicibus cynoglos si, quæ efficax est ad sedandum dolorem auxilium.

8. Cerevisia Gedanensis quippe crassum succum ingenerans hic minus convenit.

9. Ne malum aliquod partibus inferioribus co ruente sanguine, inferatur.

10. Gal. ob acrimoniam fæcum putat fieri. quod tamen verum non est, quum fæces multò acriores non provocent.

11. Quia copia fervidi sanguinis repletur.

12. Quia

12. Quia causa horum malorum, in melancholiam, vel atram potius bilem adustione conversi humores, per hæmorrhoidas evacuatur.

13. Rursum Hæmorrhoidibus assuefaciendi non sunt, quibus sanguis ater non colligitur, quum utrinque habeant periculosum.

14. Nam ex gallis, vitriolo, & gummi Arabico componitur, quæ omnia frig. sicca, atque adstringentia sunt.

15. Cicatrice enim claudunt. quæ ipsis partibus solidior ac firmior est, nec per Naturæ motum rursus aperiri potest.

16. Quæ sæpe non proficientibus lotionibus & reliquis medicamentis sanitatem restituit.

17. Quæ præterquam quòd crassum facit succum alvum etiam lubricat, quod utile est.

18. Quia vitiosi humores retenti hepar, vel pulmonem invadunt.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LIV, ad Caput LIV.*

Si venæ Hæmorrhoidales tumeant, & crasso melancholicoque sanguine turgeant (medici cæcas vocant) & dolorem excitent immanem, iis adhibeantur Hyrudines, quæ diu adhæreant oribus istarum venarum, trifidoque morsu inflicto, sanguinis præsertim melancholici, quasi siphonibus sugentes plenitudinem à distantissimis, ut ita dicam, partibus, exhauriunt.

Cum enim ex vena cava descendente tot venarum myriades ad utrumq; latus bifurcentur ex ea, & porta ad anum disseminantur venæ, quæ sanguinem ex intervallis eructare solent, natura enim sese exonerans, in debiles partes, tanquam in emunctoria, excrementitium sanguinem expellit.

Antiqui aperiebant eas in cutaneis affectibus, in pestiferis bubonibus ad sugendum sanguinem in partibus inflammatis contentum, in febribus præsertim melancholicis; quando cætera auxilia tam celebrata sunt, mirabile præstant auxilium, in peculiari febri maligna, cæterisque ardentibus: nam natura expulso sanguine ad ignobiles partes, summopere recreatur, ac sic venæ transpirant: Quoniam hoc auxilium revellit à distantissimis corporis partibus, & præcipue si exequatur in debilibus, & in iis, in quibus vires languent: nam hujus usu non ita flaccescit natura, quia spirituosus sanguis non ejicitur, sed crassus, & fæcalis.

Sic in Mania, & Melancholia summo sunt ex usu, ut *Amatus Lusitanus* proprio experimento notavit 2. *Cent*. 64. A corde enim revellunt, & cæteris præcipuis visceribus.

Plura si legere concupiscis volve *Avicennam* 4 - 1. *cap*.22 *de sanguisfugis*, & *Fernelium* 2.*Methodi*. 19.*Mercatum lib*.1. *Indicationum cap*. 4. *Titulo de sanguine extracto per Hyrudines*.

Hoc auxilium nostro seculo fidissimo medentium usu expertum est, præsertim si dicti morbi post partum eveniant, aut menstrua suppressa, quoniam extractio sanguinis per has venas ope Hyrudinum citra virium dispendium maximum levamen adferre solet. Lege *Zacutum Lusitanum lib*. 1. *Histor*. 4.

## DE INFLAMMATIONE IOCINORIS.

### CAP. LV.

*Lect*. 108. *Iunij* 11.

DVplex, inquit Gal. morborum genus jocinori accidit, unum à sola intemperie citra tumorē præter

præter naturam; alterum quando cum intemperie humor aliquis infestat, vel inflammatio, erysipelas, aut scirrhus.

Huc verò & refertur & obstructio à crassis & viscosis humoribus, & spirituosa aut flatulenta ejusdem distentio.

Iocinoris autem inflammationem gignit sanguis copiosior in ipsius visceris substantiam, seu παρέγχυμα influens.

Comitatur autem hanc dolor dextri hypochondrij non pungens [1], sed magis cum gravitatis quodam sensu: febris [2] continua: respirationis quædam, non tamen magna difficultas: tussis sicca & exigua: nausea: cibi fastidium: sitis magna: lingua initio albida, postea asperior ac nigricans: vomitus synceræ bilis, quandoque etiam crassioris ac ovi luteo similis, quæ postea [3] æruginis aliquando colorem referre conspicitur: alvus dura, nisi adsit visceris imbecillitas.

Oritur autem inflammatio modo in gibba jocinoris parte, modo in sima, rarò in utraque: si in gibba inflammatio nata, tumor sentitur, & admota manu dolor etiam ejus nonnihil intenditur: & si abdomen gracile ac tumor magnus, conspectui etiam patet: tussis etiam major, & respiratio etiam aliquanto difficilior, & dolor ad jugulum parte dextra extenditur, adeò ut ipsum detrahi videatur. In sima verò inflammatione consistente, tumor neque sentiri neque conspici potest: tussis minus molesta [4]: respiratio liberior: sed sitis, nausea, & cibi fastidium majora [5]: & vomitus meracioris bilis frequentior, ac copiosior. Quum verò utraq; jocinoris pars [6] la-

borat, dolor ad nothas coſtas extenditur, atque reſpiratio longè difficilior. Quod ſi verò etiam inflammatio eryſipelatodes fuerit aderit febris ardens, ſitis vehementiſſima, lingua nigra & admodum aſpera, vomitus meracioris bilis: atque reliqua omnia ſymptomata majora.

Similis autem inflammationi jocinoris pleuritis videtur, ſed pleuritis altiori eſt loco & dolor ejus punctorius, & tuſſis cum ſputo cruento. inflammationis jocinoris dolor inferiori eſt loco, non punctorius, ſed gravativus: tuſſis abſque ſputo, ut latius dictum ubi de pleuritide.

Curatio à venæ ſectione incipienda: detrahendus ſanguis ex dextri brachij vena interna, aut ſaltem media: & ſiquidem una vice tantum extrahi non potuerit, quantum videbitur, reiteranda ſanguinis detractio. Purgante verò & aliquo medicamento opus fuerit, niſi alvus fluxa ſit: conducit autem infuſum rhabarb. [7] cui manna aut ſyr. ex infuſione roſar. utiliter adjicitur. Hujus loco poterit & clyſter aliquis mollis injici ut ex decocto malvæ, betæ, mercurialis, violarum; cui addendum ol. chamæmel. & roſaceum, & diacathol. ʒ vj. aut ℥ I. & tantumdem ſacchari rubri, & exiguum ſalis

Neceſſaria verò etiam quæ alterant, & calorem contemperant, inter quæ laudatiſſimum cichorium [3], deinde dens leonis, & endivia vulgaris, & ex iſtis compoſiti ſyrupi; quos cum decocto earundem herbarum, aut aquis exhibere convenit. Cum ipſis verò herbis coquenda quædam ſunt aperientia & urinam provocantia: & initio quidem temperata & non admodum calida: ut ſunt rad. aſparagi, ruſci,

rusci, graminis, vel fœniculi: & tale decoctum sæpius exhibendum: præsertim inflammatione in gibba jocinoris existente: nam ut Gal. 6. de loc. aff. Gibbæ per urinam, simæ partes jocinoris per alvum expurgandæ. In progressu verò morbi notis concoctionis apparentib. licebit magis aperientia & paulo calidiora addere, vulgare hepatorium, cuscuta, rad. petrosel. aut apij, & syr. de Bizant. qui, si cum aceto fuerit paratus, crassos ac viscosos humores etiam incidit, & potentius obstructa aperit. Ac his etiam utendum in sima jocinoris parte inflammatione consistente: interim sæpius exhibenda sunt per alvum purgantia, quamquam gibba pars affecta est.

Adhibentur verò & in hoc affectu epithemata, & olea, aut unguenta hypochondrio dextro. Epithemata fiunt ex succis, decoctis, aut aquis cichorij, endiviæ, oxalidis & similium, quibus addi convenit (ut visceris robur conservetur) vel agrimoniæ, vel rosarum rubrarum, vel etiam absinthij succi, vel decocti pars aliqua. sunt autem hæc epithemata non actu 9 frigida, sed tepida admovenda.

Oleo verò utendum est rosac. vel cydon. cui miscendũ aliquid olei de absinth. quo Gal. 11. meth. protinus utendum consulit, propter eam quam habet astringendi facultatem, qua jocinoris robur conservatur, quod conservari debet. atque hinc jecur non esse relaxantibus 10 frig. curandum Gal. admonet.

Victus ratio in jocinoris inflammatione tenuis esse debet, & ad frig. ac humiditatem inclinans: veluti in febribus synochis & ardentibus, sed abstinendum est ab omnibus actu frigidis; veluti in omni partium internarum inflammatione.

Gravis autem ac difficilis morbus est: jocinoris [11] inflammatio, cui singultum supervenire Hipp. malum esse ait aph. 17. lib. 7. ostendit enim & malignam admodum & maximam jocinoris inflammationem. tum enim singultus compatiente ore ventriculi fit, quando jocinoris inflammatio & pessima, & maxima fuerit, authore Gal. bile videlicet multa ac copiosa admodum ad ventriculi ostium perlata, atque illud irritante ac mordente.

Quod si verò inflammatio jocinoris in abscessum commutetur, febres quidem desinunt aut mitiores fiunt, sed corpus sensim extenuatur [12] (ut Gal. in Introductorio seu Medico scribit) tandemque laborans deficit ac moritur.

Contingit verò & quandoq; pus ex abscessu profluens [13] aliud aliquod ex internis visceribus corrumpere ac inficere, & quandoque subitaneam mortem inferre.

De Erysipelate jocinoris nihil hic afferendum, de eo siquidem actum est ubi de febribus ab affectu erysipelatum, quarum quæ Typhodes dicitur, ad erysipelas jocinoris consequitur. Nulla etiam œdematis mentio hic facienda; nam hoc initium est hyposarcæ, quæ species est hydropis: de qua postea agendum. Cachectica siquidem hyposarcam præcedens dispositio, jecur œdemate laborare ostendit.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Propter obtusum partis hujus sensum.

2. Ut & omnes inflammationes partium interiorum. illarum enim intemperies tum propter vasorum

rum magnitudinem, tum propter vicinitatem cordi communicatur.

3. Quotiescunque enim in locum frigidiorem effunditur bilis, mutat colorem. solet autem ista bilis in ventriculo potissimum colorem illum acquirere.

4. Quia diaphragma non afficitur hic.

5. Quod sima pars immeditatè ventriculum contingit.

6. Neque enim fieri potest ut exactè circumscripta diu subsistat : quod Hepatis caro sibi continua sit.

7. Quod propter insignem in hujus morbo utilitatem Iocinoris vita ab Arabibus dictum fuit.

8. Quod simul obstructiones , quæ cum Inflammatione partis hujus conjungi solent, aperiant.

9. Ne scirrhus fiat , incrassatis & impactis humoribus.

10. Nostri ævi medici plerunque unguento utuntur rosaceo, quod tamen, si compositionem ejus spectes, contra mentem Gal adhibetur.

11. Propter Principatum, quem inter partes Naturalibus facultatibus inservientes hoc viscus obtinet.

12. Sanguificatricis viribus languentibus.

13. Nonnunquam per alvum, vel urinarios meatus confertim effluit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LV, ad Caput LV.*

Diaphragmati, Hepar adesse immeditate, docuit *Galenus lib. 6. Epyd. com. 2. Text. 14, & 2. Epyd. com. 5. cap. 1.*

Figura ejus lata & oblonga est , in dextra parte locata, gracilis in finistra, & deinde tenuis ejus me-

dia pars pertranſit cooperiendo partem magnam oris ventriculi ita quod complectitur ſub ſe portionem ſatis magnam ventriculi.

Viſcus hoc maximum, & neceſſarium eſt omni animanti ad vivendum, teſte *Galeno 6. de adminiſt. Anatom. cap.8. 4. de uſu part. 1. & lib. definit. med. nec non 7. Methodi.*

In eo amoris eſt ſedes, qui eſt fons gratioſi humoris, nempe ſanguinis, cujus præſentia animalis vivacitas apprimè recreatur, ut ſapientes tradiderunt, quorum auctoritate divini vates commoti finxere *Titium* illum, qui *Latonam* de ſtupro appellavit, apud inferos, Iecinore, hoc eſt, eâ quâ peccaverat parte, puniri, unde *Virgilius 6. Æneidos.*

Nec non & Tition terræ omniparentis alumnum.
Cernere erat, per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur, roſtroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens. fæcundaque pænis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto
Pectore nec fibris requies datur ulla renatis.

Aruſpices ex eo futura prædicabant.

[*Curatio à venæ ſectione incipienda*] Hæc enim divinam propemodum virtutem habet in refrigerando hepate: ſed qua in parte, docui in *Florilegio meo. quæſt. de Inflatione jecoris.*

Sed particulari quâdam efficaciâ prodeſt ſalvatellæ ſectio ex parte dextra, vel etiam in principio morbi, ut ſcite docuerunt *Mercatus*, & *Chriſtophorus à Vega, cap. de inflammatione Hepatis.*

DE

# DE SCIRRHO JOCINORIS.

## CAP. LVI.

*Lect.*110. *Iunij* 14.

SCirrhus jocinoris propriè dicitur tumor durus ac indolens, ab humore crasso, limoso, ac melancholico genitus; & talis quidem exquisitus est scirrhus. Minus autem propriè reliqui tumores duri, licet non à melancholico succo, & non omnino absque dolore, scirrhi [1] appellantur. & tali scirrho quandoque obnoxium est hepar, & quidem frequentius quam exquisito [2]: nec tum semper tumor apparet, sed quando ejus παρέγχυμα, seu substantia ejus durior reddita: tunc scirrho jecur laborare dicitur.

Origo talis scirrhi ab humore est crasso ac viscoso, ut plurimum per refrigerantia & astringentia indurato, veluti per talium frequentem in febribus tertianis, præsertim impuris, [3] usum: quibus hujuscemodi scirrhus frequenter succedit. Oriuntur verò & ab erysipelate, aut inflammatione nimium refrigeratis. Possunt verò & ex sola visceris obstructione malè curata fieri. Contingit verò & crassos ac viscosos humores quandoque à calore, aut à calidis biliosis humoribus [4] indurari, atq; in lapideam substantiam una cum jocinoris ipsius substantia converti, quod ferè per regium fit morbum.

Non difficilis autem scirrhi jocinoris [5] agnitio est. abdomine extenuato & corpore: nam quum moles ejus durior sit quam inflammationis, facilius

lius tactu percipitur: sed prius tamen quam Ascites supervenerit, nam ubi ille (quod frequenter fit) successerit, præ tumore abdominis scyrrhus deprehendi nequit.

Scirrhus autem ex crassis & viscidis humoribus post febrem relictis, aut quem obstructio præcesserit, attenuantibus, aperientibus, & temperatè calfacientibus curari debet: utiles sunt herbæ, rad. sem. tum & syr. ac elect. tali prædita facultate: de quibus mox ubi de jocinoris obstructione. Topica verò admovenda quæ emolliendi ac digerendi vim habent: ut est ung. ex ol. liliorum, chamæmei. & nardino compositum, præsertim si aliquid ammoniaci in aceto dissoluti, aut bdellij accesserit. Sic & utile ol. rutaceum cum ol. sem. lini paratum: quod singularem emolliendi ac digerendi vim habet. Conducunt & ea [6], quæ adversus lienis duritiem faciunt.

Victus ratio ex optimis & facilis concoctionis cibis esse debet: quos condiri aceto, vel succo citriorum, aut limonij utile est: sicuti & simul cum ijs coqui petroselinum, vel ejus aut fœniculi rad. aliasque herbas: ut [7] origanum, hyssopum, thymum, valde expediens est. Vitanda omnia crassa, viscosa, ac difficilis concoctionis: ut sunt carnes boum, & omnes sale maceratæ, aut fumo duratæ, & carnes ferinæ, & omnium palustrium & circa aquas versantiū volucrium.

Vinum tenue & albū, aut cerevisia tenuis [8] commendatur: rubrum vinum, dulce, crassum, immaturum & omphacites improbantur: sic & multus lactis aut casei usus.

Omnis

Omnis autem ſcirrhus jocinoris hydropem 9 minatur, aut 10 atrophiam, & præcipuè qui exquiſitus, qui etiam ſanitatem non admittit ut Gal. 14. meth. ait. Sic & durities ſcirrhoſa. quæ inflammationi, aut eryſipelati malè curatis, aut nimium refrigeratis ſucceſſit, aut poſt morbum regium relicta eſt; incurabilis quoque exiſtit, maximè ubi hydrops aſcites ſucceſſit, qui ſæpiſſimè ſuccedit.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Vel potius Tumores Scirrhoſi.

2. Quod humores ex quibus verus ſcirrhus producitur in ſplene potius, quam in hepate, ſedem ſuam habere ſoleant.

3. Craſſi namque per ſe humores, qui Tertianas impuras producunt. ideoque citius à frig. & adſtringentibus medicamentis indurantur.

4. Diſcuſſis nempe tenuioribus partibus.

5. Præſertim in gibba ejus parte exiſtentis.

6. Quibus tum potiſſimum uti convenit, quando levioribus malum non ceſſerit.

7. Ubi calor magnus aut non affuit, aut jam adeſſe deſijt.

8. Et quæ ex lupulo amarorem habet; ut illa quæ in uſum nautarum parari ſolet.

9. Quatenus intemperie hæmatoſin lædit.

10. Tum qua intemperie chymoſin; tum qua vias obſtruendo chymi diadoſin impedit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LVI, ad Caput LVI.*

Differt hic tumor à *Nodo, Glandula, Struma*, Ganglione, qui Scirrhus immobilis est, quasi clavo affixus. Alij vero tumores duri aliquantisper de parte in partem moventur.

Profunt Epythemata supra jecur, cardiaca auxilia, purgatio clemens in declinatione morbi celebrata, lavacra crurum. &c.

## DE OBSTUCTIONE IOCINORIS.

### CAP. LVII.

*Lect.* III. *Iunij* 15.

OBstructione jecur tunc laborare dicitur non quando ipsius substantia [2] aliquo humore imbuitur; sed quando tenues & exiles venæ, per quas alimentum distribuitur & à simis partibus ad gibbas & ad venam cavam defertur, angustiores factæ sunt, vel etiam occlusæ.

Causæ interdum sunt crassi, ac lenti pituitosi humores in ipsis angustiis venarum vijs hærentes: interdum verò multa sanguinis copia venas ipsas implens: veluti in plethora.

Signa obstructionis sunt in dextro hypochondrio gravitatis sensus [2]: & urinæ tenues [3]: & siquidem lenti ac crassi humores qui venas obstruunt, febris nulla adest, aut posterius supervenit, quando videlicet

licet humores putrescentes eam accendunt. A sanguinis verò copia si fiat obstructio, præter signa quæ plethoram sive plenitudinem ostendunt, adest quoque febris 4 & frequentissimè synochus. quem propter nimiam sanguinis copiam fieri Gal. testatur.

Annumerant nonnulli obstructionis causis & flatus jecur distendentes, sed hos Gal. 5. de san. tuend. ab obstructione differentes facit.

Si itaque à copia sanguinis obstructio jocinoris fiat: mox sanguis ex dextri brachij media, aut interna detrahendus; veluti in synocho & inflammatione jocinoris. Post sanguinis missionem exhibendum aliquod erit med. 5 quod ea, quæ in primis ac proximis venis hærent, expurget: velut infusum rhabarb. cum manna, aut syr. ex infusione rosarum. quod infusum si factum fuerit cum decocto aliquo aperientium ac refrigerantium, præstantius ac utilius erit: qualia sunt rad. asparagi, rusci, cichorium, dens leonis; & similia.

Victus rationem oportet tenuem 6 esse: veluti in jocinoris inflammatione: nec multo pleniorem.

Quando autem obstructio jocinoris ex crassis ac lentis humoribus, nullaque accesserit febris, purgans aliquod med. erit exhibendum; quod lentos ac pituitosos humores educat & facultate appetitiva non destituatur: 7 quale esse potest ex decocto rad. herb. & seminum aperientium, in quo infusa sint folia senæ, & agaricus. Vtile quoque diaphœnicon, vel elect. Indum. Debilioribus diacathol. cum simili decocto, vel cum decocto cicerum exhibendum. Prius tamen quam purgans exhibeatur, humores

nonni-

nonnihil præparari convenit: quod fieri poterit exhibitione oxymelitis vel ſyr. acetoſi ſimplicis vel compoſiti. Poſt purgationem etiam fortioribus aperientibus utendum, ut etiam ſyr. de Bizant. ſyr. de rad. & ſimiles. Ex ſimplicibus hepatorium vulgare, cuſcuta, lupuli folia, & ſimilia quamdiu non adeſt febris. Quòd ſi febris acceſſerit, ſanguis etiam erit detrahendus; non prætermiſſis interim reliquis quæ dicta ſunt: niſi quod aperientibus quædam etiam minus calida, ſed tamen aperientia erunt admiſcenda: ut chichorium, dens leonis, endivia, &c. Aperiunt autem & jocinoris obſtructiones dialacca, & diacurcurma in Officinis uſitatæ: ſed in febribus hæc minus conveniunt. [2] Vtuntur & nonnulli unctionibus, ad quas conducit ol. amygd. amararum & nardinum: præſertim ſi cum nardi ſpica aut junco odorato, & ſem. apij aut petroſelini, & cyperi radice in vino albo tenui, & exiguo aceti aduſque conſumptionem horum liquorum decocta fuerint.

Victus rationem eſſe talem convenit, qualem in ſcirrhi curatione.

Obſtructio autem jocinoris ſi diu conſtiterit, febris ſupervenerit: putreſcentibus ß. in anguſtijs venarum meatibus ipſis humoribus: aut tandem ſcirrhus, ſi non curatio adhibeatur, ſuccedit.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Tumores ſic fiunt diverſi, pro humorum diverſitate, ſed obſtructio meatuum, h. e. vaſorum affectus eſt.

2. Vel

2. Vel etiam dolor extensione citra tumorem & febrem.

3. Quod ichorosa Urinarum materia veluti percoletur, parteſque craſſiores veluti in corpore retineantur.

4. Quia ſanguis multus diu concluſus eſſe non poteſt quin incaleſcat atque etiam putreſcat.

5. Quæ propter obſtructionem à ſanguine factam retenta ultra ſolitum fuere, tum biliosa, cum melancholica: Iſta enim leni alvum cum apertione ducente medicamento ex corpore deturbari neceſſum eſt, ne morbos faciant.

6. Multa enim humorum copia obſtructiones facit, vel ſaltem auget factas.

7. Exempli gratia; ℞ Rad. fœniculi, petroſelini, ana ℥ ß. cuſcutæ, hepatorij vulg. cichorij ana M. ß. ſem. melonum ſem. aniſi ana ʒ I. ſol. ſenæ ℥ v. agarici ʒ I. Zingib. ℈ ß. uvarum paſſarum ℥ ß. f. decoctio ad hauſtum, cui addatur ſyr. acetoſi ſimpl. aut compoſiti ℥ I.

8. Non poſſunt valde convenire quum obſtructio ſit in medio corpore jocinoris, ad quod medicamenta hæc externa vix penetrant.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LVII, ad Caput LVII.*

[*Venæ anguſtiores factæ, & concluſæ*] Quare obſtructio hepatis eſt oppilatio prædictarum jecoris cavitatum ex infarctu alicujus ſubſtantiæ, humoris videlicet, ſeu flatuoſi ſpiritus, auctore *Galeno* 8. *ſecund. locos cap.* 6. *& lib de conſt. artis medicæ cap.* 17.

[*Annumerant nonnulli, inquit auctor, obſtructionis cauſs & flatus jecur diſtendentes, ſed hos Galenus* 5 *de ſanit. tuenda ab obſtructione differentes facit.* Qui textus etiamſi contrarius noſtræ definitioni eſſe videtur, tamen

men

men eum ita conciliandum puto : ita ut obstructio facta ab humore pertinax sit, diu duret, & difficulter eradicetur; à flatu suborta, non ita sit rebellis, quia flatus suapte natura non ita corpulentus est, sed cum influat, & refluat, resolvitur & evanescit, & non ita durantem facit obstructionem.

De curatione recte agit auctor. Unum solum prætermisit celebre auxilium à priscis & junioribus inventum, & est chalybis usus, quo in obstructione hepatis, lienis, & viscerum utor cum commoditate multa, & sic chalybem præparatum redigo in formam syrupi, conservæ, boli, pilularum, tabellæ. De quibus omnibus lege *Mercatum lib. 2. de Morb. Mulieribus cap. 6. & lib. 1. de Indicationibus cap. de aperientibus.*

## DE JOCINORIS EX FLATIBVS TVMORE.

### CAP. LVIII.

TVmor jocinoris aut præcordiorum, qui ex [1] flatu gignitur, à cruditate originem habet idcirco post cibum sumptum molestior quàm alio tempore, aut quàm jejuno ventriculo [2].

Contra hunc auxiliantur sem. anisi, ammios, carvi fœniculi, aut similia : aut ex his composita tragemata mox post cibum sumpta : addito nonnihil cinamomi, mastiche [3], rosis, aut semine coriandri : & sacchari quantum omnium est pondus ex quibus mox à sumpto cibo cum modico vini nonnihil est sumendum. Adduntur astringentia, ut concluso per hæc ventriculi ostiolo concoctio reddatur melior. Si verò perseverans fuerit ex flatibus distentio:

hierâ

hierâ picrâ ventriculus purgandus: & abſtinendum ab omnibus, quæ flatus ingenerare queant.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Dolor vehemens hepatis non fit niſi ex apoſtemate calido, aut flatu. quapropter quum non eſt febris, & dolor eſt vehemens cauſa ejus ſunt flatus.

2. Flatus enim tenſione lædunt; quam novi chymi acceſſio auget.

3. Nam levis adſtrictio ut tonus viſceris nobiliſſimi ſervetur, requiritur.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LVIII, ad Caput LVIII.*

[*Hiera picra ventriculus purgandus*] Dummodo non adfuerit febris: ea utitur *Galenus 7. Meth. cap. 11.* in ijs, quibus caput ex flatibus dolet.

Particulari auxilio occurrit ſudorificum ex Guajaco, Smilace, China.

Balnea mineralia utiliſſima ſunt, & longo uſu experta.

## DE IMBECILLITATE IOCINORIS.

### CAP. LIX.

*Lect. 112. Iun. 18.*

IMbecillitas jocinoris dicitur, quando ipſum viſcus in proprijs actionibus per ſolam malam intemperiem debilitatur: nulla ß. neque inflamma-

tione,neque alio manifesto morbo in ipso existente. Propria autem ejus actio, sanguificatio sive sanguinis est generatio : quam substantia sive παρέγχυμα ejus operatur: hac actione læsa [1],affectus dicitur hepaticus,& hoc laborantes hepatici , sive jocinorosi à Medicis nominantur,ut Gal. 8. κτ τόπ.

Nascitur autem imbecillitas vel ab intemperie ipsius visceris, vel ab intemperie humorum , qui in venis aut arterijs proximis continentur : per quam ipsa jocinoris actio, quo minus munere suo proprio fungatur,impeditur .

Accidit autem ista jocinoris imbecillitas quandoque cum alvi cruento fluore. quando videlicet ipsum hepar chylum attrahit, & aliquo modo permutat,sed non retinet. atque tunc fluxus hepaticus,aut hepatica dysenteria affectus [3] nuncupatur.Quandoque verò & absque alvi fluore imbecillitas contingit,& tunc attractus chylus retinetur,sed in bonum sanguinem non convertitur: ut fit in Cachexia.

Signum autem affectus hepatici est,quando nullo alio in jocinore existente,ut dictum est malo, faciei color [4] vitiosus ac pallidior redditus sit: & alvi excrementa liquidiora,vel sanguinea,vel sanguini permixta fuerint : ex his enim jecur debilitate laborare,& sanguificam ejus vim debiliorem esse,constat. Et siquidem cum calida intemperie imbecillitas conjuncta fuerit , excrementa loturæ carnium recens mactatarum similia sunt , sed frequenter crassiora ac nigriora: subinde etiam biliosa quædam ipsis ammiscentur. Adest verò & febris [5] calor, & sitis,& quandoque vomitus assumptorum , vel vomitus bilis [6] aut aliorum vitiosorum. Et si diutius hæc intem-

intemperies perſeveret, etiam craſſa, pinguia, graveolentia, & abundè colorata excrementa redduntur: colliqueſcente ipſa jocinoris 7 ſubſtantia. Si verò frigida adſit intemperies; loturæ quoque carnium ſimilia excrementa, ſed liquidiora & dilutiora apparent, & quandoque cruda quædam ipſis permiſcentur, vel craſſioris quidam ſanguinis grumi nigricantes: tandem etiam varij coloris redduntur excrementa: ſitis adeſt exigua aut nulla: appetentia inordinata modo magna, modo remiſſa.

Quando autem abſque alvi profluvio imbecille redditum fuerit jecur, & ex calida quoque intemperie, color faciei ad 8 flavum ſive luteum colorem inclinat: urinæ rubent: alvus frequenter dura 9 ac ſicca: febris non raro accedit: ſitis intenditur, & lingua fit arida: & tandem univerſum corpus flavo colore ſuffunditur ſicut in ictero; & extenuatur, præſertim ſi ſicca adſit intemperies: & quandoque etiam pruritus 10 accedit. Si quando imbecillitas ex frig. fit intemperie color faciei albicat & pallidus eſt: urinæ albidæ quandoque tamen & rubentes, ſed quæ non perturbantur: corpus & præcipuè extremæ partes frigent: ſitis adeſt nulla: & cibi faſtidium. quandoque pedes nonnihil tument, aliquando & cachexia 11 deinde hypoſarca ſubſequitur.

Curatio imbecillitatis ipſius jocinoris per ea fit, quæ compoſita ſunt ex moderatè 12 aſtringentibus, intemperiem alterantibus, & ſi qui humores conjuncti ſint, ipſorum malitiam corrigentibus. Deinde etiam ex ijs, quæ contrariam vim habent adverſum putrefactiones, quorum plurima, ut Gal. ait, ex aromatum ſylva exiſtunt, inter quæ cinamomum 13, & caſia

casia quæ vulgò cannella, à Gal. præ cæteris commendantur: quæ omnes putredinosas, ac venenosas facultates corrigere affirmantur. Inter med. verò simplicia, quæ adversus jocinoris imbecillitatem conducunt, sunt & myrobalani ab Arabibus descripti & laudati, ac præsertim citrini nuncupati; qui astringendi facultatem cum exigua frigiditate primi, aut secundi ordinis conjunctam habent, qua jocinori & omnibus partibus nutritioni dicatis prosunt, easque roborant: colorem etiam faciei emendantes. qua de causa med. hepaticis oportunè adhibētur, vel etiam per se, præsertim conditi sumuntur.

Quando igitur per calidam intemperiem jocinoris actio debilior reddita, alvo fluida; & excremētis cruenta; adhibenda erunt astringentia roborantia quæ nonnihil simul refrigerent, ut sunt rad. tormentillæ, quinquefolij [14] rubeæ, bistortæ, & similes: myrobalanorum citrinorum, vel etiam aliorum aridorum cortices. conducit & agrimonia à Veteribus eupatorium dicta, & ad hepaticas affectiones ab ipsis commendatum. Quod si verò & caloris excessus magnus fuerit, licebit & cichorium, aut oxalidem addere. Ex his autem parari potest decoctum [15] aliquod, cui etiam incoquendæ sunt uvæ passæ, ad jocinoris affectus Gal. authore utiles. tale decoctum canella cinamomo vulgari condiendum, vel speciebus diarrhod. vel diatrionsantalon. Postea si libuerit, admisceri poterit aliquis syr. astringens: veluti de succo granat. acidorum [16], aut de succo cydoneorum, aut de rosis aridis, vel myrtinus; prout laboranti placere potuerit cujus gustui consulendum est. talem potionem bis, aut ter per diem offerre expedit.

Hujus

Hujus verò loco conditum etiam componere licebit ex conserva rosarum rubrarum, rob de ribes cum trochiscis de spodio dictis, aut cum speciebus diarrhodon, aut speciebus diatrion sant. addito aliquo supradictorum syrup. ex quo bis tervè in die plus minus ℥ ß. erit dandum.

Victus ratio refrigerans & astringens similiter esse debet: cremor hordei additis amygd. dulcibus utilis est: conducit quoque & cibos condiri portulaca, oxalide, fructibus mori, corni, ribesij, aut berberis [17].

Potus sit ptisana cum cinamomo decoctum, vel ipsius cinamomi decoctum addito aliquo dictorum astringentinm, aut rosis rubris vel earundem conserva, vel ligno santalorum, aut simili aliquo.

In causa frigida omnia calfacientia conveniunt, tam quæ medicamenti locum habent, quam quæ alimenta sunt. Conditum sufficere potest ex conser. flor. rosmarini, addita galanga, calamo aromatico vulgari, cinamomo, aut speciebus aromatici rosati, aut diagalanga, quæ miscenda sunt cum syr. de mentha. & tali condito utendum veluti priori.

Cibum esse oportet ex optimis carnibus, quas cinamomo, garyophyllis, pipere, mace, gingibere, cardamomo condiri refert; vel cum ipsis serpillum, hyssopum, salvia, rosmarinum [18] incoquenda. Vinum laudatur album, clarum, odoriferum. quod etiam præstantius futurum si aromatis condiatur, quale quod vulgò Hippocraticum dicitur. Panem in quavis imbecillitate cum alvi fluore convenit purum [19] esse, & benè fermentatum.

Quando autem imbecillitas jocinoris abſque alvi fluore acciderit, & quidem cum intemperie calida, refrigerantibus erit utendum: veluti in acutis febribus ac in jocinoris inflammatione: cichorio videlicet, dente leonis, & ſimilibus. quibus agrimoniam addi non parum conducit, propter eam quam habet aſtrictionem, qua jocinoris robur auget ac conſervat. Dandum verò & aliquod med. quod bilem, & quæ in primis venis hærent, expurget, ad quod nullum rhabarbaro [20] eſt præſtantius, quod eo modo, quo in febribus aut in inflammationibus jocinoris, erit exhibendum.

Victus ratio frigidior eſſe debet: quæcunque ex hordeo mundato, ſeu ptiſana parantur. & cum ipſa coquuntur, utilia ſunt: ſic & lactucam, & cichorium & ſimilia cum cibis coqui conducit. Vinum fugiendum eſt & quæcunque excalfaciunt.

Quando autem ſimul cum frig. intemperie jecur imbecillitate laborat; ijſdem remedijs erit utendum, eademque victus ratione, quibus in jocinoris obſtructione. Rariſſimè ſiquidem frig. intemperie citra obſtructionem jecur afficitur [25].

Perſeverante autem diu fluxu hepatico, tandem jocinoris ſubſtantia colliqueſcit, & corpore extenuato, vires vitaque deficiunt [22]. Iecur autem colliquari excrementa pinguia admodũ graveolentia, biliosa, aut livida, aut nigra, aut viridia oſtendunt: veluti dictum ubi de Diarrhœa. Citra autem alvi fluorem diu permanentem jocinoris imbecillitatem cachexia, aut hydrops ſequitur, vel ipſum jecur corrumpitur.

*Seba-*

## Sebastiani Egberti Scholia.

1. Propter debilitatam Retentricem, per accidens; aut Concoctricem, per ſe.

2. Hi tamen niſi viſcus intemperatum, ideoque debile reddiderint, affectus hepaticus haudquaquam dici poterit.

3. Et quod excernitur, ἔρυθρα vel ἐξέρυθρα περίπλυσις dicitur, aut χυλώδης; aut αἱματώδης διαχώρησις. Fit autem hoc, vel Retentrice ſuo munere non fungente: tumque pauciora, ſed continuò excernuntur; Vel Expultrice quod corruptum ac coacervatum eſt proturbante; tumque plura, per intervalla, ſed confertim dejici ſolent. Atque hæc actio hepatis, prima quidem Cœliacæ; poſterior Vomitui ventriculi, proportione reſpondet.

4. Humorum enim colori cutis, potiſſimum faciei ubi illorum major confluxus fit, color analogus eſt. quare quum tales ſint, quales hepar producit, humores, faciei color hepatis diatheſin deſignat.

5. Quod hepar ſitu cordi propinquum, & maximis venis connexum ſit.

6. Expultricem oris ventriculi irritantium.

7. Humoribuſvè ſaltem ſecundarijs, primò; poſt etiam ipſa carne.

8. Propter adauctam flavem bilem.

9. Calore chyli, ac fæcum liquidiorem partem diſſipante.

10. Ex acrimonia humorum ad habitum delatorum.

11. Quæ gradu ſolum, non etiam ſpecie differunt.

12. Quæ tonum quidem addant, obſtructiones autem non faciant.

13. Qui Cinnamomum, caſiam, & canellam unum idemque dicunt; rem ipſam dicere credendum eſt.

14. Quum astringere contra Gal. jam in stirpium historia demonstratum. unde etiam in vulnerarijs potionibus adhiberi solet.

15. Potiones ferè potius adhibendæ quia ægri sitiunt.

16. Caro cydoneorum aut rob de ribes addi etiam possunt; aut rob de berberis.

17. Qui etiam resiccatus servari potest per hyemē.

18. Præstaret tum assis uti infixis garyophyllis. nam liquida omnia alvum movent.

19. Sine suffuribus enim alvum retinet.

20. Nam præterquam quod alvum ducit, tonum etiam hepatis conservat & auget.

21. Et aperientia pleraque etiam calidam facultatem habent.

22. Præsertim quando fluxus alvi simul adest.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LIX, ad Caput LIX.*

Dicitur autem hæc potentia sanguifica propria ipsius jecoris, quia nulli alteri corporis parti communis est : licet enim venæ dicantur sanguificandi vim habere, tamen eam emendicatam habent à jecore, quod viscus vim habet primariam & per se generandi sanguinem : quia jecur inter coquendum non solum alterat *Chylum*, sed etiam rubedinem inducit, quia omne agens attendit assimilare sibi passum, non tantum in primis, secundis, sed etiam tertijs qualitatibus.

Curam optimè pertractat auctor : sed nonnulla omisit, quæ occulta qualitate jecur roborant ut jecur lupinum, cochlearum caro, & uvæ passæ; quæ licet vilia tamen à totâ substantia jecur roborare, præsertim frigidâ intemperie laborans, docuit *Galenus lib.8.sel.loc.cap.7.*

DE

# DE REGIO MORBO.

## CAP. LX.

*Lect.114. Iunij 21.*

[1] Icteros sive regius morbus bilis flavæ per universum corpus est suffusio, cutim luteo colore inficiens, qui etiam in oculorum albo manifestissimè conspicuus est.

Tribus autem modis hunc maximè [2] fieri contingit: vel vitio ß folliculi flavam bilem continentis: vel propter jocinoris aliquem affectum: vel critico modo.

Vitio autem folliculi accidit, vel quando ipse præ imbecillitate bilem non attrahit, aut attractum non retinet, vel quando meatus folliculi obstructus per quem sese exonerat & bilem flavam ad intestinum jejunum demittit. hoc enim meatu obstructo bilis ad venas regurgitat & sanguini permixta universi corporis cutim luteo inficit colore. Obstruitur autem meatus à lentis, crassis & frequenter pituitosis [3] humoribus. obstructionem ostendunt excrementa albida & nulla bile tincta, album oculorum ex luteo pallescens, urinæ biliosæ [4], & quæcunque ipsi intinguntur luteo colore inficientes. &, priusquam hoc colore universum corpus fuerit perfusum, non rarò etiam circa ventriculi regionem gravissimi cum angustia dolores.

Ab obstructione autem morbũ regium aperientibus & abstergentibus curare oportet. utiles sunt rad fœniculi, petroselini, apij, chelidonij majoris.

 ex her-

ex herbis hepatorium vulgare, cuſcuta, centaurium minus, lupuli folia: quandoque & marrabium, quibus ſi calor adſit, cichorium, oxalis & ſimilia adduntur. ſem. conveniunt aniſi, amios, nec non cucumeris, cucurbitæ, melonum & ſimilium: quæ licet non calida, aperiendi tamen vim habent.

Ex his decoctum parari poteſt, cui addendus ſyr. acet. comp. aut ſyr. de Bizant. cum aceto [5], aut de cichorio cum rhabarb. ſi calor adſit. In tali decocto incoquere etiam licet folia ſenæ, agaricum, & nonnihil [6] rhabarb. infundere. Fieri etiam poſſunt potiones ex aquis deſtillatis [7] hepetorij vulgaris, cuſcutæ, cichorij; in quibus aliquis ſupradictorum ſyr. diſſolvendus, & nodulus imponendus cum rhabarb. ʒ I. aut ʒ I. ß. Infundũt etiam nonnulli in tali julapio [8] ramenta eboris, quæ ad fellis meatum aperiendum conducunt. & talis potio utilis eſt debilibus & delicatis: ſic & gravidis ictero correptis. Poteſt verò & purgans med. exhiberi ex diaphœnicon, aut diacatholicon, addito diaprunis ſolut. ut ſit med. bilem & pituitam educens. Poſt uſum talium remediorum ſi urinæ non perturbentur, quod obſtructionis permanentis certiſſimum eſt ſignum, exhibendus pulvis lumbricorum terræ cum modico vino, vel ſolus, vel cum ſpecibus dialaccæ; qui obſtructiones fellis à totius ſuæ ſubſtantiæ proprietate ſolvit, meatus aperit, urinamque ad concoctionem perducit.

Poſt obſtructionem ſolutam ſi reſtat malus faciei color, infuſo corticum myrobalanorum [9], præſertim luteorum ex vino emendari poteſt: aut uſu myrobalanorum conditorum: quorum uſu non modo color emendatur, ſed à morbo regio huic expoſiti præſervantur.

Victus

Victus ratio in morbo regio ex obstructione convenit qualis in scirrho, ac obstructione jocinoris. Omnia lenti succi, omnes etiam fructus crudi, caseus, & lac improbantur. Vinum convenit album & tenue, aut tenuissima [10] cerevisia. Moderatum exercitium corpore [11] jejuno non est inutile, aut balnea his qui illis assueverunt.

Ex debilitate. a. folliculi fellis si morbus regius acciderit, alvi excrementa tincta sunt: urina subindè perquam exiguum colorata [12]. faciei color ex luteo pallescit, sed minus quam ex morbo regio ab obstructione: adest & nausea, cibi fastidium, corporis pigrities ac tarditas, nec non languor assiduus, citra febrem.

Adversus hunc affectum non est opus multis aperientibus, sed magis roborantibus: quæ & jocinori & fellis folliculo languido prodesse queant, ut sunt diarrhodon, diatrionsantal. & similia elect. vel aromat. rosat. quod ventriculo etiam prodesse potest. Vtile verò & subinde levi [13] aliquo med. alvum expurgare, aut simili enemate eluere.

Cibus sit facilis concoctionis: ut ex carnibus volucrium non [14] palustrium: vel ex carnibus vervecinis. Abstinendum ab omnibus calidis bilem ingenerantibus: qualia ex oleribus eruca, nasturcium, cæpa, allium, & similia, piper etiam, atque hujusmodi aromata non conducunt. Ova improbantur: quia facile in ventriculo, quem bilis infestat, corrumpuntur [15]. Vinum tenue & album confert. tale enim tenues, serosos ac biliosos humores per urinam deducit, quod hoc morbo laborantibus maximè conducit.

Icterus

Ictérus autem ab inflammatione, aut calidi nim[ia] jocinoris intemperie, qui citra obstructionem folli-culi fellis accidit, & in quo excrementa alvi non al-bida, sed biliosa apparent; pro affectuum ipsorum ratione curandus, ut ante dictum.

Qui autem critico modo supervenit, curation[e] non indiget: [16] nam per hunc febres & morbi sol-vuntur.

Contingit verò & nonnunquam à morsu repti-lium, aut à venenis assumptis luteo colore corpus in-fici talis autem affectus curandus est remedijs, qua[e] adversus morsus ferarum, à quibus læsio facta, ve[l] adversus venena conferunt.

Gravis autem, diuturnus, & ut plurimum exitialis regius morbus ex obstructione folliculi fellis senio-ribus est, qui 60. annos [17] superant. Sic & curatu difficilis, quando corona capitis luteo colore infecta est: magnitudinem enim affectus ostendit, & bilis in habitum corporis redundantis copiam. Diu-turnus etiam admodum morbus regius est ex imbe-cillitate folliculi fellis. Contingit autem non rarò ut qui hoc laborant, calculos [18] in ipso folliculo na-tos habeant, ut apertis mortuorum corporibus sæpè apparet.

Quibus autem in febribus morbus regius ante 7. diem supervenit, malum Hipp. 62. aph. 4. vehemen-tem enim excessum caloris, aut magnam in jocino-re inflammationem morbus regius ante 7. superve-niens ostendit, atque idcirco malus, nisi cum ri-gore [19] & cum manifesta aliqua vacuatione fiat. tunc enim non malum, sed prodest: ut Hipp. lib. 1. epid. exemplo ostendit Heraclidis, cui 6. die accessit mor-

morbus regius cum larga ſanguinis è naribus eruptione, alvi perturbatione, & per veſicam purgatione, qui & profuit. Huc facit quoque quod 4. de diæt. in acut. ſcribitur his verbis: In febri bilioſa ante 7. diem cum rigore morbus regius accedens ſolvit febrem: verum ſi abſque rigore accedat [20] pernitioſus. rigor autem non fit abſque vacuatione. Pernicioſus verò ac lethalis morbus regius in febribus ardentibus habetur, quinto die cum [21] ſingultu accedens. Hipp: lib.de eriſip. Sed ſi in [22] moleſtis febribus 7. die vel 9. vel 11. vel 14. morbus regius ſuperveniat,bonum; niſi dextrum hypochondrium durum fuerit. alioqui minimè bonum: ut aph. 64. lib.4. bilis ſiquidem per univerſum corpus diſtributa corporeque luteo colore ſuffuſo, ſi adhuc aliqua in jocinore reſtet quæ tumorem, aut ſcirrhum facit; conſequens eſt non ſolum maximam inflamtionem genitam, ſed & multum bilem in jocinore conputruiſſe,quod malum eſt. citra autem duritiem & jocinoris tumorem diebus ſupradictis morbus regius ſuperveniens, bonus eſt: ſunt enim iſti dies in quibus bonæ criſes fiunt, ad morbum judicia ſalutaria.

## *Lienis affectus.*

Lienis affectus ſunt aut inflammatio, aut cum obſtructione durities, vel tumor ſive magnitudo ejus.

*Seba-*

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Ab ictide, seu mustela agresti; vel ab Ictero avicula, quæ & galbulus, seu galbula dicitur; quod animalia ista lurida, seu fellei coloris sint. Unde & Aurigo, atque arquatus morbus dicitur, quod bilis toto diffusa corpore, tam auri quam arcus cœlestis luteum colorem, mentiatur. Unde & Regius dici potuit, quod Reges in vestib. alijsque ornamentis auratis sæpè conspiciendos sese præbeant. nam quæ de cibis, vino, ludo, lasciviaque afferri solent, longius petita videri possunt. præsertim quum omnes propemodum linguæ, non à curationis modo, sed à calore hunc morbum denominare voluerint. Et rei medicæ ignarus fuit, qui Arquatum dictum putavit, quod ita stringat corpus ut in arcum ducat.

2. Sunt quidem & alij modi, sed rariores, ut à veneno vel adsumpto, vel aëri permisto, aut per vulnus immisso. Sic à lepore marino adsumpto ζοφόεις μὲν ἐπίχλοος ἔδραμε γήοις ἰκτέροεις &c. Et ictus à vipera inoritur χρόαν χλοανθὴς. In Norwegia pluit à nubibus bestiola quadrupes magnitudine soricis, pilo vario, Lemner nomen habet. depascitur omnia virentia. consumpto pabulo moriens aerem inficit. unde vertigine & morbo regio corripiuntur incolæ, Card. & Scaligero attestante testem occulatum vidi; qui ex rupibus procella ablatos in aquamque delapsos ad terram enatare quasi turmatim referebat.

3. Vindicianus celebris & magnus medicus qui temporibus Augustini vixit, à retentis fæcibus bilem in totum corpus exprimi scripsit; sed bile per obstructionem pori non defluente ad Intestina fæces retineri magis verum est.

4. Et crassæ, similes cerevisiæ Gedanens. agitatæ spumam habent flavam.

5. Qui

5. Qui syr. propter indita habent vim a … pus, & incidendi propter acetum.

6. Turbith etiam convenit pro fortiorib rò sine rhabarb. medemur ictero; quia vald borat hepar præterquam quod bilem educat

7. Quæ non habent magnam vim, sed ob tenuitatem syr. deducunt.

8. Proprietate occulta, nisi ustum sumatur. nam nota qualitas συπτικὴ est. ustura empyreumate acrimoniam, & aliquam aperiendi vim adjicere fortè posset.

9. Quia non tantum colorem exhilarant, sed & hepar corroborant.

10. Præsertim quæ plusculum lupili habet, ut Nautica dicta; & Brunswicensis, quam Mum vocant.

11. Quia per sudores humores sub cutem latentes expurgantur. hinc illud fortè Lucilij; Nos esse Arquatos surgamus, eamus, agamus. Ita Hippocr. Icterico prodest laborare, sudare, panem (non mazam, quæ propter cruditatem obstruit) edere; bibere vinum album non multum; lavare caput calida, seu potius tepida multa; somno non multo uti. Epid. l. 7. Cibos, potus aperientes laudat Gal. in Ictero qui sine febri cum gravitatis sensu in dextro hypochondrio est. 5. de loc. aff. c. 7.

12. Quia tantum bilis in habitum non diffunditur ut in obstructione.

13. Nam validiora plus viscera debilitando læderent, quam vacuando prodessent.

14. Palustres enim & succi non optimi, & difficilis concoctionis esse putantur.

15. Licet calida minimè sint.

16. Et naturam rectè agentem Medicus non impedire, sed juvare & dirigere debet.

17. Quia debilis virtus concoctioni humorum non sufficit.

18. Aut eorundem rudimenta, materia ad calculorum

lorum

cum duritiem nondum perducta, ut in Bredanano juvene post frequentia animi deliquia ex Ictero mortuo, corpore ejus dissecto vidimus.

19. Rigor quum fiat ab acri bile partes sensiles pungente, & Expultricem irritante, futuræ evacuationis signum est: per vomitum, alvi dejectionem, sudorem &c.

20. Nam Inflammationem, aut insignem hepatis obstructionem designat.

21. Nam os ventriculi, cum quo cordi maxima sympathia est, insigniter affici significat.

22. Magnis, quia magna difficulter feruntur. ἀφορήτοις intolerabilibus Cornarius.

## NICOL. FONTANI

### *Annotatio LX, ad Caput LX.*

[*Contingit vero & nonnumquam à morsu reptilium*] Scilicet à *Vipera*, & *Scorpione*.

[*Aut à venenis assumptis luteo colore corpus infici. Talis autem affectus curandus est remedijs, quæ adversus morsus ferarum à quibus læsio facta, vel adversus venena conferunt.*]

Hoc fit proprio *Alexipharmaco*, ut *Theriaca* tam assumpta, quam admota. Opitulantur etiam lapis *Bezoardicus*, Mithridatium, & cætera quæ innata vi cor corroborant, & virulentibus ictibus resistunt: de quorum usu lege *Septalium lib. 2. de feb. pest. cap. de Alexiterijs.*

De venæ sectione in *Morbo Regio*, nullam fecit auctor commemorationem, forsan edoctus magno illo *Galeni* documento *lib. de Purgatione cap. vj. & lib. de de atra bile. Morbo Regio laborantibus sanguinem si miseris extremam in pernitiem agas.*

Ego eam audacter seco: imo eam necessariam esse tum veterum, tum juniorum unanimis sententia firmat;

mat; præsertim si febris adsit Vernum sit tempus, vires sint robustæ, floreat ætas, adsitque calida hepatis intemperies, cujus vi humores biliosi & calidissimi ab hepate squalido progeniti ad cutem dimissi *Arquatum* creant.

Non solum in hoc casu sanguis mittendus est, sed cum *Auriginosus* morbus ex hepatis concitatur vera inflammatione; in quibus exemplis si sanguinem mittere recuses, ægrum præciptem dabis in mortem.

Nullum enim in hoc morbo, positis dictis conditionibus, excogitari potest præsentaneum auxiliũ: hujus enim ope ventilatur jecur, levatur natura, quæ deonerata biliosum humorem una cum sanguine permixtum ad cutem promptius detrudit.

In corpore vero debili & senili in quo vigeant obstructiones contumacissimæ, adsit internarum partium, nempe hepatis & lienis durities, morbus sit chronicus, viresque dejectæ, valde nocere potest, ut quotidie *in Hydrope*, & in ijs, in quibus viscera corrupta sunt, experimur.

## DE LIENIS INFLAMMATIONE.

### CAP. LXI.

INflammationem comitatur febris continua, quæ tamen sub noctem [1] & à meridie vehementior est quam matutino tempore. adest & in sinistro hypochondrio dolor cũ gravitatis sive ponderis, & quandoque fervoris alicujus sensu, & tumor durus [2].

Nascitur lienis inflammatio à sanguine crasso, limoso, ac fæculento: à bilioso aut puriore sanguine vix unquam. A sibi etenim familiari, ac quo nutritur sanguine, citius ac promptius quam ab alio afficitur.

In hujuſcemodi autem inflammatione ſanguis etiam detrahendus eſt, & quidem ex ſiniſtri brachij vena interna, aut ex vena ejuſdem manus [3] quæ juxta minorem eſt digitum. & ſi una vice non ſatis viſum fuerit detractum; reiteranda erit ſanguinis miſſio. Poſt ſanguinis miſſionem exhibenda erunt, quæ per alvum purgent: initiò quidem leviora [4], ut ex fol. ſenæ & epithymo compoſita, & quandoque addito agarico [5], quæ infundi aut macerari poſſunt in aquis deſtillatis; aut, quod longe præſtat, coqui ſimul cum rad. & herb. non vehementer calfacientibus, quæ ſpleni conducunt; ut ſunt rad. fœniculi, polypodij, fumus terræ, cuſcuta, ſcolopendrium quod cæterach Offic. appellant, capillus Veneris aut ruta muraria, borago, bugloſſum: quibus etiam cichorium, oxalidem aut ſimiles addere utile erit, ſi febris vehementior fuerit. Levioris verò purgationis loco & [6] diacathol. exhiberi poteſt per ſe, vel addito pulvere fol. ſenæ, vel cum tali, quale jam dictum eſt, rad. ac herbarum decocto. Proceſſu verò temporis poſteaquam concoctionis ſigna apparuerint, validiora erunt med. exhibenda [7]: poterunt tunc cortices rad. cap. hepator. vulg. chamædrijs, ſupradictis addi, & veratrum nigrum quoque admiſceri, aut confect. Hamech. Atque hujuſcemodi purgationes ſæpius dandæ: nam quum lien per vias urinæ [8] expurgari nequeat, frequentius per alvum expurgari debet: ut Gal. 13. meth. ſciptum reliquit.

Intermedijs autem temporibus, & præſertim prius quam validiores purgationes ſint exhibendæ, offerenda ſunt quæ humores præparare & inflammationis fervorem remittere queant, quale eſt de-

coctum

coctum ex rad. & herbis supradictis, in quo dissolvendus syr. acetos. compos. aut oymeli compos. aut syr. de succo fumi terræ, quibus addendus syr. ex cichor. si febris vehementior.

Prosunt verò & in hujus visceris inflammatione fotus, aut unctiones ex ol. chamæmelino 9 aut anethino, aut utrisque addito ol. rosaceo, aut si calor non obstet ol. absinthij : ut videlicet relaxantibus adsint astringentia visceris robur conservantia. neque enim lien non minus quàm jecur solis relaxantibus curari debet : ut Gal. loco jam dicto. additur verò nonnihil vini albi, aut aceti ut oleorum vis ad lienem facilius deducatur. Potest verò & ol. loco cataplasma imponi ex rad. althææ decoctis & farina hordei, sem. lini, ac seminis fœnugræci cum exigua quantitate flor. chamæmeli & rosar. rubrar. quæ cum aqua decoctionis rad. decoquenda addito postea ol. rosaceo, aut de absinthio, nisi calor obstet.

Victus ratio ferè qualis in inflammatione jocinoris : non tamen usqueadeo tenuis, nam morbus longior est : minus etiam frigida esse debet. minus enim calet causa inflammationis. Vinum album & tenue sedata nonnihil inflammatione, negari non debet. cappares 10 cum cibo laudantur. Abstinendum ab omnibus quæ in quartanæ curatione fugienda esse dictum est.

Inflammationi autem lienis hæmorrhoidum fluxus 11 superveniens, utilis est : ut satis ostendit Hipp. aph. 11. 6. lib. ubi ait, hæmorrhoides melancholicis supervenire, bonum : expurgantur siquidem per has humores crassi ac melancholici : quales in lienis inflammatione, & in scirrho ac tumore non minus ex-

 pur-

purgari & evacuari conducit, quam in appellat melancholia.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Quo tempore Melancholici humores mover solent.

2. Duritie non vera, sed extensione producta.

3. Crassior tamen sanguis commodius ex brachi educitur. quin & vena quæ in manu secatur alteriu venæ ramus est, Cephalicæ nempe.

4. Quia cruda adhuc materia, minorativæ dicta purgationes tantum conveniunt. Validiores enim movendo vim afferunt, nec tamen peccantem humorem amovent.

5. Nam tam qua purgat pituitam, nempe hic non peccantem: quam quod insignem aperiend vim habet.

6. Alij dant etiam cassiam, quam tamen non laudo; quod flatus excitet.

7. Nam gradus purgantium concoctionis gradui proportionatus esse debet.

8. Emulgentes enim à Cava; Splenicæ vena à Porta originem ducunt.

9. Quorum calor non usqueadeo metuendus, quod sanguis qui in, & circa lienem reperitur fæculentus, ideoque minus calidus sit.

10. Quia obstructiones tollunt, quæ cum hac inflammatione conjunguntur.

11. Per quem sanguis crassus & fervidus evacuari solet.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LXI, ad Caput LXI.*

*Lien* Latine, Græcè autem *Splen*, eſt in parte ſiniſtrâ jecinori oppoſitus, non tranſverſo ſepto ut jecur; ſed inteſtino innexus eſt craſſitudinis longitudiniſque modicæ, ſine fibris, à concavo ſtomachum aſſequitur, à gibbo vero dorſo alligatur.

Hujus autem magnitudine, intemperantiam riſus fieri affirmant *Phiſici*, & *Perſius* non inficiatur cum dicit:

*Sed cum petulanti ſplene cachinno.*

Sic è contrario qui liene carent, aut breviſſimo utuntur liene, rident numquam.

[ *Inflammationem comitatur febris cotinua.*] Rarior quidem affectus eſt inflammatio lienis, rarior enim calidis, ſæpe frigidis morbis lien tentatur plenis periculi.

## DE LIENIS SCIRRHO ET OBSTRVCTIONE.

### CAP. LXII.

QVando lien durior factus eſt, tunc ſcirrho laborare dicitur. Indureſcit autem ab humore craſſo, viſcido & melancholico: quando videlicet ab hujuſcemodi humore meatus ejus ac pori obſtruuntur, & ſubſtantia impletur. Adeſt tunc in ſiniſtro hypochondrio gravitatis quidam ſenſus, & ſi non

obſtet abdominis craſſities, etiam manu durities lienis ſentiri poteſt.

Vrinæ frequenter admodum tenues [3] & diluti coloris: niſi adſit [4] febris.

Curatio autem ſcirrhi lienis per ea fit, quæ craſſos humores diſſecare & obſtructa aperire queant qualia ſunt ad jocinoris ſcyrrhum, & obſtructionem utilia: quibus tamen tanto valentiora lieni eſſe debent, quanto craſſiore utitur alimento: ut Gal. meth. 13. Præter ea ergo quæ adverſus jocinoris obſtructiones proſunt, ad lienis ſcyrrhum conducunt cort. rad. capparum, cortic, rad. mori arboris cortices tamarſicis, [5] chamædrijs, hepatorium vulgare, thymus, epithymum, ſcolopendrium, hæmionitis [6], phyllitis, ſem. viticis ſeu agni caſti, ſem. rutæ. Ex compoſ. ſyr. de epithymo, aut aliquis ex ſupradictis componendus: dialacca, diacurcuma; & inter purgantia diaſena, confect. hamech. pill. de hiera cum agarico præſertim addito ammoniaco, pill. de ſerapino, pill. aggregat. Confert verò & aquæ ferratæ, frequens continuuſque uſus. Atque hujuſcemodi remedijs: & quæcunque ex ipſis confici poſſunt uti licebit quando febris quartana non obſtat: cujus prima ac potior ratio habenda eſt. Externis autem remedijs, etiam perſeverante quartana [8], uti licet: ut unctione ex ol. capp. liliorum, rutaceo, vel illo rutaceo quod ex ol. ſeminis lini [9] paratum eſt, de quo in jocinoris ſcirrho. Vel empl. aliquod lienis regioni imponendum: veluti ex ammoniaco, vel empl. de meliloto per ſe, vel cum empl. de muccilag. permixto.

Victus ratio qualis in obſtructione jocinoris obſervari

ſervari debet: paulo tamen calidior: aut qualis in quartanis. Capparorum in cibo uſus utilis eſt: Hipp. verò & raphanidis rad. crudam,& apium in aceto intincta edenda conſulit: quorum loco naſturtio, aut dracone herba uti non fuerit abſurdum.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia*

1. Conjunguntur hæc, quia venæ hic, non affecta ſubſtantia, vix tali modo affici poſſunt. Qui autem indurata Splenis affectione laborant, Splenici dicuntur. Alicubi ut in Cauno Lienoſi gignuntnr. Pella itidem multos Splenicos habuit.

2. Iam quaſi Zona liene cinctus ambulo (Lien tumibo circumligat Ilia vinclo) Geminos in ventre habere videor filios Plaut. in Curcul. Hinc τέλειοι σπληνικοὶ, nec olfacere, h. e. anhelitum ad olfaciendum profundum ducere, nec ridere, nec ſternutare poſſunt. Horus.

3. Propter obſtructiones, quod craſſum, & tingens eſt, ſecernentes.

4. Quartana: in qua die præcedente febrem ſunt crudæ, ſequentibus ſunt coloratæ, craſſæ, turbatæ.

5. Medetur lienibus Teucrium: conſtat ſic inventam: quum exta ſuper eam projecta eſſent, adhæſiſſe lieni, eumque exinaniſſe, ob id à quibuſdam Splenium vocatur. Plin. l.25. c. 5.

6. Aſini ſplenis tumorem, Aſplenon edentes, finiunt.

7. Seu ſponte tales prorumpant & naturales ſint, ut aquæ Spadanæ; ſeu arte parentur.

8. Alia enim viſcera nequaquam inflammant, quum regioni Lienis, reliquis partibus intactis, admoveri poſſint.

9. Quod magis emollit quam oleum commune.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LIV, ad Caput LIV.*

[*Etiam manu durities lienis sentiri potest.*] Quia est quasi lapidosus: pressisque digitis non sentit.

Addit *Ægineta*, os tum grave olere, gingivas prurire, ulcera in cruribus excitari, quæ numquam coalescunt: Hydrops sequitur nisi mors illam antevertat.

[*Ex obstructione*] Nullus morbus tam frequens in liene est quam obstructio, splenitides enim sunt exiles, sanguis quo nutritur crassus, fæculentus, ut inquit *Galenus* 14. *Methodi cap.* 8.

## DE MAGNIS LIENIBUS.

### CAP. LXIII.

MAgni lienes ab Hippocr. dicuntur, qui præter quod multo crasso ac melancholico sanguine obstructi repletiqne sint, etiam tumidi & valde distenti facti sunt: ex copia videlicet affluentis crassi humoris, quo gravati tandem etiam sphacelo corripiuntur.

Manifestior autem lienis magnitudo, quam scirrhus 1: nam tumor etiam foris quandoque prominet, & tactu facilius quam scirrhus deprehendi potest: color facei lividus, ac ut Hipp. aut molybdoïdes, sive plumbi colore: & quandoque, idem ait, partes sub oculis attolluntur. Consequuntur au-

tem

tem magnos lienes vel ſanguinis per vomitum eruptiones, vel oris & gingivarum graveolentia cum livoribus aut ulceribus [3] tibiarum, ut in lib. prorhet. Hipp. oſtendit. Vlcera autem his fiunt, qui bilioſi ſunt [4] temperamento ut Hipp. lib. de internis affect. ait: Quicunque, inquit, ſplenem habent magnum ſiquidem bilioſi ſunt, hi mali coloris ſunt & malis ulceribus ſcatent.

Quomodo autem curandi ſint quibus ſanguis per vomitum eruperit, dictum ubi de ſanguinis vomitu.

Oris graveolentiam cum tibiarum ulceribus aut livoribus Hipp. ileam appellat hæmatitem, ſive volvulum ſanguineum [5]: recentior ætas Scorbutum [6]: & ex prava victus ratione, atque ex frumento; & maximè ſecali, corrupto, originem hunc habere cenſeo. Hipp. verò & ab olerum [7] uſu fieri: & ab aquæ potu lib. de internis affectionibus ſcribit. In lib. de aëre, aquis, & locis, bibentibus aquam paluſtrem ac ſtagnantem ſplenes ait fieri magnos.

*Lect.* 118. *Iunij* 28.

Curatio hujus affectus uſu aliquot herbarum fit: ut ſunt naſturtium aquatile, cochlearia, naſturtium hortenſe, & vulgo dicta becabunga, quæ tamen reliquis eſt minus potens [8]. harum unius, vel plurium [9] decoctum ex lacte [10], vino, aut ſero lactis pro tenuioribus ſingulis diebus bis tervè hauſtum, conducit. ſic & ſuccus earundem cum ſero aut lacte propinatus. fiunt ex ipſis & conſervæ. quæ hyberno tempore, quum virentes herbæ haberi nequeunt, propinantur. Conducit quoque eaſdem herbas cum abſinthio coqui: & abſinthium [11] vulgare, præ-

ſertim in ipſius initio quovis modo exhibitum, in progreſſu etiam alijs utiliter admiſcetur.

Exhibenda præter hæc [12] purgantia medicamenta, quæ craſſos fæculentos & melancholicos humores expurgant: veluti compoſita ex folijs fenæ, epithymo, addito veratro nigro ſi neceſſitas poſtulat: quibus & conf. Hamech admiſceri utile erit. qualia purgantia non modo in principio, ſed & in progreſſu ac intermedijs temporibus etiam exhibere expedit.

Providendum ori eſt collutionibus. quæ componendæ ſunt partim ex ijs quæ calfaciunt, partim quæ aſtringunt, & partim abſtergent: ut ex roſmarino, ſalvia, thymo, hyſſopo & ſimilibus, in aqua decoctis: quibus addendum aliquid aluminis: [13] deinde addendum mel roſaceum vel aliud repurgatum: adduntur gallulæ ſeu nuces cupreſſi, vel cortices malorum granatorum: deinde & cubebæ.

Livoribus [14] in cruribus aut alijs corporis partibus apparentibus, non opus eſt remedia adhibere. cito enim quotidiano uſu ſupradict. herbarum evaneſcunt. ſunt tamen qui velint has partes foveri decocto baccarum juniperi, abſinthij, naſturtij aquatilis, & flor. chamæmeli: aut inungi ung. compoſ. ex butyro inſulſo, juniperi baccis, & vino albo decoctis. Vlcera [15] ſi quæ facta fuerint, pro conditione curanda ſunt.

Victus ratio ſit ex optimis carnibus: citius volucrium [16] non paluſtrium quam aliorum animalium: panis quoque ex optimo tritico, aut alio bono cocto & fermentato. Vinum album & tenue convenit. abſtinendũ ab oleribus, præſertim atriplice & braſ-

ſicis:

ſicis: tum & à piſcibus præſertim ſtagnorum, aut littoralibus, tum & ijs qui circa fluviorem oſtia verſantur: tum & omnibus impenſè dulcibus [17], caricis, uvis paſſis, vino dulci craſſo. Exercitium validum [18] convenit ſi fieri poteſt: nam ut Hippocr. ait: Curatio hujus lienis affectus pharmacis, edulijs, & laboribus perficitur. Conveniunt labores & exercitia maximè ijs, qui ſunt natura pituitoſi: minimè qui natura bilioſi: ut in lib. de affect. ſcribit.

Diuturna eſt affectio, [19] & morbus eſt qui multa curatione habet opus: qui niſi pharmacorum uſu, & bona victus ratione emendetur [20], lethalis. Quibuſdam verò & in hydropem tranſit: maximè poſt ſanguinis vomitiones, ut etiam dictum ubi de ſang. vomitu.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Non duri niſi valde diſtendantur à nimia multitudine. Et in iſto à Scirrhoſis lienibus differunt.

2. In ſcirrho plerunque lien non fit manifeſto major, ſed quandoque etiam minor.

3. Ut plurimum in tibijs: quandoque tamen in alijs etiam partibus.

4. Quia humores delati ad cutem in talibus, permixti ſunt bili. Libro de affectionibus idem dicit. part. 19.

5. Idque non malè: nam vidi mortuum ex hoc morbo, cui maximus dolor in ventre aderat. R. D.

6. Vel Scorbucum, quaſi ventrem lacerans; ſeu ut Olaus interpretatur, ſaucians.

7. Craſſum enim ſuccum gignunt: præſertim braſſica & atriplex.

8. Commendatur raphanus major; ſuccus limonum

num, atque arantiorum. Utuntur plebei Sedo minimo: verum ejus usus non admodum tutus est.

9. Quædam tamen coctione vim suam amittunt; ut raphanus major, cochlearia &c. Ille itaqne liquoribus potius immacerandus: hujus succus expressus iisdem immiscendus. quamvis in delicatiorib. etiam sola ejusdem maceratione contenti esse possimus.

10. Ditiores pro his vino Gallico albo utuntur. Lac minus probatur, propter caseosas partes, quæ obstructiones, nisi separentur, augere possent.

11. Quod Romano, seu Pontico dicto, ideò præstat; quod non solum aperit, & detergeat, sed & corroboret.

12. Validè purgantia qui Scorbuto laborant, non ferunt: quod cor affectum, vitalemque facultatem debilem habeant.

13. Sunt qui & Ægyptiacum immisceant, cujus tamen usus nisi in magna necessitate, probandus non est.

14. Quando scilicet livores tantummodo sunt. testantur enim Expultricis vigore crassiorem materiæ partem ad extremas partes à nobilioribus propulsam.

15. Advertendum, ne Gangræna succedat, ut aliquando in majoribus fieri solet.

16. Quòd minùs excrementitium alimentum præbeant.

17. Quod obstructiones facere, vel augere soleant.

18. Μόλυνσις namque, sive eruditas proxima hujus morbi causa exercitium autem concoquentem calorem exsuscitat.

19. Propter causæ peccantis crassitiem & immobilitatem.

20. Et sic quidem ut derepentè concidant mensæ adsidentes, aut aliud quid agentes. quod in Yslandia sæpius contingere oculati testes, fideque digni narrarunt.

NI-

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LXIII, ad Caput LXIII.*

Cum lien atri humoris copia turgeſcit, tunc in magnam molem inflatur, & tactu tumor deprehenditur.

Differt ab obſtructione, quia alia ſigna hunc morbum concomitantur: nempe *Iſterus niger*, gingivarum pruritus, ulcera, crura œdematoſa melancholicisque cruſtis inſperſa: ex quibus ichores atrabilarij emanant.

Adeſt oris graveolentia, inflatur corpus, & fit cachectico ſimile. Demum hunc morbum noſtri *Scorbutum* appellarunt, alij Scillatirbe, ita *Langius* in epiſtolis. *Foreſtus* in obſervationibus.

Perdoctus *Ronſeus* ſingularem fecit libellum de magnis *Hippocratis* lienibus.

Morbus eſt lethalis & fere in Hydropem finitur curatur in initio antequam flacceſcant vires: quæ ſi adſint ſanguis emittēdus ex ſiniſtro cubito: Hæmorrhoides aperiendæ vi hyrudinum, mænalagoga propinenda, & præſertim ſerum lactis caprini, aut jus galli veteris, ut *Meſues* docet.

Cardiaca offerenda, Cauteria cruribus affigenda. Quod ſi thoracem premat affectus, & *Ortopnæam* concitet, ducto in conſenſum capite, nullus eſt tunc remedio locus.

Ut vero impediatur mors, adhibe cauteria in brachijs, cucurbitulas ſcapulis frequenter appone, expectorantia porrige, & his adjutus æger aliquando reviviſcit.

DE

# DE CACHEXIA.

## CAP. LXIV.

HYdropem & præcipuè hypoſarcam præcedit [1] Cachexia, ſive mala corporis valetudo: nam diſpoſitio eſt, ut ait Avicenna, hydropem antecedens.

Apparet in hac facies pallidior, corpus ſolito albidius, caro mollior ſentitur, adeſt frequenter cibi [2] faſtidium, reſpiratio [3] dificilior, vires debiles: pedes frequenter ſub veſperam [4] intumeſcunt: per alvum quandoque & cruda deſcendunt: urinæ etiam cruditatis notas habent.

Sequitur autem cachexia jocinoris imbecillitatem; quando propter ejus inteperiem frigidam, ſanguis probè & perfectè generari nequit: ſed frigidior, ſeroſior, ac pituitoſior in venis colligitur: qui per univerſum corpus diſtributus, quum ad ipſius alimentum ſit parum idoneus, illud mollius, laxius, ac pallidius reddit. Poſt longiores morbos [5] veluti dyſenterias, lienterias, diuturnas febres cachexiam ſequi contingit: ſic etiam non rarò poſt immodicas ſanguinis profuſiones ſupervenit.

Curatio per calfacientia & reſiccantia fieri debet, veluti in imbecillitate jocinoris quæ à cauſa frigida. Tantò autem calidiora hujus remedia eſſe debent quantò hepar magis refrigeratum eſt, & morbus diuturnior. [6] Diagalanga, diacalamenthum, vel etiam diatrionpiper. &, ſi alvus [7] durior, dialacca, utiles ad cachexiam compoſitiones ſunt. Purgantibus

ibus med. citra necessitatem non est utendum: & i quando opus fuerit, non nisi leviora danda: veluti 8 vinum infusionis fol. senæ, vel vinum infusionis rhabarb. A laxantibus abstinedum 9 ut manna, cassia, syr. de infusione rosarum.

Victus rationem cal. & siccam esse convenit à jurulentis quantum fieri potest, abstinendum: utendum 10 assis. Cibi condiendi sunt aromatis; ut pipere, zinzibere & similibus, vel herbis calidis, ijsque aridis potius quam virentibus 11, ut origano, hyssopo, thymo, rosmarino, saturei & similibus. Vinum 12 convenit album, tenue, sed generosum. Oportet in cibo & potu parcum esse: nam, ut Hipp. ait: Carnes habentibus humidas famem adhibere convenit. fames etenim corpora siccat. quibus verbis non solum cibi parcimoniam, sed & potus indicitur. quum enim corpus per famem resiccandum, potus maximè vitandus nam hic citius ac promptius corpus implet ac humectat quam cibus, ut testatur Hip. Facilius est, potu impleri quam cibis.

Valde conducunt labores 13 & exercitia, præsertim jejuno corpore facta. Conveniunt etiam balnea, præsertim, ut Paulus Ægineta ait, aluminosa, sulphurea, nitrosa. Conveniunt eadem de causa & alia resiccandi vim habentia: ut est balneum in aqua marina calida, quod à multis commendatur.

Cachexia magnitudine ab hyposarca differt. quia initium hyposarces est Cachexia.

*Seba-*

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Ἕξις inter alia & corporis illas designat partes, quæ exterius conspiciuntur: Habitum corporis interpretari solent. hujus vitiata constitutio, Cachexia dicitur: quæ ab Anasarca gradu magis, quam specie differt.

2. Quod crudi, serosique humores os ventriculi laxent.

3. Pulmone propter raram suam κατασκευήν. ichoribus quasi turgente.

4. Sero pondere suo, dum erectum habet æger, ad declivia vergente.

5. Qui humidum radicale, caloremque nativum, minuunt.

6. Hæc compos. ventriculi, & Intestinorum ex frig. intemperie, humidaque, debilitati specialiter dicata est, ut & Diatrionpipereon.

7. Si hypochondrium propter obstructiones, aut flatus tensum sit: nam rhabarb. tantum non habet, ut purgare ullo modo possit.

8. Vel agarico in vino infuso, aut Mexicana radice.

9. Nam fibræ viscerum etiam sine istis ab aquea pituita satis laxatæ sunt.

10. Quod siccius nutrimentum habeant.

11. Quod alimentali succo minus circumfluant.

12. Medicorum consilium secutus, Paulam à febri curatam monui, ut vinum biberet, ne in hydropem abiret. Hieronym. in epitaph. Paulæ ad Eustoch.

13. Nam serum redundans sensibiliter, atque insensibiliter, exhauriunt.

NI-

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LXIV, ad Caput LXIV.*

*Cachexia* à *Latinis* malus corporis habitus dictus: prœludium est Hydropis, & ab ijsdem causis oritur ut inquit *Paulus lib.* 3. *cap*.47.

## DE HYPOSARCA.

### CAP. XLV.

CAchexia si diu consistat in [1] hyposarcam ut plurimum transit. In hac facies, crura, pedes, brachia, ac universum corpus tumet, pallidum [2] ac veluti emortuum apparet: impressorum digitorum, vel alterius rei vestigia diutinè retinet. tumet verò & venter [3], sed multo quam in ascite, minus: & ab aquoso frigido humore per universum corpus diffuso originem habet. unde & Hyposarca dicitur. quod videlicet sub carne, vel juxta carnem humor iste contineatur. Appellatur verò & Leucophlegmatia ab ipso albido pituitoso humore. humor autem iste partim à jocinore malè affecto in habitum corporis differtur, partim ex ipsa carne veluti in aquam resoluta emanat, ut Paulus ait [4]. Afficitur autem jecur quandoque per se & primario: quandoque verò per consensum. primario & per se afficitur, quando intemperie frigida laborat: tunc enim ut Gal. 5. de loc. aff. [5] qui in corporis partes succus distribuitur in sanguinẽ transmutari non potest. & refrigerantur quoq; corporis venæ, idque maximè quum nullo in

jocinore tumore apparente laborans hydrope molestari videtur. Per consensum verò quando per lienis causam, vel ventriculi, vel intestinorum, mesaraicæ venæ hectica .i. confirmata intemperie frigida laborant; aut quando vel pulmonis, vel septi transversi, vel renum occasione venæ quæ in jocinoris gibba parte eodem afficiuntur modo. Quibus verbis Gal. ostendit, se omnis hydropis causam in jocinoris refrigerationem conjicere: quod quidem in hyposarca veritatem habere potest, sed non in ascite, aut tympanite: quorum causæ aliæ sunt, ut suo loco dicetur.

Refrigerari verò & per consensum jecur Gal. sentit, quando plurimus sanguis per hæmorrhoides excernitur, aut ob muliebre profluvium, aut quando retinentur menses, aut propter aliam, ingentem uteri dispositionem. Hipp. verò & hæmorrhoïdum suppressionem hydropis causam esse posse aph. 12.6 ostendit. Et revera quidem post hujuscemodi sanguinis vacuationes jecur & debilius redditur, & insigniter refrigeratur, succedente non rarò hyposarca, si modo lien nullo affectu laborat. Propter mensium verò retentionem, aut hæmorrhoidum suppressionem rarius hyposarca, frequentius ascites succedit. sanguis siquidem retentus ad lienes regurgitans hunc obstruit & tumorem in eo excitat.

Sanguinis missio authore Gal. interdum utilis est, in hyposarca quidem quæ propter hæmorrhoides aut menstruas suppressas purgationes acciderit, si adsint redundantis sanguinis & plenitudinis signa. & mox initio ipsius mali fiat. quando videlicet non nisi cachexiæ adhuc signa apparent. tunc enim san
guinem

guinem detrahere expedit. ſed tamen non multum una vice, tutius enim eſt ſanguinis miſſionem reiterare, & quod gravat paulatim detrahere. ſic enim nec vires valde dejiciuntur, nec jecur nimium refrigeratur. Quando verò ab aliqua occaſione alia hypoſarca ſucceſſerit, à ſanguinis miſſione erit abſtinendum; non minus quam in aſcite aut in tympanite. quos affectus nullus per ſanguinis miſſionem ſanare eſt auſus, ut Gal. ait. Med. purgantia in Hypoſarca ex quacunque occaſione facta fuerit, exhibenda ſunt: non tamen admodum [7] vehementia: & quæ ſimul jocinoris intemperiem frig. corrigere queant, ut el. diaphœn. elect. Indum, ſpecies diaturbith cum rhabarbaro; aucta nonnunquam tamen ipſius rhabarbari quantitate.

Quod ſi verò & in ventre [10] humores aquoſi collecti fuerint diacartham. utiliter dabitur, aut alijs admiſcebitur. à fortioribus hydragogis abſtinendum: ex elect. conveniunt diacurcuma & dialacca, quæ vim habent aperiendi ac reſiccandi: quibus & fæx vini arida admiſceri poterit: quæ in cachexia & hypoſarca valde utilis eſt. Commendatur & abſinthij uſus: præter enim quod calfacit & jecur & lienem roborat.

Victus rationem ſiccam & calidam eſſe oportet, veluti in cachexia: cibi & maximè potus parcimonia [11] valdè conducit: ſudores, labores, & exercitia multum conveniunt: & quæcunque excalfacere & reſiccare univerſum corpus queant.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Dicitur σαρκίτης ὑποσαρκίδιος, ὑποσάρκα, Ἀνασάρκα, vel potius, Ἀνὰ σάρκα videlicet ὕδρωψ. quo poſtremo vocabulo diſperſio aquoſi ſeri per carnis poros optimè videtur exprimi.

2. Tum propter ſuffuſum φλέγμα λευκὸν; tum propter emortuum quaſi calidum nativum. Hinc illud; Aquoſus albo corpore languor: Atque illud, Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur.

3. Quia collecti ſunt humores non, ut in aſcite intra peritonæum, ſed extra illud intra cutem.

4. Et ante illum autor libri cui titulus, Medicus, c. de humoribus.

5. Cap. 6.

6. Et meritò neque enim αἱματοποίησις lædi poteſt; niſi affecta illa parte, quæ ſanguificationis officina exiſtit: nec diminute coctus ſanguis, niſi ob refrigeratum calorem concoquentem. Itaque cauſa proxima omnis Hydropis frigida eſt; Antecedens in Aſcite etiam calida eſſe poteſt.

7. Μεγάλη διάθεσις, h. e. vehemens, & confirmata in utero præter naturam conſtitutio primò illius, mox & aliarum partium, præſertim Hepatis, cui ob magnitudinem venarum conſentit, calorem naturalem aut diſſipat, aut ſuffocat; ideòque refrigerat.

8. Intempeſtiva ſanguinis miſſio in alijs periculum; in Hydrope etiam interdum mortem inducit. Mittendus igitur ante alia præſidia, præſertim validiora, in quibus maxima obſtructio, inflammatio ſchirroſa cum validis viribus. Alex. Trallian.

9. Propter virium ex Alimenti vitio, debilitatem inſignem.

10. Species enim hydropis plerumque complicant; ut in puella cujus cute & muſculis diſſectis multum quidem, ſed ſectione penetrante in abdomen,

men,

men, integræ urnæ humoris aquosi profluebant.

11. Assyrius adolescens Apollinem curationem hydropis efflagitans, ab illo ad Appollonium missus est. is illi dixit; Apollo sanitatem tibi pollicetur, sed non dat: volentibus enim tantum illam tribuere solet. tu autem omnia facis quæ morbo penitus adversantur; delitijs enim abundas, perpotationibus indulges; & madentibus ac penè corruptis intestinis cibum veluti lutum ingeris. Hac monitione ipsum ad sanitatem reduxit. Apollonius apud Philostratum.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LXV, ad Caput LXV.*

In *Hiposarca*, quæ *Anasarca*, seu *Leucophlegmatia* appellatur, sicuti in alijs duabus *Ascite* scilicet, & *Tympanite*, jecur semper vitiatur, ex *Galeno lib. 5. de locis affectis cap. 7. & lib. 6. aphor. com. 8.*

## DE ASCITE.

### CAP. LXVI.

a ASscites hydropis illa species dicitur, in qua venter utris alicujus instar totus distenditur & aquoso humore cum subjectis ut plurimum partibus impletur, superiores verò extenuantur & contabescunt.

Colligitur autem aquosus iste humor in ventre intra peritonæum & intestina reliquaque viscera. Causa non est aliqua jocinoris intemperies, neque tumor aut exulceratio ejusdē; nisi forte durities ali-

qua [2] in gibba ejus parte, & tanta quidem ut impediat humores ad cavam venam deferri, ſicut regurgitantes per meſaraicas venas in ventris cavitatem incidant: veluti contigiſſe videtur Bello Armato, cujus Veſalius meminit; in cujus tamen ventrem non aquoſi humores, ſed ſanguis confluxerat, eò loci quò aquoſus humor in aſciticis colligi ſolet: ut Veſal. latius refert in lib. de Chyna. [3] atque idcirco ſolus jocinoris affectus ad aſcitis generationem non videtur ſufficere: niſi ſimul lien malè quoque affectus ac tumidus magnuſque redditus ſit. qui etiam ſolus [4] ad aſcitis generationem & aquæ intra peritonæum collectionem ſufficere poteſt: nam quum lien rarus, mollis, ac ſpongioſus ſit benè quidem & ſecundum naturam ſeſe habens melancholicos humores ad ſe pertrahit, hoc enim ejus eſſe officium Gal. teſtatur 6. de loc. aff. malè verò affectus etiam craſſiorem ſanguinem initiò attrahit: per quem mole auctus magnuſque factus, non ſolum ſanguinem, ſed & ſeroſos humores attrahit: ut ex Hipp. lib. de morbis muliebr. & ex alijs ejus locis cognoſci poteſt. Quum autem nulla ex liene ſit via [5] per quam humores iſti attracti ad renes pervenire, aut demitti queant; ut etiam Gal. teſtatur, nec in liene contineri poſſint, neceſſario in ventris cavitatem incidunt eumque utris modo diſtendunt, inferioreſque partes implentes tumidas eas reddunt: crura videlicet, & ſcrotum in viris.

Ad curationem autem aſcitis non parum refert qualis affectus [6] præceſſerit: nam qui poſt acutas febres, & præſertim poſt regium ſucceſſit morbum; aliter curari debet, quam longioribus

bus

bus febribus, aut diuturnis lienis morbis ſuperveniens.

Aſcites igitur qui febribus ſucceſſit diutinis, veluti tertianis impuris; initio ubi jam febris deſijt, una aut altera exhibitione diacarthami ſubinde curatur: ſi intermedio tempore & poſt purgationem dialacca, vel ſimile aliquod med. exhibeatur; obſervata bona victus ratione, ut in cachexiæ curatione, dictum. Profuit & multis hujuſcemodi conditum. ℞ Conſer. roſmarini, conſ. majoranæ ana ℥ I. ſpec.
7 dialaccæ ℥ ß. aut ejus loco diaturbith Meſ. vel utriuſque ana ʒ ij. tartari [8] ſive fæcis vini albi ℥ ß. quæ ſi uſta fuerit efficaciorem reddit compoſitionem: cum ſyr. de Bizant. hæc miſcentur. datur ſingulis diebus mane inſtar nucis, aut ʒ ij. ponderis. Aperit iſtud conditum obſtructiones lienis, ac jocinoris, & aquoſos humores paulatim reſiccat.

Poſt quartanas autem, & poſt diuturnos lienis affectus ſi aſcites ſequatur, non modo quæ dicta ſunt; ſed frequenter etiam validiora requiruntur † medicam. ſi itaque ſupradicta non ſuffecerint, poterit ad expurgationem aquoſi humoris dari ſucci iridis poſtquam reſederit ℥ ß. aut ʒ vj. cum æquali quantitate ſeri lactis, aut cum aqua cichorij, aut ſimili aliqua alia; ut videlicet calida ejus vis nonnihil reprimatur [9] ac contemperetur. Vtiles etiam ſunt
10 pill. de mezereo Meſuæ: quibus ſi addatur ſuccus gratiolæ reſiccatus, efficaciores reddentur.

Sunt verò & alia hydragoga ut ebuli, bryoniæ radix, interior virens ſambuci cortex, braſſica marina
11 ſoldanella dicta, laureola, thymelæa, chamælæa, ſuccus cucumeris ſilveſtris qui reſiccatus elaterium

 dicitur,

dicitur: omnia autem hæc valde vehementia ſunt, & cum moleſtia magna purgant; præſertim ſi non fuerint præparata, aut aromata, vel alia non fuerint addita, quæ ipſorum malignitatem reprimant, atque aliquo corrigant modo. Quibus autem hujuſcemodi validiora diſplicent, aut vires ad ſumenda non ſufficiunt, illis quod ſequitur exhiberi poteſt ℞ Sem. ſambuci aut ebuli in aceto macerati, tartari vini albi, ana ℥ I. ſem. aniſi ʒ I. aut ij. [13] f. pulvis ex quo ſingulis diebus. ʒ I. aut I ß. detur cum modico vino: paulatim pulvis iſte purgat, & aquoſos humores abſque moleſtia deducit.

Admovenda verò & topica quædam ventri ſunt: veluti fomenta ex milio aut malto [14], aut ex ſem. cymini, lauri baccis, florib. chamæmeli, anethi contuſis & in ſacculo conſutis; qui rore vini madefactus ventri eſt imponendus. Vel cataplaſ. admovendum ex farina hordei, aut potius malti, cum ſtercore capræ aut vaccæ, [15] vel utriuſque in lixivio cinerum quercus decoctis: addito ſem. cymini, ſulphure quibus odor non eſt moleſtus, & oleo rutaceo, laurino & liliorum. Poteſt & empl. Ariſtarchi [16] cujus deſcriptio apud Meſuem eſt, exhiberi. nec inutile eſt empl. de meliloto. Ventrem & hypochondria inungi etiam conducit ol. rutaceo, laurino, & liliorum; præſertim ſi nonnihil [17] colocynthidis cum aqua vitæ ipſis fuerit incoctum.

Victus ratio veluti in Cachexia convenit.

Quando verò Aſcites poſt febrem aliquam ardentem, aut poſt regium ſequitur morbum, remanente adhuc in ſanguine ac venis intemperie cal. & febrili quodam calore, ut frequentiſſimè accidit, quem-

quemadmodum Gal. teſtatur fieri 6. de loc.aff.tunc nullum ex ſupradictis convenit, neque etiam nullum [18] forte hydragogum eſt exhibendum, utendũ eſt ijs quæ leniter & abſque moleſtia purgant, tum & nonnihil refrigerantibus, ſed tamen aperientibus. Purgatio dari poteſt ex rhabarb. ʒ 1. ß, vel ʒ ij. cum ſyr. acetoſo & aqua aut decocto cichorij: aut ex ſpeciebus diacarthami addito rhabarbaro. qualis purgatio ſubinde reiteranda [19] eſt. Intermedijs temporibus ſyr. de Bizant. cum aceto, aut acetoſus compoſitus addito ſyr. de cichorio cum rhab. utiles ſunt; præſertim ſi troch. ex rhabarb. ſimul dentur, aut trochiſci ex berberis. qui in hoc caſu multum conveniunt.

Empl. verò & ventri admoveri poteſt ex farina hordei [20], bolo vulgari cum ſucco abſinthij, cichorij, aut oxalidis ſimul permixtis : addito ſantal. rubrorum, & roſar. rubr. pulvere : & ol. roſac, & exiguo aceti.

Cibus ſit panis cum furfuribus coctus, probè fermentatus : carnes ovium ac volucrium; quæ condiendæ ſunt ſucco, oleis, aut fructu berberis, vel ſucco oxalidis, vel ſucco limonum, vel pomorum anarantiorum acidorum, aut aliorum ſimilium refrigerantium & aperientium [21]. Vinum ſit album, tenue, aqua cichorij vel ſimili dilutum : quo tamen & parcè [22] utendum. ſi ſitis urgeat os aceto & aqua permixtis abluendum : aut aceto cum modico vini.

Eſt verò & alia aſcitis curandæ ratio per ſectionem, videlicet quam perforationem & Græci Paracenteſin nominant [23]. quæ quomodo ſit facienda apud Paulum lib. 6. c. 50. habetur. Et ſiquidem

hæc tempestivè fiat priusquam interna viscera corrupta fuerint, prodesse potest: sed serius adhibita nullam utilitatem confert.

Sic & subinde ex umbilico, propter tumoris magnitudinem & aquæ copiam foras prominente, aqua extrahitur laneo filo ipsi transmisso. Verum nec eo modo educto aquoso humore sanitas sequitur [24] si corpus multum sit extenuatum, & dolor aliquis molestus, aut viscera interiora corrupta. nam ut Hipp. prorhet. 2. Qui ab hydrope superstes esse volet, bonis visceribus præditum esse oportet, simulque facile concoquat & bene spiret: sitque sine dolore & totum corpus æqualiter tepidum habeat, & non circa extremas partes colliquatum.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Ἀσκὸς non utrem tantum, sed & corpus hominis vel mortui, vel vivi significat; præsertim ipsum Abdomen, seu ventrem, quem Celsus passim Uterum (nisi forte Utrem scripserit) appellare solet. unde vox Ascites deducta Aquam non Intercutem, sed inter uentrem collectam, designat.

2. Vide Gal. 2. de facul. natural. c. 8. ubi Erasistratum Sirrhum jecoris unicam Hydropis causam statuentem reprehendit.

3. Vidi quorum jocinora erant sphacelo corrupta, alios quorum ulcerata, qui tamen nunquam hydropici: nullius tamen corpus ascitici apertum cujus lien non tumidus & magnus R. D.

4. Gal. sæpè liene admodum schirrhoso, hydropem non subsecutam, vidisse se testatur. 4. Præsag, expulsib. c. 9.

5. Emulgentes enim ex Cava, Splenicæ ex Portæ Vena originem ducunt.

6. Raro

6. Raro enim non præcedente alio affectu su-
rvenit.

7. Cujus loco utimur diacurcuma, si non haberi
neat. extat autem compos. apud Gal. κτ τόπ. 1. Mi-
bilis Pharnacis Rhizotomi ex Andromacho de-
ripta eadem ferè ingredientia, quæ & Diacurcu-
a, habens.

8. Detergendo laxat alvum, obstructiones tol-
t, atque Intestina siccat.

† Quæ initio, & quum vires adhuc constant cum
tilitate dantur: Elleborum frustra quum jam cutis
gra poscentes videas: Venienti occurrite morbo.
uam quidem monitionem, sed non & Ellebori
robamus usum.

9. Quia valde calida, nocet jecori & visceribus
terioribus.

10. Succus concretus qui ex India nuper afferri
œpit, quem Guttagemu appellant, & per excellen-
iam Hydragogus dici non immeritò posset, à g. x.
d xv. datus aquas meracas citra Violentiam, ducit.
xhibetur autem vel per se, addito cordiali aliquo,
t cinnamomo; aut cum alijs elect. vel pilulis.

11. Decoquitur in jure carnis, vel succi ejus ex-
ibetur. perturbat tamen corpus, quod etiam Dios-
orid. scripsit.

12. Elaterium apud nos confectum plerunque
nefficax. Itaque cavendum ne si id minori dosi ex-
ibeatur, nihil; sin majori, & exoticum rectè factum
ndatur medicamentis, nimis agat.

13. Potest etiam simul addi aliquid cinamomi;
t sacchari, quibus id placet.

14. Quod etiam Aët. commendat. nominat autem
inem.

15. Ad imitationem Heracliti, qui stercore seu
mo vaccino oblitum abdomen solis radijs objecit,
t imbre serenitatem fecit. h. e. curatus est.

16. Opobalsami loco sumimus ol. laurinum, aut
yrac. liquidam.

17. Vel

17. Vel aliquid Vng. de arthanita misceatur aquas enim venttem sufflantes, distendentesque proturbat.

18. Vires enim ex præcedentibus morbis debilitatæ, valida catdartica non admittunt.

19. Ut numerus suppleat defectum gradus, & quantitatis.

20. Non quod prosit, sed ut ea quæ prosunt recipiat, ut substantiam habeant.

21. Vitanda olera & herbæ, ex his enim Heraclitus hydropem sibi contraxit.

22. Metrodorus Ascite laborans bibebat quidem, sed mox evomebat. Cels. id non omnibus convenire scribit. Itaque laudandus magis eques Rom. qui in hoc malo non bibere assuevit.

23. Non sanat quidem emissus humor, sed Medicinæ locum facit, quam intus inclusus impedit. Cels.

24. Quia eruptio umbilici, nisi ad summum ubi malum pervenerit, non supervenit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotaio LXVI, ad Caput LXVI.*

An vero detur Hydrops jecore salvo juniorum peritissimi inter se debacchantur, & licet exstent pro parte affirmativa memorabiles historiæ, *Arethæi lib. 1. Chronion Cap. 6. Cordei comm. 5. ad lib. 1. Hippocratis de morbis muliebrib. Sententia 3. Saxoniæ lib. 3. c. 32.*

Tamen hoc rarum dicemus, vel de Hydrope improprie, vel particulari esse intelligendum, ut scite notavit *Gregorius Horstius lib. 7. de med. Hist. mirab. plura lege apud Mercellum Donatum cap. de Hydrope.*

[*Sanguinis missio auctore Galeno interdum utilis est in Hyposarca.*] Hanc docet celebrandam, *lib. 4. acut. com.* 113, in carnosis, dummodo vires adfuerint, nam extracto sanguine, transpirat innatus ignis,

DE

# DE TIMPANITE.

## CAP. LXVII.

TErtia hydropis ſpecies Tympanites eſt, in qua
venter ſolus vehementer diſtenditur & pulſa-
us tympani modo reſonat, & quidem à flatu pluri-
no ac ſuperfluo in ventris cavitatem, ut Aët.[1] col-
ecto. Hydropem ſiccum Hippocr. nominat, quod
eluti in hydrope venter ſit diſtentus, interim nullus
n eo humor contineatur.

Præcedunt hunc frequenter tormina & circa um-
bilicum cruciatus, & lumborum dolor. qui neque à
nedicamento, neque aliter ſolvitur: ut 4, aph. 1 .ubi
norbũ difficilem eſſe Hipp. oſtendit. cui & accedit
Aët. qui eum aſcite magis periculoſum,[2] & minus
emedijs obedire affirmat. Paulus à purgantib. cor-
pus colliquantibus, & urinam moventibus abſtinen-
dum ſuadet, & ſolis ijs quæ extenuare & flatus diſ-
cutere poſſint utendum: & cucurbitas leves toti
ventri adhibendas. Et rectè quidem Paulus. neque
enim enemata aut alia med. quicquam proficiunt,
nulla ſuccedente per alvum aut veſicam vacuatione.

Poterunt itaque ex Pauli & Aëtij ſententia fo-
menta ex ſeminibus flatus diſcutientibus adhiberi,
veluti ex ſemine cumini, ſeſelios, dauci & ſimilibus,
loribus chamæmeli, & anethi additis. Deinde & cu-
curbitulæ[3] abſque ſcarificatione ventri admoveri.
Morbus autem acutus eſt, paucorum dierum[4], &
naximè lethalis.

Aëtius verò & omnem hydropem[5] periculoſum

[6] eſſe

[6] esse ait. [7] Recentiores sive hyposarcam sive a[...]tem, qui 6. menses excessit, incurabilem cense[...] neque enim diu vel in habitu corporis, vel in ve[n]tris cavitate aquosi humores contineri possu[nt] quin vicinas partes vitient, atque corrumpan[t] quibus corruptis nullam salutis spem superest[...] ex Hippocrat. secundo prorhet. verbis satis man[i]festum. Post sanguinis verò vomitionem & a[...]modum periculosum esse, hydropem, eodem li[...] Hippocr. scribit: Cui, inquit multum sanguinis su[r]sum ac deorsum eruperit & febris insuper accesser[it] cum multa aqua repletum iri timorem; atque h[ic] hydrops brevissimi est temporis, ex quo paucissim[i] evadunt. Sic & omnis hydrops ex acuto morbo ma[...]lus est. non enim sedat febrem, sed dolorem infer[t] & mortem, ut Hipp, 2. prognost. statim initiò. No[n] minus verò periculosus ac lethalis est, qui cum re[...]gio accedit morbo. Solet enim in tali hydrope non solum lien male esse affectus, sed & jocinoris aliqua pars in lapideam duritiem conversa. Hydrope au[...]tem laborantibus [9] tussis etiam superveniens, malũ, ut Hippocr. aph. 35. lib. 6. quod quidem maximè veritatem habet, quando non sicca tussis est. Quod si verò ea quæ expuuntur etiam corrupta, aut purulenta fiunt, pessimum, ac omnino lethale. ostendit enim sputum purulentum pulmonis substantiam ab aquoso humore vitiatam ac corruptam [10]. Ait quoque Hippocr, hydrope laborantibus ulcera [11] in corpore facta difficulter sanari. 6. aph. 8. nam copia affluẽtium humorum ea resiccari non patitur: deinde verò quum & illi acres mordacesque sint, ulcera reddunt deteriora. Superveniens autem fortis ventris

fluxus

luxus ijs qui leucophlegmatia ſive hypoſarca deti-
nentur, à morbo liberat. 7. aph. 29. ſiquidem initio
[1] hydropis ipſius accidat & priuſquam aliquod viſ-
cus vitiatum ſit. ſuperabundantia enim humorum
per ventrem expurgata, ab hydrope ægrotos ſanos
ac liberos reddit.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia*

1. Qui melius quam Gal. cauſam cognovit, qui
ad minorem frigiditatem refert parum ſui memor;
quum de med. κατὰ τόπ. etiam ad caliditatem refe-
rat. Vide comm. in 11. aph. l. 4.

2. Quod cum in ipſa praxi appareat, huic magis
quam alijs ſcriptoribus contrarium adſerentibus
credendum. Vide Aretæum l. 4. c. 1.

3. Neque enim humor, ſed potiſſimum flatus eſt,
qui morbum hunc facit.

4. Exempla vide in Obſervat. medicinalibus R.
Dodonæi cap. 38.

5. Hinc illud de Crantore qui hydrope mortuus
eſt: Ἐπέκλυσε καὶ σὲ κράντωρ ἡ νόσων κακίστη.

6. Quod non niſi Principalibus viſceribus læſis,
fieri conſueverit. Ex Leucophlegmatia quidem ne-
minem niſi propter ſuum, vel Medici errorem mori
Bertrut. adſerit; ſed id ſic generaliter verum non
eſſe, experientia teſtatur.

7. Prava harum ſingularum conſtitutio; pejor au-
tem multo ipſarum permixtio. Aret.

8. Mulier quædam curata fuit; ſed poſt in ſan-
guinis vomitum recidens perijt.

9. Quando ratione hydropis auctæ, & non ex alia
aliqua cauſa ſupervenit. talis enim tuſſis poteſt eſſe
non lethalis.

10. Quod in diſſectis corporibus quandoque vi-
dum.

11. Fiunt

11. Fiunt ut plurimum in tibijs.
12. Nam postea à debilitate virium supervenit.

## NICOL. FONTANI.

### Annotatio LXVII, ad Caput LXVII.

Certant Medici, num Hydrops Tympanites, sit Ascite periculosior? Dic, Ascitem, periculosiorem Tympanitide, quia fit à majori frigiditate, ut *Galenus* voluit 4. *Aphor.* 11. Flatus causam non nihil habere adjunctum caloris, quare ex majori causâ ortum ducit, nam flatus elevatur à diminuto calore, aqua à paucissimo: quare tympanites, minus periculosus hydrops est, omnium levissimus *Anasarca*, & cæterorum Hydropum respectu minus periculi habet *Cachexia*.

## DE RENUM AFFECTIBUS, ET DE CALCULO.

### CAP. LXVIII.

*Lect.* 124. *Iunij* 9.

IN renum cavitate ex crassis, lentis ac viscidis humoribus calculi generantur [1], vi & potentia ipsius caloris ipsorum renum crassos ac viscidos humores in calculosam substantiam vertentis. Sunt autem calculi admodum minuti ac veluti arenæ quandoque: aliquando majores [3] & subinde tam grandes ut per ureteres ægrè & cũ dolore ac molestia [4] descendant: quandoque verò & adeò magni, ut renum cavitatem totam impleant [5]: quod tamen non nisi

rarissimè

rariſſimè accidit. Arenulæ autem ac minores calculi citra moleſtiam cum urina frequenter deſcendunt: niſi lentis, viſcidis, craſſiſque humoribus eos implicari contigerit, quod ubi accidit, plures cohærentes magni alicujus calculi notam referunt, ac cum non minori dolore ac gravitate deſcendunt, atque tunc non raro vomitiones accedunt, atque alvi obſtructio tanta, ut non ſolum excrementa, ſed ne flatus quidem liberum habeant exitum; veluti in dolore colico. Dolor verò & circa lumbos ac hypochondria hæret, qui quandoque & adeò vehemens eſt ut eum febris comitetur. quod ubi fit, de renum inflammatione periculum imminet. Quando autem calculus alicujus magnitudinis in motu eſt, & per ureteres deſcendit, ſanguis non rarò cum urina miſcetur: quæ frequenter non prius ſanguinea eſſe deſinit, quam calculus ex uretere in veſicam inciderit.

## *Curatio.*

Quando igitur calculus moleſtus fuerit, dolores & vomitiones adſunt, & non rarò urinæ tenues: dolori occurrendum erit & viæ latiores ac patentiores faciendæ, quò calculus, & facilius, & cum minori moleſtia deſcendere queat: ad quod plurimum conducit enema, ex decocto malvæ, biſmalvæ, parietariæ, violariæ, ſi calor adſit; floribus chamæmeli, meleloti, & nonnihil furfurum tritici. in hujuſcemodi decocti ℔ 1. addendæ erunt diacathol. ʒ vj. aut ℥ 1. vel tantundem caſſiæ medullæ, ol amygd. dulc. ℥ ij. vel ʒ aut ol. amygd. & violac. præſente

calore: ana ℥ 1. ß. - - - - & sacchari rubri ℥ 1. ovi unum aut duo lutea, & salis exiguũ. Et tale enema quo citius injicitur, hoc etiam plus confert: reiterare sæpius verò licet dolore perseverante. Fomenta autem sæpius adhibenda sunt parti dolenti: ex ijsdem herbis & floribus addito sem. lini & fœnigræci in aqua decoctis.

Post fotum inungendus erit locus ol. amygd. dulc. vel ol. sesamino, vel ol. sem. lini: addito ol. scorpionum, quando dolor nonnihil fuerit remissior factus, vel etiam ol. chamæmelino, aut anethino.

Propinare quædam convenit quæ vias laxiores reddant & mitigent: quale decoctum quod sequitur. ℞ Rad. brusci, asparagi ℥ 1. glycirrhizæ ʒ vj. uvarum pass. mundatur ℥ 1. fol. malvæ, bismalvæ M 1. fructuum alkekengi ℥ 1. f. decoctio in aqua q. s. ad ℔ 1. ß. detur mane & vesperi haustus. atque huic decocto cicerum rubrorum addere expedit & sem. anisi ʒ 1. aut ʒ 1. ß. quando dolores remissiores fuerint facti: tunc enim non modo vias laxiores reddet, sed & ad calculi expulsionẽ, & facilem descensum non parum conferet. Datur verò & quandoque ol. amygdalar. dulc. recenter expressi plus minus ℥ 1. cum jure carnis aut caponis, aut cum modico vini, si febris non obstet; quod dolores valde lenit & lubricas vias reddit. Quod si laborans enema sumere recuset, tunc in decocto superiore, aut in liquore alio, veluti in jusculo carnis aut caponis, aut in aqua betonicæ, vel simili infundi potest rhabarbari ʒ 1. ß. vel ij. ac deinde colato addi mannæ electæ ℥ 1. ß. vel ij. vel si calor adsit syr. ex infus. rosarum ℥ ij. vel iij.

Loco

Loco ſupradictorum med. alvum lenientium dari poteſt medullæ caſiæ fiſtulæ recenter extractæ ℥ 1. cum rhabarb. plus minus ʒ 1. & ſacchari q. ſ. in forma boli: nam alvum laxam & apertam eſſe plurimum refert. inteſtina fæcibus gravata præter quod dolorem intendunt, etiam calculi deſcenſum impediunt, dum vias comprimendo anguſtiores reddunt.

Quod ſi verò dolor non fiat ſedatior, aut calculus non deſcendat, in balneo [10] laborans collocandus erit, ex decocto malvæ, biſmalvæ, parietariæ, floribus chamæmeli, meliloti; in quo non validè calido ſed tepido tantummodo ſedendum eſt, & aliquandiu: non tamen nimis diu immorandum. ſubinde autem repetendum eſt balneum, ſed tamen non nimis frequenter: nam diuturnior in balneo mora & frequentior ingreſſus ſubinde vires dejiciunt.

Si autem ſimul cum calculi dolore & febris acceſſerit, ſanguis erit detrahendus ſi vires & ætas conſenſerint: & quidem ex cubiti vena partis dolentis: & ij quæ adhibentur, ſive enemate ſive potionibus, refrigerantia quædam adhibeantur; ut prius dictum eſt.

Sedatis autem utcunque doloribus & vijs laxioribus redditis ſi calculus non ſponte excidat, exhibenda erunt quæ illum expellant: cujuſmodi ſunt omnia urinas moventia. Prodeſt lachryma abietis: vulgo [11] terebinthina Veneta ʒ iij. aut 4. pondere data: quæ calcolos in ureteris hærentes expellit, & ſimul alvum movet. utile autem hanc aqua cichorij vel lactucæ quandoque lavare, videlicet quando calor

adest. Conducit verò & cicerum rubrorum decoctum. Confert verò ad calculi expulsionem non parum betonica, & veronica, tum & virga aurea quæ non modo calculos expellit, sed & per lentos ac viscidos humores cohærentes, dissolvit. potest autem una harum, aut plures simul in vino decoqui, si febris non obstet, aut in jusculo carniū, aut in ptisanæ decocto, si præsens febris sit, aut alteri alicui decocto addi: quovis enim modo sumptæ prosunt. His autem potentiores sunt rad. pimpinellæ saxifragæ: quæ & supradictis si opus fuerit addi poterunt, vel seorsum in jusculo aliquo decoqui. Ad calculum verò & arenularum expulsionem commendatur & elect. lithontribon: quod cum saccharo in tabellari forma formatum exhiberi potest. Si autem calor metuatur, admiscebitur speciebus hujus, vel æqualis portio, aut paulo minor specierum diatragacanthi frig. aut trochiscorum de alkekengi & cum aqua betonicæ, aut bardanæ, aut cum decocto glycirrhizæ & saccharo. q. s. formabuntur tabellæ sive rotulæ.

Sunt qui specierum lithontripticon ℈ij. cum sanguinis hirci ℈ I. & aqua milij solis aut simili, aut cum decocto cicerum exhibent. à multo autē ac frequenti sanguinis hirci [12], utcunq; etiam præparatus sit, usu abstinere præstat. exigua enim quantitas nec frangere, nec expellere potest: magna verò etiam nocet. Extant verò & aliæ multæ [13] apud varios authores ad calculum frangendum, vel expellendum commendatæ compositiones ex multis ac fortibus diureticis permixtæ: item & aquarum destillatarum ex diureticis in vino maceratis descriptiones.

tiones. Hujuſcemodi autem fortibus diureticis non temerè eſt utendum : nam potentiora diuretica quod tenue eſt in ſanguine ſegregant, ac per urinas expellunt, craſſius verò indurant, ut Gal. 5. ſimp. facult. teſtatum reliquit: quam ob cauſam à potenter diureticis abſtinendum; nec illis utendum vel dolore ex calculo præſente, vel etiam in ſanitate præſervationis cauſa : niſi magna aliqua neceſſitas urgeat. Sunt verò & ex familiaribus nonnulla quæ calculi dolorem lenire, & eundem ſimul expellere (ſi non magnus eſt) queunt: quale eſt florum chamæmeli ex vino decoctum; quod calidum cum exiguo pulveris nucis moſchatæ propinatum dolorem ſæpe lenit, ac calculos ac arenulas expellit. Sic & quando magnitudo doloris urget, & enemata ac fotus nihil proſunt, vires autem dejectæ ac debiles ſint, nec ad balneum ferendum ſatis validæ Philonis antidoti ℈ ij. aut ʒ I. [14] cum exiguo vini, aut alterius liquoris exhibita multum conducit : dolores enim mox ſedat & arenulas expellat, ſed nec temerè hoc med. utendum.

Victus rationem dolore vigente tenuem eſſe oportet & humectantem. juſculum aliquod, veluti caponis ſatis eſſe poteſt. Potus ſit ptiſanæ, glycirhizæ & uvarum paſſarum decoctum præſente febre: illa verò abſente, vinum album, tenue, & dilutum. Quum verò calculus in motu, quod urinæ cruentæ oſtendunt, liberalior etiam potus concedendus & imperandus eſt, ut plurima videlicet reddatur urina, quæ calculi & arenularum eſt vehiculum: citra enim vehiculum deſcendere ac excerni nequeunt.

Liberatus à calculi doloribus ſi deinceps ſanus eſſe voluerit; ab omnibus abſtinere debet lentum & craſſum ſuccum ingenerantibus: & à fructibus frig. & craſſos humores gignentibus: à multo quoque ſale & ſalſamentis: item & [15] à ſaccharo quibus hujus uſus non aſſuetus. abſtinendum verò & ſanitatis tempore à multis ac fortibus diureticis, ne dum calculos ſperatur frangendos, alij ingenerentur [16], ut ſupradictum eſt. Si juvat aliquando uti aliquo, quo renes ab arenulis expurgari queant, cicerum decoctum ſufficere poterit, vel alia leviora non impenſè calida, ut aſparagus, rad. fœniculi, petroſelini, vel etiam paſtinacæ cum cibis cocta: ſic & holera ex malva, urtica, chærefolio, & ſimilibus. Vinum convenit ad renes expurgandos album: illis verò repurgatis, rubrum præferendum [17]: nam dum vias reddit anguſtiores humores craſſi minus ad renes perferri poſſunt; quos eo album deducit.

Ad prognoſticon facit 6. aph. 6. Renum & veſicæ vitia in ſenibus difficulter ſanantur: qui tamen non tam de nephritico ſeu calculi dolore, quam de alijs renum ac veſicæ affectibus venit intelligendus. Huc verò & adduci poteſt 4. aph. 75. & omnes ſubſequentes ad finem uſque.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Affectus hic Cœl. Aureliano Lichiaſis, & Calculatio dicitur.
2. Scribon. vocat Arenam ſabuloſam.
3. Horum mictio λιθουρία dicitur.
4. Præſertim ſi non læves, ſed aſperi atque inæquales fuerint.

5. Atque

5. Atque adeò etiam excedant. quemadmodum in Virgine quadam, cujus historiam, cum forma Calculi, ad me misit Chirurgus Dordracenus M. Boumannus.

6. In colico dolôre non hæret fixus, sed fluctuat.

7. Tum quod fœcibus ex Intestinis subductis urinarij meatus minus premantur, atque angustentur. tum quod instar fomenti interius admoti eosdem meatus laxent.

8. Diacath. satis magnam cassiæ quantitatem habet. Cassia autem humectat; ideoque & vias urinarias laxat: calorem, qui à Nephritide vix abest contemperat: leniter alvum movet.

9. Prius enim si adhiberentur tam strenua, ne phlegmonem Renum aut inducant, aut majorem faciant, metuendum esset.

10. Quum Epicurus calculo laborans quatuordecim diebus Urinarum retentione fatigatus esset, in pelvim aquis calentibus plenam descendit, petijtque merum ad sorbendum sibi dari, atque monens amicos ut suorum decretorum memores essent, inter verba defecit. Diogen. Laert. Rectè sanè per balneum laxatis vijs, vino veluti vecte calculum emoliri conatus est. Defecit autem vel propter extremam virium debilitatem, vel quod nimis diu in calida moratus sit. quod cavendum monet author l. de Renum affectibus.

11. Pro hac tamen Cypria vera, quando haberi potest, utendum.

12. Nam exemplum quod adamantem frangat puto nos decipit. Quædam usu hujus aphthis contractis mortua est.

13. Sunt nonnullæ acidæ venæ fontium, quæ hanc habent virtutem ut calculos, qui nascuntur in corporibus hominum, potionibus discutiant. Fieri autem naturaliter quod acer & acidus succus subest in ea terra, per quam egredientes venæ intingunt

acritudinem. & ita quum in corpus inierunt dissipant quæ ex aquarum subsidentia, ac in corporib. & concrescentia offenderunt. Vitruv. l. 8 c. 3. Probat autem hoc fieri posse exemplo testarum ovorum plumbi, margaritarum, silicum: quæ ut lenta ac saxea sint, aceto dissolvuntur. Horum acidorum fontium loco vitriolata recentiorum nonnulli exhibent, cum certa pernicie calculo laborantium, ni maxima cum cautione id fiat. vesicam enim aliasque partes per quas urina labitur, adurere; at calculum jam factum nihilominus comminuere non potest.

14. Quædam jamjam quasi moritura hujus usu plus arenularum quam urinæ excrevit, & sana evasit.

15. Sic multi post febres & in quibus frequenter usi saccharo, arenulis post laborant: concrescit enim calore, veluti saccharum candi.

16. Notavit hoc benè Alexand. Trall. l. 9. in eoque sæpissimè turpes errores committuntur.

17. Quod Erasmus alicubi ex sua experientia testatur. valde enim calculosus erat.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LXVIII, ad Caput LXVIII.*

[*In Renum cavitate ex crassis, lentis, ac viscidis humoribus generantur, vi & potentiâ ipsius caloris ipsorum renum crassos, ac viscidos humores in calculosam substantiam vertentis.*] Rectè; nam habet calculosus morbus pro causa efficiente, præternaturalem calorem, pro materiali, humorem lentum, viscosum, crassum, & lutosum

Una causa non agit sine alia: nam, si lutum in furnum frigidum injicies, lutum remanebit, si vero in calidum, exiccabitur, & in testam abibit. Lege *Galenum lib. de Renum dign. cap.* 4.

[*Sanguis est detrahendus.*] Prius ex brachio, deinde ex talo, ut monuit *Galenus*, *lib. de curandi ratione per sang. miss. cap.* 18. propter viciniam, consensum, & communitatem venarum crurum cum renibus.

Sic cauteria juvant cruribus affixa, quando renes sordidâ materiâ sunt inferti; quia per ea renes transpirant, illamque expurgant.

Utere etiam post purgationem *Therebinthina*, sive eam cum pulpa cassiæ in bolos redigas, sive cum vitello ovi, saccharo & oleo amygdalino involvas, vel ejus aquam afferas stillatitiam, vel pulveres (quod magis probo) cum saccharo permisceas.

Horũ enim ope sabulosa recrementa renum cavo tenaciter impacta absterguntur, & ita mucosus humor per alvum vacuatur, ut monstrat *Galenus lib.* 5. *de sanit. tuenda. cap.* 9.

# DE STRANGURIA, ET DYSURIA.

## CAP. LXIX.

*Lect.* 126. *Iulij* 42.

STranguria & Dysuria, symptomata sunt affectuum circa vesicam & ad urinæ excretionem pertinentium. Stranguria seu urinæ stillicidium dicitur: quando paulatim & guttatim destillat urina, & assiduam ad mingendum irritationem facit. Dysuria vero appellatur: quando cum difficultate & conatu aliquo urina redditur, sic ut & vis quædam adhibeatur.

Stranguria autẽ fit, aut propter urinæ ipsius acrimoniam [2], aut propter retentricis vesicæ imbecillitatem [3] ab intemperie frig. factam. Stranguria

propter urinæ acrimoniam, ardor urinæ, vulgò nuncupatur: quæ verò propter facultatis imbecillitatem ipsius vesicæ ac refrigerationem accidit, urinæ nominatur incontinentia, ac præter voluntatem exitus. Acris autem redditur urina vel propter renum 4 vitium, vel alterius partis quæ cum urinis humorum suorum vitia seu cacochymiam suam, aut pus (ut quando aliquis abscessus eruperit,) 5 transmittunt, ut ait Gal. 6. de loc. aff. 6 Sic & acris redditur urina quando vesica propter vicinæ partis inflammationem per consensum supra modum incalescit: veluti propter inflammationem recti intestini in viris, 7 uteri in mulieribus: quod & Hipp. testatur 5. aph. 58. Recto intestino, inquit, aut utero inflammationem patiente, urinæ accedit stillicidium 8.

Vrinæ autẽ difficultatem sive dysuriam afferunt inflammatio, abscessus, ulcera, intemperies, præsertim frig. vesicæ 9, spiritus flatuosus, potentia expultrix imbecillis, vel in vesica calculus.

Posteaquam igitur propter acrimoniam Stranguria ac ardor urina contigerit, exhibenda erunt omnia humectantia, & nonnihil refrigerantia: ut est decoctum ptisanæ cum jujubis, aut sebesten, addita glycirrhiza. sic & dari potest decoctum 10 rad. althææ, aut fol. ejus cum jujubis, sebesten, fructibus alkekengi, sem. cydoneorum & sem. 4. frig. majoribus, addita glycyrhiza & uvis passis. in quo decocto dissolvi poterit syr. de violis aut de jujubis, & si alvus durior est, syr. ex infusione rosarum. in talis decocti portione quadam infundi poterit rhabarbarum, ac deinde colato addi manna: quando videlicet opus aut expediens fuerit alvum lubricam reddere.

dere. non admodum tamen convenit alvum multum expurgare [11], neque enim utile est humores à vijs urinæ divertere. Possunt vero & syr. de violis, de jujubis, aut de papavere cum aquis destillatis propinari, ut cum aqua lactucæ, intybi, nenupharis, portulacæ, plantaginis, & similium. Vtiles quoque pulveres ex rad. althææ, fructibus alkekengi, glycyrhiza, sem. 4. communibus majoribus & sem papaveris. Sic & conferunt troch. de [12] alkekengi tam illi qui à Mesue, quam alij qui à Paulo & Aëtio describuntur. Confert & conditum ex conserva flor. malvæ, & conserva flor. nenupharis addito sem. malvæ, pulpa jujubarum aut sebesten, speciebus diatragacanthi frig. cum syr. de violis, aut de jujubis, aut utroque permixto. Per virgam, si dolor vehementius urgeat, infundi poterit [13] muccago sem. cydon. psyllij, aut malvæ cum decòcto ptisanæ facta. Item & hydromeli dilutum, atque post ejus egressũ [14] lac asinæ, aut mulieris. Poterit & perinæum & pubes ungi ol. nenupharino ac violaceo. Cibus sit ptisana, vel cum ea [15] decocta. Coqui etiam cum cibis lactucas, intybum, & malvas conducit. Melones, pepones, cucurbitæ, poma, hujusmodi fructus frig. ac humidi permittuntur. Potus sit ptisanæ decoctum, vel tenuissima cervisia [16] aut etiam vinum album dilutum. Larga autem & copiosa potatio etiam albi ac tenuis vini [17] conducit; quando videlicet tantum bibitur ut priusquam concoqui queat ad vesicam, descendat & excernatur: quod & Hipp. lib. de affect. satis probare videtur. Conducit, inquit, (in stillicidio videlicet urinæ) intrinsecus corpus humectare; Alvum quoque per cibos à quibus fluida

fiat;

fiat; veſicam verò per potus à quibus urinæ plurimum fundatur.

Stranguria autem quæ uteri aut recti inteſtini inflammationem comitatur non aliam requirit curationem quam ipſæ poſtulant inflammationes quibus ſanatis ſtranguria ceſſat.

Stillicidium verò urinæ quod citra dolorem contingit & urinæ quoddam eſt involuntarium profluvium, quale ſenioribus accidit partim ex debilitate, partim ex refrigeratione reſolutis cervicis veſicæ muſculis contrariam omnino curationem requirit: calida ac ſicca omnia conveniunt. Convenit & vini [18] potio: quam & Hipp.aph.48. lib.7. ſtranguriam ſolvere ait: à cauſa nempe ut Gal. interpretatur frig. ortam. quamquam & aliam ſi largius bibatur curare queat ut jam ante dictum eſt. Pubem & perinæum [19] in hoc affectu ungi utile eſt ol.vulpino, coſtino, laurino, vel etiam de euphorbio, & ſi quæ ſunt alia quæ veſicam calfacere & reſolutis partibus conducere queant. Differt autem affectus iſte non parum à Diabete: nam in hoc ſtillicidio urina paulatim, guttatim nec multa ſimul excernitur, neque ulla ſitis laborantem premit. In diabete autem multa, copioſa & frequenter urina redditur: aliquando & in ſomno ignorantibus profluit; & ſitis magnaque bibendi cupiditas aſſiduè aſſunt.

*Lect.127. Iulij 13.*

Dyſuria ſive difficultas urinæ curari debet pro efficientium cauſarum conditione. Si inflammatio veſicæ [20] hujus cauſa fuerit, vena erit ſecanda & quidem interior dextri cubiti. Inflammationem autem oſtendit circa pubem ac perinæum ſimul

cum

cum febri continua dolor vehemens, & urinæ difficultas. De hujuscemodi dysuria scribit Hipp 7.aph. 48. ubi ait: Vrinæ stillicidium, & difficultatem venæ sectio solvit. nec enim ad ullum vesicæ affectum venæ sectio conducit quam ad inflammationem. Vena secta utile erit enema quale in dolore ex calculo, additis refrigerantibus;. veluti quando febris cum calculi adest dolore. Danda etiam quæ in ardore urinæ conveniunt. Cum syringa quoque in vesicam injicienda sunt ibidem dicta. Oleis etiam ijsdem utendum, aut illorum loco cataplasma imponendum ex rad. bismalvæ decoctis & malvæ ac lactucæ folijs, cum oleis amygdal. dulc. & violarum : Observata victus ratione ut in Ardore urinæ. Post inflammationem abscessus [21] & vesicæ ulcera à Gal. inter dysuriæ causas numerantur comment. aph. 48. lib. 7. Horum autem signa sunt sanguinis, puris & squamularum mictus cum urinæ [22] graveolentia, ut hip. aph. 4. aph. 81. Si sanguinem, inquit, aut pus minxerit aut squamulas, & gravis adsit odor, vesicæ exulcerationem significat. & præsertim quidem si dolor circa imum ventrem pectinem ac fœmur incidat, ut mox præcedens habet aph.

Existente igitur in vesica ulcere sive ex abscessu rupto, sive alia de causa facto, abstergentibus erit utendum & ijs quæ urinas aliquo modo, sed leviter [23] movent. Hydromeli utile est, & aqua decoctionis ptisanæ cum melle rosato. Prodesse poterit decoctum ex rad. rusci, asparagi, graminis, glycyrrhizæ, fructuũ alkekengi [24], quibus & addi poterit virga aurea: quæ præter quod abstergendo clementer urinas movet, etiam consolidandi ulcera potentiam

tiam

tiam obtinet. Per ſyringam utiliter in veſicam injicitur hydromeli vel aqua decoctionis hordei cum melle roſato. Inunctionibus, aut cataplaſmatis ſi modo non magnus adſit dolor [25], nihil opus. Victus ratio non refrigerans ſed temperata eſſe debet, ac ex optimis bonique alimenti cibis. ab omnibus quæ urinæ acrimoniam intendere poſſunt, abſtinendum: ut ſunt multa aromata & herbæ quædam acres, ut eruca, ſinapi, naſturtium, radicula, allium, cæpe, & ſimiles.

Quando frigida intemperies, &, ut Gal. ait, flatus urinæ difficultatem fecerit, præſertim aliquo humore frig. vias obſtruente, utendum cal. ac diureticis urinas moventibus. Ex frig. autem dyſuriam fieri apparet, quando nulla imflammationis, nulla abſceſſus, aut ulceris, aut calculi veſicæ ſigna aſſunt; neque calor juxta veſicæ regionem ſentiatur: & potiſſimum ſi ab externo frigore veſicam lædi contigerit.

In hoc caſu conveniunt diuretica etiam fortiora: ut ſunt petroſel. apij vulgaris, petroſelini Macedonici dicti, & pimpinellæ ſaxifragæ tum rad. tum ſemina. item & [26] betonica herba ac ejus rad. ſem. præterea ſeſelios, dauci, amios, milij ſolis & ſimilia. ex quibus decocta cum aqua aut cum vino, ſi opus fuerit, parari poſſunt; aut pulveres qui cum vino exhiberi queunt. Huc facit etiam elect. lithonthripticon potenter urinas provocans; cujus ſpecierum ℥ I. cum decocto, aut alio liquore dari poteſt. Fotus verò ex parietaria, malva, anetho, arthemiſia, floribus chamæmeli ac meliloti utiles ſunt. Sic & cataplaſma ex parietaria cum ol. liliorum pubi impoſitum. Vnctiones ſimiliter conducunt ex ol. liliorum,

cha-

chamæmelino, ſcorpionum addita axungia [27] cuniculi. Victus ratio calidior eſſe poteſt. Rad. petroſel. fœniculi, ac pimpinellæ ſaxifragæ: cum cibis utiliter decoquuntur. Potus vinum album, tenue, cereviſia tenuis, nec turbida nec acida, aut hydromeli.

Propter calculum autem urinæ difficultas, ſanari non poteſt niſi illo ſublato.

Difficiles autem & ægrè, aut non curabiles affectus ſtranguria ac dyſuria in ſenioribus ſunt: ut 6. aph. 6. de quo prius dictum. Quibus verò ex urinæ ſtillicidio ileos ſupervenit in 7. diebus pereunt, ut Hipp. aph. 44. lib. 6. Quod de ſtillicidio ac difficultate urinæ veritatem habere poteſt propter magnam aliquam [28] veſicæ inflammationem: nam ſi adeo magna hæc fuerit, ut etiam inteſtina hinc dolore afficiantur, lethalis habenda.

## *Sebaſtiani Egberti Scholia.*

1. Atque etiam dolore, quod particula δὺς, ut in voce Dyſenteria, ſignificat. Sufficit autem ut Dyſuria ſit, alterutrum adeſſe.
2. Expultricem, etiamſi pauciſſima ſit, irritantem.
3. Retentricis, id quod in veſica colligitur non retinente. Hac laborantes Submejulos vocant.
4. Hinc turpioris h. e. Venereæ voluptatis notam in Epicuro putarunt Stoici, quod Dyſuria laboraret.
5. Aut ſemen corruptum ut in Gonorrhœa Venerea.
6. Cap. 4.
7. In mulieribus minimè quia uterus interponi-

tur inter intestinum inflammatum & collum vesicæ,

8. Potest & ab exhibitis acrioribus, ut canthari-dib. ol. sulphuris, &c. fieri.

9. Vitium hoc, ut non diuturnum plerunque, mo-lestissimum tamen. Frigidam mictionem nostrates appellant. Ejus causa ut plurimum usus cerevisiæ re-centioris, accedente externo totius corporis, & præsertim pedum frigore.

10. In magna quantitate : quia pauca cito ad ve-sicam non pertingunt. Quod si æger magnam quan-titatem simul detractet sumere, frequentia adsum-ptionis id pensandum : nam quod paucum est mag-nam acrimoniam diluere, vel obtundere non potest.

11. Nam ardorem urinæ etiam sanis fortia inve-hunt medicamenta.

12. Troch. diaphysalidon Græcis dicitur.

13. Ut eluatur quod in Urethra, præsertim in flexu ejus circa Perinæum hærere solet ; ipseque meatus oblinatur.

14. Quæ duo ob tenuitatem non concrescunt in grumos.

15. Veluti jus pulli cum ptisana decocti, quod lentore, & pinguedine quadam sua, omnes urinæ meatus velut incrustando munire potest.

16. Recentior : nam mox acrimoniam ob tenui-tatem suam contrahit.

17. Quale Rhenanum est. cujus calfacti usu solo, præsertim si nux myristica immaceretur, flatuosa Dysuria curari solet.

18. Meracioris, & potentoris. id enim vox θώρηξις apud Hipp. significat.

19. His enim subjacet Sphincter cujus actio, Urinam nempe continendi, læsa est.

20. Cum plenitudine seu plethora, & virium ro-bore.

21. Non diu consistit. statim enim rumpitur & fit ulcus.

22. Quâ plus quod à vesica, ab illo quod ex reni-bus, distinguuntur.

23. Nam

23. Nam validiora pro caloris majoris modo etiam magis acria sunt, atque acriorem urinam faciunt; ideoque malum augent, non minuunt.

24. Quæ omnia aut nullum, aut exiguum calorem habent.

25. Quia dolor quum non assit ejus ratione non conveniunt: & sordidiora reddunt ulcera.

26. Quæ sola cum vino habita calculum nonnunquam expellit. & valde diuretica est. licet ad caput tuum valere putatur.

27. Quæ in provocanda urina etiam ab intermediæ ætatis medicis, commendatur.

28. De qua tamen intelligi ex mente Hippocr. non posse aph. liquet ex sequentibus. Nisi febre superveniente urina copiosè fluxerit. quod & Gal. in comment. satis ostendit.

## NICOL. FONTANI.

### *Annotatio LXIX, ad Caput LXIX.*

Prima est debilitas ret ntricis facultatis vesicæ:

Secunda est urinæ acrimonia, quæ ab excrementorum biliosorum mordacitate emanat, firmante *Galeno lib.3.aphor.com.16. & lib.5. ejusdem com.58. & lib.7.com.48.*

Cum enim hepar igneum sit, gliscit, & excandescit, humoremque biliosum ubertim generat, & venæ intemperie calidâ sunt affectæ, biliosus & acris sanguis progignitur, qui ad renes & vesicam derivatus, pungit, ferit, & irritat excretricem facultatem, unde affectus iste generatur.

[*Curatio*] In hac errat auctor, Rhabarbarum præscribens, à quo tanquam à peste fugias in hoc affectu nam diureticum est.

Utere pulpæ cassiæ interaneo liquore permixto

ſero lactis caprino, in quo madeſcat per noctẽ conſerva Violarum, aut florum Malvarum.

Balneum aquæ dulcis ad temperandum renes & hepar, optimum eſt.

# DE ISCHURIA.

## CAP. LXX.

ISchuria ſive urinæ retentio ab ijſdem 1 cauſis fieri poteſt à quibus difficultas: & à talibus facta ſimilibus quoque rem. curari debet. Poſſunt verò hujus & aliæ eſſe cauſæ: veluti obſtructio vel renum, vel meatus veſicæ: quandoque verò & duræ fæces in inteſtino recto hærentes, quæ cervicem veſicæ comprimentes urinæ exitum prohibent. Renum obſtructionem teſtatur ponderis circa lumbos ſenſus & quæ præceſſerunt urinæ tenues: circa veſicam nullus tumor aut alterius morbi ſigna. Obſtruuntur autem renes vel à 2 calculo, vel à craſſis viſcidiſque humoribus. In utroque caſu utile enemata, aut leve aliquod purgans med. adhibere: ac deinde balneum, ut in dolore à calculo, Veſicæ autem obſtructionem non raro 3 dolor & tumor ſupra pubem oſtendit. Obſtructio etiam vel à calculo, vel à craſſis fit humoribus 4. Occurrendum autem huic immiſſione catheteris. ſi enim calculus obſtructionem fecerit, cathetere repulſus liberum relinquet urinæ exitum. Prodeſt verò & in hoc caſu hominem ſupinè cubantem crura habere valde elevata, & corpus ejus nonnihil concuti: ſic enim calculus è meatu excidit. Quod ſi verò non calculus, ſed craſſi humores meatus obſtruant, & catheter immiſſus

missus parum profuerit; fotibus & balneis utendum : postea etiam diuretica si opus fuerit, 5 propinanda, qualia in dysuria à causa frigida.

Si autem calculus in meatu virgæ hæreat aut sectione, 6 aut alio modo 7 eximendus erit.

Si autem duræ fæces in intestino recto hærentes urinæ exitum remorentur, cujus suspicionem facere potest alvus prius dura & astricta quam fuerint urina suppressa. In hoc casu enemata injicienda sunt; quæ sæpe sola expurgatis fæcibus prosunt: atque idcirco in omni urinæ suppressione & utiliter adhibentur, & ab ipsis curatio incipitur.

## *Sebastiani Egberti Scholia.*

1. Fit læsa Naturali, non Animali Vesicæ facultate.

2. Vel à maxima copia arenularum, ut in amplissimo viro cujus Ren sinister, Urina propter ingentem arenularum copia retenta, multum supra distentus erat.

3. Et quidem acerrimus quod seditiosi illi qui in obsidione Hierosolymorum postrema, ervis in Uretram immissis, ac Urinæ exitu sic intercepto cibos ob famem ab aliis occultatos, extorquebant.

4. Vel à Caruncula, seu Verruca in Vrethra ex Gonorrhæa Venerea, subnata.

5. Fortiora, quia quæ abstergent leviter hic, nihil proficiunt.

6. Quæ in superiori parte, aut latere Penis facienda; quod inferius facta sectione vulnus in fistulam plerunque desinat.

7. Expressione, suctione, aut tractione quæ fit ad vacuum. Vide Prosperum Alpinum de medicina Ægyptiorum.

# NICOL. FONTANI.

## *Annotatio LXX, ad Caput LXX.*

*Ischuriam*, Græci vocant difficultatem urinæ, quam nos, ſuppreſſionem urinæ nuncupamus.

Hæc nihil aliud eſt quam affectio in qua urina omnino ſupprimitur, & cohibetur, auctore *Galeno lib.6. de locis affectis cap.* 4. Et eſt *Symptoma* in genere retentorum immodicè, nam in ea urina detinetur atque ſupprimitur, in qua veſica proprio affectu laborat, quia veſicæ propria actio eſt, urinæ excretio, quare cum obleſa ſit, ejus actio leditur, ut in pube ſatis evidenter conſtet, quia in circumſcriptione veſicæ manifeſte tumor adeſt, oſtendens eam affectam eſſe.

[ *Et ab ipſis curatio incipitur* ] Adde, Venæ ſectionem ſi æger ſit juvenis, plethoricus, & multa adſit copia humorũ in corpore, vel ſuppreſſio ab inflammatione ſit pronata, vel licet etiam citra eam febris infeſtet ex humore in venis contento, & impacto, in parte inflata, juxta *Senis oraculum lib. 6. aphor.* 36. dicentis : *Difficultatem urinæ venæ ſectio ſolvit ; ſecare vero interiores. Et Galenus* in *comment*, ſic ratiocinatur : *Revera enim & venæ ſectio ſolvit difficultatem urinæ, illam videlicet, quæ propter Inflammationem, & multitudinem fit.* Quo docemur hanc non ſolum ad revellendum, ſed etiam ad evacuandum eſſe neceſſariam, modo prius in brachio, ſi corpus eſt plethoricum, deinde, in talo celebretur, ut ſupra dixi capite de Renum affectibus, & Calculo.

Prodeſt etiam Hydrolæum, hoc eſt, balneum ex oleo, & aqua paratum, in quo prius coquantur aperientes herbæ.

Iuvat fomentum ſupra pubem factum ex fæce olei

olei vetusti. Prodest balsamum cnm guttulis amygdalini permixtum.

Purgantia optima sunt. Demum mirabilis est Therebinthinæ usus.

Cætera de suppressione urinæ, lege doctum *Petrum Salinm* (hic enim mihi mille instar est) qui capite de suppressione urinæ, in libro de morbis ab alijs practicis non exhibitis, ea omnia diligenter proposuit.

De morborum omnium curatione quos R. Dodonæus pertractavit hic esto

FINIS:

*Ad laudem Cuncti potentis* DEI *qui vivit in sæculorum secula.*

# AUCTORES

## Cùm ſacri tùm profani in hoc Opere citati.

*ADrianus Iunius.*
*Aegineta.*
*Aelianus Spartanus.*
*Aëtius.*
*Agrippa.*
*Alcinous.*
*Alexander Trallianus.*
*Amatus Luſitanus.*
*Ammianus.*
*Andernacus.*
*Antoninus.*
*Anthonius ab althomari.*
*Anthologia Epigrammatt.*
*Apuleius.*
*Aretæus.*
*Arnobius.*
*Ariſtoteles.*
*Arrianus.*
*Athenæus.*
*Averrhoës.*
*Avicenna.*

*Baſilius Magnus.*
*Bertrutius.*
*Botallus.*

*Capovaccius.*
*Cardanus.*
*Cœlius Aurelianus.*
*Cledenus.*
*Clemens Alexandrinus*
*Columella.*
*Commentator Thucididis.*
*Commentator in Horatium.*
*Cornelus Celſus.*
*Cornarius.*
*Crato.*
*Curtius.*

*Diodorus Siculus*
*Diogenes Laertius.*
*Dion Caſſius.*
*Dionyſius Ægæus.*
*Dioſcorides.*

*Eccle-*

*Ecclesiasticus.*
*Epictetus.*
*Erasmus.*
*Eusebius.*
*Eustathius.*
*Eutropius.*

*Fernelius.*
*Festus.*
*Fracastorius.*
*Fuchsius.*

*Galenus.*
*Gaza.*
*Gellius.*
*Georgius Logotheta.*
*Gordonius.*
*Gulielhmus de Saliceto.*

*Heraclides Ponticus.*
*Henricus Stephani.*
*Herapollo.*
*Herodianus.*
*Herodotus.*
*Hesiodus.*
*Hieronymus Mercurialis.*
*D.Hieronymus.*
*Hippocrates.*
*Hollerius.*
*Homerus.*
*Horatius.*
*Horus.*

*Iacobus de partibus.*
*Ioannes Heurnius.*
*Ioannes Leo.*
*Ionas.*
*Iornandes.*
*Ioubertus.*
*Isidorus.*
*Iulius Firaucus.*
*Iulius Pollux.*
*Iuvenalis.*

*Langius.*
*Lemnius.*
*Leonicenus.*
*Livius Patav.*
*Lucianus.*
*Lucilius.*

*Macer*
*Mercellus.*
*Martialis.*
*Massaria.*
*Mezues.*

*Michael Savonarola.*
*Montanus.*
*Moyses.*

*Nepos.*
*Nicander Scholiast.*
*Nicephorus Calist.*
*Nicephorus Gregorius.*
*Ni olaus Alexandrinus.*
*Niger Medicus Patavinus.*

*Oddus de Oddis.*
*Olaus Magnus.*
*Olympiodorus.*

*Paulus Diaconus.*
*Paracelsus.*
*Palladius Sophista.*
*Pausanias.*
*Philo*
*Philostratus.*
*Phocion.*
*Plato.*
*Plautus.*
*Plinius Secundus.*
*Plutarchus.*
*Polybius.*
*Proco.*
*Prosper Alpinus.*

*Radzevil.*
*Rhazes.*
*Regum lib.*
*Renod.*
*Rondeletius.*

*S. Aurelius Victor.*
*Salius.*
*Samoniacus.*
*Scaliger.*
*Scribonius Largus.*
*Seneca.*
*Simocatus.*
*Solinus Polyhistor.*
*Soranus.*
*Stephanus Athenienfis.*
*Stobæus.*
*Suetonius.*
*Suidas.*

*Tertullianus.*
*Theocrytus.*
*Theodorus Priscianus.*
*Theophrastus de histor. plant.*

*Theo-*

Theophilactus.
Tyro Maximus.
Trotula.
Thucydides.

Valerius Maximus.
Valescus de Taranta.
Varro.
Vegetius.

Vesalius.
Vindicianus.
Vitruvius.
Volaterranus.

Wierus.

Xenophon.
Xiphilinus.

# *In Praxin*

# D. REMBERTI DODONÆI
## Recens in lucem editam.

*Magni praxin habeto* DODONÆI,
*Votum quæ tenuit peritiorum,*
*Certè degenerem nihil Parenti,*
*Quamvis posthuma : nam manum sagacis*
*Experta est medicam* SEBASTIANI,
*Phœbæâ* AMSTELIIS *hic arte primus*
*Tandem non benè scriniis latentem,*
*Fecit promeritam videre lucem.*
*Quin si quid minus obvium, minusve*
*Dictum, quod cupidas moretur aures,*
*Notis eliquidat probis, politis.*
*Non hîc cura viri stetit, sed omne*
*Artis quod latet abditum recessu,*
*Cordatâ dedit eruditione.*
*Autori Scholionque* DODONÆO
*Pulchrè consonat, ille huic vicissim,*
*Fulta his stabit' Ιατρικὴ columnis,*
*Et florem cito pristinum resumet.*
*Quin, Coius quoque quod Senex stupescat,*
*Vitam quod faciat* μακρὰν *videbis,*
*Artem quod faciat brevem videbis:*

G. Rijchius Med.

# PHILIATRIS.

*Qui cupit egregiam Medicinæ addiſcere Praxin,*
*Hunc legat ac relegat nocte dieque librum:*
*Eſt brevis & clarus, coryphæis æquiparandus*
*Auctor; ubique ſuum non leve pondus habet.*
*Hujus & auditor Phœbi clariſſimus artem*
*Explicat, augmentat: Dignus uterque legi.*

M. Herculanus Blonck Med.

Libri

# Libri primi capita.

## Libri secundi capita.



Angina,

Hærmo

FINIS.

